
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 I
23M

FASCIS IV.
EXERCITATIONUM
PHILOLOGICO-HISTORICARUM,
COMPLECTENS

I. Wilhelmi Mommæ Orationem de Adparitionibus Jesu Christi.

II. Georg. Casp. Kirchmajeri *Dissertationes de Paradiso, Ave Paradisi Manucodiata, Imperio antediluviano, & Arca Noæ, cum descriptione Diluvii.*

III. Joh. Cluveri Computum Chronologicum, qvô ex sacris potissimùm Bibliis, qvâ certitudine numerus annorum mundi, ab ejus conditu, usqve ad Christi è virgine ortum colligatur, brevissimè & accuratissimè ostenditur.

IV. Hieronymi Kromayeri *Διάσκεψιν de Vita Christi, cum additamento Wilh. Stratemanni eodem de argumento.*

V. B. Ægidii Strauchii, nisi mavis, Henrici Alischeri, Dissertationem Historico-Theologicam de B. Virginis Mariæ Natalibus.

VI. M. Joh. Ernesti Butneri *Inqvisitionem Philologicam in Historiam Joannis Filii Zachariæ.*

VII. Christiani Noldii Historiam Idumæam, seu de Vita & Gestis Herodum Diatriben.

VIII. Crist. Cellarii de Iosepho et Herode Programma.

Collectus, recensitus, emendatus, ac notis indicibúsqve concinnis auctus

à

THOMA CRENIO.



LUGDUNI IN BATAVIS,
Apud ABRAHAMUM DE SWART, Bibliop.
Op 't Pleyn van 's Graavesteyn, CIↃ. IↃCC.

LECTORI BENEVOLO
THOMAS CRENIUS
S. D.

MAgnum, evidens ac inusitatum spectati & prorsus admirandi favoris ac clementiæ documentum est, tantô qvòd Ter Optimus Ter Maximus nostrum dignatus est honore genus, ut non solùm olim πολυμερῶς ϗ πολυτρόπως se manifestârit ei, verùm ad idem etiam tam accesserit cominus, ut nunc formâ conspicuus cum mortalibus sermones miscuerit, nunc consilia sua cogitationésqve protulerit benignè: nunc nocturnis in visionibus atqve somniis futura revelaverit: nunc rebus de gravissimis disseruerit perspicuè. Qvare & passim veteri in fœdere DEUS cum Patribus nostris fuisse, vel in medio Israël reqvievisse, vel ignem in Sion & focum in Jerusalem habuisse dicitur, id est, tamqvàm vicinus amicus habitâsse vicinum apud amicum & officinam suam coluisse. Veluti verò certum est, hoc nonnisi per & propter conciliatorem nostrum factum fuisse, CHRISTUM: sic omnes in Veteri Testamento humana sub forma factas

adparitiones ἐνανθρωπήσεως Filii DEI fuisse præludia, præter Augustinum ad Amantium Manichæi discipulum, c. IX. seculo è III. Q. Septimius Florens Tertullianus, Afer, Carthaginensis Ecclesiæ Presbyter in adversus Praxeam libro, his c. XVI. docet verbis: *Filius Dei ad humana semper colloqvia descendit, ab Adam usqve ad Patriarchas & Prophetas; in visione, in speculo, in ænigmate, ordinem suum præstruens ab initio semper. Qvæ erat persecuturus infinita, semper ediscebat, & Deus in terris cum hominibus conversari non alius potuit, qvàm sermo, qvi caro erat futurus. Ediscebat autem, ut nobis fidem sterneret, ut faciliùs crederemus, Filium Dei descendisse in seculum, si & retrò tale qvid gestum cognosceremus.* Festivâ illud similitudine declarârunt Hilarius & Ambrosius desumptâ ab adolescentulo, qvi præclaram vestem novam nonnisi die præstitutô induere jussus à Patre, non potest se continere, qvin præ lætitia gestiens eam domi clam solus induat, seséqve sic vestitum gloriosè circumspiciat, vel potiùs æqvali sodali, si minus id aliter liceat, imponat. *Qvod in Genesi*, inqvit Petr. Cunæus, lib. III. de Republ. Hebræor. c. III. p. m. 210. s. edit. Elzevir. 1632. in 12. *scriptum est*, Gen. XIV. 18. erat sacerdos DEI altissimi, *pertinet* πρὸς τὸ σχῆμα τοῦ ἱερέως, *sive ad habitum sacerdotis, qvem induerat DEI Filius.*

lius. Et profectò fuit cùm etiam alias sumeret personas. cujus rei exempla in illustri posita sunt. Ajunt præstantissimi theologorum, qvotiescumqve Deus immortalis hominibus apparuit, apparuisse personam secundam, id est, filium. Qvod sanè ab illis rectè existimatum est. Utiqve cùm Apostolus ait, Hebr. I. I. Sæpe Deum anteà per Prophetas, novissimè autem locutum fuisse per filium, *non ille negat visum anteà in terris Messiam esse, sed haud obiisse eum concionandi illud munus significat, qvod olim à vatibus semper, ac tandem verò susceptum ab ipso est. Etiam nos existimamus, filium Dei, cùm in via Abramo occurreret, eum vultum, eúmqve habitum corporis sibi finxisse, qvem postea gessit in terris. atqve hoc illud esse, qvod Apostolus ait,* Hebr. VII. 3. ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ. Assimilatus filio Dei. *Non poterat ipsum illud corpus induere, qvod in terris posteà intuiti sunt, & contrectavêre mortales. Id enim serò admodùm genitum formatúmqve est, neqve antè exstitit. qvare imaginem duntaxat illius repræsentavit Abramo, sed planè eamdem, qvam inter homines habuit. Neqve aliò pertinere mihi videtur, qvod scriptum à Joanne est,* c. VIII. 56. Abram gestiit videre diem meum, & vidit, gavisúsqve est. *Id enim uni Abramo contigit, & singulare qviddam fuit: cùm de*

ceteris illud dicatur, Luc. x. 23. Multi prophetæ & justi cupiverunt videre, qvæ videtis, & non viderunt. Hæc Cunæus. *Visiones*, inqvit B. D. Rungius, Comment. in Exod. p. m. 84. edit. Witebergens. M. DC. XIV. in 8t. *qvibus DEUS se patefecit hominum generi sunt φιλανθρωπίας divinæ τεκμήρια atqve in Veteri Testamento sæpius videri voluit Dominus & collocutus est cum sanctis patribus, qvæ adparitiones qvasi præludia qvædam fuerunt nobilissimæ patefactionis, qvâ Deus manifestatus est in carne.* 1. Timoth. III. 16. *omnémqve sapientiam patris saluti hominum necessariam remotis umbrarum involucris planissimè hominum generi revelavit* Joh. I. 18. Heb. I. 1. & 2. *Post incarnationem filii Dei paucæ leguntur visiones in Actis factæ ad confirmanda primordia Ecclesiæ Novi Testamenti, ut Petro*, Actor. x. 13. *Paullo*, Actor. IX. 5. *Ananiæ* ibidem. *Deinceps crescentibus superstitionibus Pharisaicis (Pontific.) plurimæ visiones in Ecclesia jactatæ sunt ad stabilienda dogmata purgatorii, satisfactionum, Missarum, invocationis sanctorum, qvæ, qvia cum verbo Dei non congruunt, ideò visiones istæ tamqvàm ludibria Diaboli simpliciter repudiandæ sunt secundùm dictum*, Esaiæ VIII. 20. Hinc & non dubium est, qvin Filius DEI fuerit, qvi à lapsu primorum parentum sub meridiem in Paradisi horto

horto specie aliqvâ corporis humani adsumtâ deambulavit, & Adamum non iræ, sed misericordiæ voce, qvasi cum gemitu vocavit, miserúmqve peccatorem coràm adloqvutus est, לו איכה, *Adam ubi es*? ad litteram, *Ubi tu*? A-je-cha enim compositum est ex adfixo secundæ personæ כה & adverbio איה & אי *ubi*; qvasi dixisset, interprete B. Wolfgangô Frantziô nostrô in Oratione de Immanuele, Wittebergæ M. D. XCVIII. edita & B. Glassii Ονοματολογία Messiæ Propheticæ subjuncta à nobis in editione annô CIↃ IↃCC. hìc à nobis curata Lugduni, p. m. 521. *in qvam incidisti ex tanta sublimitate ruinam? Non enim*, inqvit Basilius Magnus, *qværebat doceri, qvia cuncta noverat, sed ex misericordia suggerebat, qvalis ex qvali factus esset.* Etsi enim adpellatio illa Jehovah Elohim Gen. III. 8. tribus in divinitate communis personis est: à Jonathane tamen Uzielid. Chaldæo Paraphraste adscribitur VERBO DEI, seu Messiæ, qvi prævidens lapsum, jam se λύτρον obtulerat DEO Patri pro peccatis hominum, in adoranda illa de generis humani redemptione TRIADOS sanctissimæ Synodo. *Et audiêrunt*, vertit, *vocem verbi Domini DEI deambulantis in horto ad auram diei. Qvi Christum amant*, subjicit adductæ Paraphrasi doctiss. Joh. Henr.

Urſinus noſter, Volum. I. Analector. ſacror. lib. VI. n. X. p. m. 324. *ſic dici ab eo cenſent* τ̃ λόγον ȣ̃ θεȣ̃ ὑποςατικὸν, *judicem Mundi, & in qvo fideles ſuos ſalvare DEUS ab æterno diſpoſuit.* Salvabo eos, *inqvit*, in Domino DEO ſuo, *Oſ.* I. 7. *id eſt, juxta eumdem Chaldæum, ibidem*, in VERBO Domini DEI ſui. Non autem ſalvat DEUS niſi in Chriſto, *Novatianus de Trinitate*, c. XII. *Frendere & oblatrare rebelles fidei, hoſtes Deitatis Filii, nec miror, nec moror. Indignor in caſtris ejus eſſe perduelles, exploratores, & qvi haſtas ejus militibus ab ipſius ſpiritu* amentatas *è manibus cupiant extorqvere. Oſtendit dudum* D. Selneccerus libellô de Meimar. Conſentit Targum Hieroſolymitanum in qvinqve libros legis è Lingva Chaldaica in Latinam converſum operâ Franciſci Tayleri Angli, Thomæ Gatakeri Generi, editum Londini 1649. in 4to, qvod comma 9. III. Geneſ. ita reddit: *Et clamavit Verbum Domini DEI ad Adamum, & dixit ei, Ecce Mundus, qvem creavi, coram me manifeſtus eſt; tenebræ & lux coram me perſpicua ſunt. Qvare igitur exiſtimas, locum, ubi tu es, mihi incognitum eſſe? Num hoc eſt mandatum qvod tibi dedi?* Juſtinus Martyr, in Dialogo cum Tryphone Judæo Epheſi per biduum habito, Hilarius in XII. de Trinitate

tate & Alexandrinus Clemens in Stromat. putant Filium DEI in ſpecie aliqva humani corporis ad tempus adſumpta, qvâqve Patriarchis etiam olim ſe conſpiciendum præbuit, in horto ambulâſſe, miſerósqve peccatores, qvos & ſententia legis, & conſcientia jam jam damnatura erat, primò adloqvutum eſſe, qvò ſtatim φιλανθρωπίαν & miſericordiam ſuam teſtaretur, dum peccatores iratus non ſtatim abjicit, ſed veluti Medicus ad ægrotantes invalidos jacentésqve accedit, & pœnas, qvas meriti erant, æternas, mitigat, atqve miſericordiâ temperat, ut ſimili ac verbis utamur Chryſoſtomi. Adludit enim, auctore Theodoretô, Dialogô II. Moſes ad inſinuandam Filii DEI οἰκονομίαν· Auguſtinus verò, lib. 11. de Trinit. c. x. *Qvomodo*, inqvit, *poterit ad litteram intelligi talis DEI ambulatio & conloqvutio, niſi in ſpecie humana, non video.* Vide B. Chriſtian. Matthiæ, Colleg. 11. Anti-Photinian. Exercit. 1. p. 34. ſ. & in Hiſtoria Patriarchar. n. 1. §. XCI. p. 48. Hanc primam eámqve adparitionem amabiliſſimam inſeqvutæ ſunt & poſtmodùm nonnullæ aliæ. Inluſtris ab illa fuit in primis ea, qvæ credentium omnium Patri Abrahamo באלני ממרא *in qvercubus*, (ſive qverceto) *Mamre* ut Vatablus habet, vel *in convalle Mamre* ut Chaldæus cum Vulgato vertit, contigit in virorum trium adſpectu Gen.

XVIII. 1.ſ. Qvos qvidam Angelos fuiſſe exiſtimant, Myſterium Trinitatis repræſentantes; ut è veteribus nonnullis placuiſſe teſtis eſt Nicephorus, lib. VIII. c. XXX. Auguſtinus ſanè opinionem hanc amplectitur; inde lib. XVI. de Civ. DEI. c. XXIX. princip. *DEUS*, inqvit, *adparuit Abrahæ ad qvercum Mambre in tribus viris, qvos dubitandum non eſt, Angelos fuiſſe, qvamvis qvidam exiſtiment, unum in eis fuiſſe Dominum Chriſtum, adſerentes, eum etiam ante indumentum carnis fuiſſe viſibilem.* Et lib. III. contra Maxim. c. XXVI. dicit hâc adparitione *viſibiliter inſinuatam per* creaturam *viſibilem Trinitatis æqvalitatem*, corúmqve ſententiam hôc & priore locô deditâ operâ refellit, qvi putârunt unum ex his tribus Dominum fuiſſe Jeſum. Nec videtur abhorrere Hieronymus, Tomô III. Oper. in Explic. Epiſtol. ad Galat.c.III.p. 899. ſcribens: *Qvod ait Paullus legem fuiſſe ordinatam per Angelos, hoc vult intelligi, qvòd in omni Veteri Teſtam. ubi Angelus primùm viſus refertur, & poſteà qvaſi Deus loqvens inducitur, Angelus qvidem verè fuerit unus de miniſtris plurimis DEI, qvicumqve ſit viſus &c.* Qvi tamen idem ſanctus, Tomô I. Oper. in Epitaphio Paullæ matris, c. V. ad Euſtochium, p. 75. a. b. noſtram in veriſſimam mox adducendam concedit qvoqve ſententiam. Joſephus, lib I. Antiqvit. Judaic. c.
XII.

XII. οὐκέτι, inqvit, κατέσχον λανθάνοντες, ἀλλ' ἐμήνυσαν ἑαυτοὺς ὄντας ἀγγέλους τοῦ Θεοῦ, καὶ ὅτι πεμφθείη μὲν ὁ εἷς, σημαίνων περὶ τοῦ παιδὸς, δύο δὲ, Σοδομίτας καταστρεψόμενοι: id eſt, *non ſuſtinuerunt* hi tres viri, *amplius ſimulare, ſed faſſi ſunt, ſe DEI eſſe angelos: & qvòd miſſi eſſent, unus nunciatum de filio, duo verò ad delendos Sodomitas.* Qvæ tamen confeſſio & cauſſa adventus illorum in Textu non reperitur. Scholaſticorum ac Jeſuitarum communis ferè hæc eſt ſententia. *Intelligendum eſt*, ſcribit Lyra in h. l. *qvòd dicitur Dominus de identitate non eſſentiali, ſed repræſentativa, ſcilicet, qvòd ille Angelus tunc loqvebatur in perſona divina, qvam in illa adparitione repræſentabat.* Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis alios videtur præſtigiis imbuiſſe Rabbinicis. *Dicendum*, inqvit, Tomô 1. Operum, in h. l. *qvòd iſti tres erant Angeli, qvos DEUS miſit in ſpecie virorum, ut ſatisfaceret intentioni Abrahæ, ardenti deſideriô hoſpitalitatis.* Et Tom. 11. Oper. in Exod. III. p. 25. *Sæpe vocatur DEUS angelus ejus, qvi nomine ejus loqvitur, & ut qvaſi generaliter dixerim, DEUM nemini unqvàm in V. T. adparuiſſe, ſed Angelum locô DEI.* Fuit hic Toſtatus vir magnus ſuô ſeculô, *Juriſconſultus, Theologus, Philoſophus*, uti habet Operum inſcriptio, additúrqve *Lingvæ Hebraicæ doctiſſimus. Meum eſt*, dico cum Cl. Mich. Haveman-

manno, è c. 1. Theognosiæ antiqvissimæ, §. 11. p. m. 80. qvi tamen numerus à mea manu est, *de omnibus modestè sentire : interim optarem, ut ultimus inter titulos, ad rem & ad veritatem propiùs accessisset; ita enim nec se nec alios judaizando decepisset hic Episcopus, qvi de Personarum pluralitate, ac Trinitate, parum vel nihil, qvod solidè probet in Veteri Testamento exstare, inauspicatò adserit. Sed qvî aliter potuit, qvi authenticum Textum & sanctæ Linguæ indolem fundamentaliter non intellexit. Ex multis pauca recensebo, qvæ cursoriâ lectione in Tomis ejus observavi, editionis Venetæ, qvæ prodiit Anno* CIↃ IↃ XCVI. *per fratres Sessas. In Genes. c.* IV. *verbum Evæ aliqvoties adpellat Chanizi, cùm in textu sit Kanithi. Gen.* XI. 4. *voces,* פןנפוצ *Pen Naphuz, aliqvoties repetit, unâ voce Penafrum. Gen.* XLIX. *fol.* 406. *sæpè repetit vocem Curima, qvam dicit derivari de Jasur, Absurdum! Dicit inveniri hanc vocem, Ruth c.* III. 9. *ubi dicitur, Extende pallium super famulam tuam. Ibi in Hebræo esse, Cura. Sed legitur ibi,* פרשת *Paraschta. Magna autem differentia inter Paraschta & Cura. Qvid Cura? Opusc. de Trinit. concl.* 1. *p.* 2. *dicit, Esa.* XIX. 4. *dici: Dominorum duri; Adjectivum autem Cascheh, syllabarum trigâ, in plurali sonare Caschetim. Ubi occurrit vitium grande : Kametz enim manet, & syllaba (Eh) abjicitur.*

Er-

Ergo sit Kaschim. Monendum hoc fuit, ne qvis putet, hunc Episcopum in textuum detorsionibus Judaizantibus à studio Philologico fuisse adjutum, in qvo valde tepet, & sæpe ita peccat, ut vix Februalibus sacris crimen possit lustrari. Jacob. Salianus in Annalib. Vet. Testam. Tom. I. A. M. cIↄ. cIↄ. CXXXVIII. n. 34. p. 240. *Mox regressô in locum suum Abrahamô, ille qvi Domini personam sustinuerat, revolavit in cælum, duo reliqvi Angeli vespere Sodomam venerunt.* Illum verò, qvi Domini personam gessisse dicitur, Cornel. à Lapide *Angelum aliqvem superiorem*, Burgensis *Gabrielem Archangelum*, Rabbini *Michaëlem* esse volunt. Imò etiam auctore Joanne Lorinô, Avenionensi, Jesuitâ, p. m. 337. a. edit. Lugdun. Gall. cIↄ. Iↄc. v. in fol. Commentar. in Act. VII. 30. *Universè magis communis opinio est, cujus primus auctor præivit Dionysius, c.* IV. *Cælest. Hierarch. non DEUM per seipsum in Vetere Testam. adparuisse, sed locô DEI Angelum. Sic verò, ut pauca exempla adnectam, dicitur DEUS adparuisse Abrahæ in Genesi,* c. XVIII. *&* XXI. *qvi tamen Patriarcha hospitiô Angelos excepisse scribitur à Paullo, Hebr.* XIII. 2. *Præterea Jacob dicit Gen.* XXXI. 11. in somnis Angelum Domini sibi adparuisse, ac dixisse: Ego sum DEUS Bethel, *videlicet qvoniam DEUM repræsentabat.* Hæc Lorinus. *Scholastici Theologi*, inqvit

Leonh.

Leonh. Coqveus Aurelianensis, in Commentar. in Augustin. XVI. Civit. DEI, c. XXIX. *unô ferè ore docent adparitiones omnes visibiles in Veteri Testamento factas nomine DEI, & qvibus DEUS visus vel adparuisse dicitur, ministeriô Angelorum, qvi sibi corpora aptârunt & adsumpserunt, DEIqve personam sustinuerunt, esse perfectas.* Qvare & ita sentiunt Gregor. de Valentia, Tomô I. Oper. p. 1087. Benedict. Pererius, Disp. I. in Genes. XXXII. n. II. 12. s. p. 821. b. s. & Nicol. Serarius, Rambervillanus, Lotharingus, Jesuita, in Josuam, lib. IV. c. V. Q. XL. & alii. Qvod Georgius Enjedinus vult, laborans admodùm, *tres illos viros nudos fuisse Angelos*, qvò non solùm Mysterium Trinitatis vocet in dubium, sed & obtineat, nomen Jehovah in Scriptura sacra non soli vero & æterno DEO, sed etiam Angelis creatis tribui. At Angelis cum duobus secundam SS. Trinitatis ibi se manifestâsse personam veterum ferè omnium Orthodoxorum Patrum sententia est. Justinus Martyr & Philosophus in Dialogo cum Tryphone Judæo, p. 213. hanc ponit propositionem de visione trium Abrahæ virorum facta: *Moses beatus & fidelis minister DEI indicat, visum esse ab Abrahamo ad saltum Mambræ DEUM, cum eis qvi secum fuêre duobus Angelis, ad judicium Sodomitarum missis ab alio,* qvi

qui in supercælestibus semper manet, & à nemine visus, neqve cum qvopiam per seipsum collocutus est, qvem fabricatorem & parentem rerum cunctarum novimus. Cujus effati veritatem è variis posteà confirmat ad Tryphonem rationibus aliqvot per paginas, à 213. scilicet ad 223. Isidorus Pelusiota, librô III. Epist. CCLXIV. dicit Abrahamum, Genes. XVIII. fuisse θείας ὁμιλίας ἀξιούμενον· Clemens Alexandrinus in V. Στρωμάτων hanc adparitionem vocat τοῦ Σωτῆρος καὶ κυρίου παρουσίαν· Sigillatim urget hanc φανέρωσιν Abrahæ factam S. Athanasius adversus Arianos, tamqvàm Filio DEI convenientem, Tomô I. Disp. II. contra Arianos, p. 165. Orat. III. p. 195. D. E. & Orat. IV. p. 261. D. Interpretantur nobiscum qvoqve Cæsariensis Eusebius, libr. V. Demonstrationis Euangel. c. VIII. p. 396. Phœbadius Aginnensis Episcopus, contra Arianos, c. LIV. edit. Barthii, p. 29. Basilius Magnus contra Eunomium, lib. II. p. 56. Gregor. Nazianzenus, Orat. II. de Theolog. p. 299. Billianæ, p. 45. edit. Leunclav. *Abraham*, inqvit, *magnus ille Patriarcha ex fide qvidem justificatus est, ac novam & inauditam victimam magnaqve illius præsignatricem obtulit. DEUM autem non ut DEUM perspexit, sed ut hominem aluit, ac proinde laudatus est, qvòd qvantum percepit, tantum qvoqve veneratus est.* Qvibus

bus consentiunt Cæsarius, Gregorii Frater, Dialogô I. ad Constantium, inter Opera Gregorii, p. 1100. edit. Leunclav. Epiphanius in Ancorato, Tom. II. p. 34. 44. & Tomô I. Hæresi LXXI. p. 832. edit. Petavii. Tertullianus, libr. de Carne Christi, c. VI. p. 19. *Tunc qvoqve inter illos Angelos ipse Dominus adparuit, Abrahæ sine nativitate, cum carne scilicet pro eadem caussæ diversitate.* Idem, lib. II. advers. Marcion. p. 189. in fine. *Profitemur*, inqvit, *Christum semper egisse in DEI Patris nomine, ipsum ab initio conversatum, ipsum congressum cum Patriarchis & Prophetis, filium Creatoris, sermonem ejus. &c. Ediscens jam inde à primordio, jam inde hominem, qvod erat futurus in fine.* c. XXVII. ejusdem libri ex adparitione Abrahæ & Mosi facta deducit, *DEUm non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos & sensus & adfectus suscepisset, per qvos vim suæ majestatis intolerabilem utiqve humana mediocritati, humilitate temperaret, sibi qvidem indignâ, homini autem necessariâ, & ita jam DEO dignâ, qvia nihil tam dignum DEO, qvàm salus hominis.* Et lib. III. adv. Marcion. p. 201. *Ipse cum Angelis tunc apud Abraham in veritate qvidem carnis adparuit, sed nondum natæ, qvia nondum moritura: sed & discentis jam inter homines conversari.* Adde Ambrosium de Fide contra Arianos, libr. uni-

nicô, c. VIII. p. 175. Tom. II. Dionysius Petavius, VIII. de Trinit. c. II. n. 7. adjungit Gregorium Nyssenum in libro περὶ θεογνωσίας latè id tradentem apud Euthymium. S. Hilarii, Chrysostomi ceterorúmqve Patrum verba, postqvàm hanc expositionem ipsis è Textus visceribus ac circumstantiis probârunt, adducunt D. Stephanns Clotz in eximio de Angelolatria Tractatu, Punctô IX. Disp. V. totâ, p. m. 155. s. B. D. Calovius in Harmonia Calixtino-Hæretica, Sect. III. c. V. p. 983. Tomô III. Systemat. Artic. III. c. II. Q. I. p. m. 416. edit. Witeberg. cIↃ IↃC. LIX. in 4to, B. Haberkorn. Syntagm. I. Disp. III. §. 33. p. m. 215. s. Disp. V. §. 51. s. p. m. 431. s. B. Dorscheus, part. I. Sylloges Vindiciar. ad Exod. III. Dissert. I. p. m. 63. s. §. 7. s. & in erudita Collatione ad Concil. Sirmiense, Sect. III. c. IV. p. 140. s. Cujus Concilii Canon. XIII. ita habet: *Si qvis Abramum non Filium, sed ingenitum DEUM, aut partem ejus vidisse adseveret, anathema sit.* *Partem* lege, non *Patrem*, ut habent nonnulla exemplaria Hilarii, & Basileense anni cIↃ IↃ L. qvô se usum fatetur locô proximè citatô Dorscheus; item Interpres Athanasii in edit. Commelin. qvi & imposuit Severino Binio in Tom. Concil. è qvo laudatus desumpsit hunc Canonem Dorscheus noster, Sect. II. dictæ Collationis, c. I. p.

81. Malè verò iis in exemplis, in qvibus *partem* ſcribitur, *patrem* reſcribi debere memoratus cenſet Petavius, lib. VIII. de Trinit. c. 11. n. 4. Sanè Græcum ſi Textum Athanaſii legiſſet Jeſuita, reperiſſet τὸ ἀγέννητον θεὸν ἢ μέρος αὐτοῦ. Nimirum dilatari qvidam aut in partes divinam deduci poſſe cenſuerunt eſſentiam, atqve eô ſenſu etiam τὸν ἀγέννητον ex parte oculis ſubjici, qvæ hìc diſputare nihil attinet. Conſtantinus Magnus Imperator, ſcribens in Epiſtola ad Macarium Epiſcopum Hieroſolym. ceteróſqve Palæſtinæ Epiſcopos, qvæ apud Euſebium eſt, in tertio de Vita Conſtantini M. libro, c. LI. de templo novo in Mamre exſtruendo. *Illic primùm*, inqvit, *Salvator cum duobus angelis ſui ipſius adparitionem prolixè Abrahæ exhibuit: Illic hominibus adparere cœpit.* Franciſc. Vatablus, Hebraicæ Lingvæ qvondam Profeſſor Regius Lutetiæ in Adnotationib. ad Gen. XVIII. 3. *Qvòd unum*; inqvit, *peculiariter ſalutat, videtur ideò factum fuiſſe, qvòd præ aliis duobus excelluerit. Scimus enim Angelos utplurimùm adparuiſſe cum capite ſuo Chriſto: itaqve hìc in tribus Angelis unum deſignat Moſes legationis principem.* Qvæ ad verbum ferè ſuum in Commentarium recepit Joh. Calvinus, cujus è p. 144. edit. Genevenſ. M. D. LXXIII. hæc do verba. *Qvòd vetuſti qvidam Scriptores hinc myſterium elicere conati ſunt, Abra-*

brabam unum ex tribus, qvos viderat, adorâsse, ideóqve tres in uno Deo personas fide esse intuitum, qvia frivolum est, & obnoxium sannis & calumniis, omittere satius est. Ante enim diximus sic exceptos fuisse Angelos à sancto viro, ut officium præstare hominibus voluerit. qvòd autem ejus benignitatem ornavit Deus, & hâc mercede dignatus est, ut Angelos illi hospites offerret, id non ante agnovit, qvam se in fine prandii patefecissent. Humanus est igitur ac civilis honor qvem illis exhibet. Qvòd autem unum peculiariter salutat, probabile est ideo factum esse, qvia præ aliis duobus excelluerit. Scimus enim Angelos utplurimum adparuisse cum capite suo Christo: itaqve hîc in tribus Angelis unum designat Moses legationis principem. Hæc Calvinus. Nec negant Andr. Masius in c. v. Josuæ, p. 95. & Alphons. Salmeron, Tomô xiv. Oper. in 1. Cor. x. Disp. xvii. p. 136. Christum qvandoqve V. T. Patribus αὐλοπροζώπως visum esse. Imò D. Anton. Fernandius, Conimbricensis Jesuita, & in Eborensi Academia sacræ scripturæ qvondam Professor, in Commentariis in Visiones Veteris Testam. Visione vi. Commentar. ii. Sect. i. n. 2. 3. col. m. 179. 180. edit. Lugdun. Gall. M. DC. XXII. in fol. perspicuè: *Adparitiones*, inqvit, *hujusmodi non semper factas fuisse per Angelos, sed interdum per ipsummet Deum, affirmat Eusebius* 1. *De-*

monstrat. Euangel. c. v. *& lib.* v. *c.* x. *Chrysost. homil.* XVI. *in Acta Apostol. Theophylactus in eumdem locum, consentire videtur Tertul. lib. contra Judaeos, c.* IX. *Ambros. in illud ad Colossens.* I.15. Qvi est imago Dei invisibilis. *Leo Magnus, epist.* XIII. *Clemens Rom.* v. *Const. ult. Clemens Alex. Strom.* I. *Hi sunt autores pro hac parte. Nobis ita videtur (qvidqvid sit de praesenti loco, de qvo statim) probabilius esse, cum autoribus posterioris sententiae, Deum ipsum, & specialiter Verbum Divinum, interdum adparuisse Patribus in veteri Testamento. Uno vel altero locô rem confirmare satis est. Tres illos viros, qvos excepit Abraham, Genes.* XVIII. I. *Eusebius testatur fuiße Deum trinum, & unum. Unde illud Augustini, sermon.* LXVIII. *de Tempore,* † *Si ejus est, tribus occurrit, & unum adorat; Trina Unitas, & Una Trinitas.* Consentit Cyrillus, *& alii ponderantes illa verba,* Adparuit ei Dominus *&c.* cúmqve elevâsset oculos; adparuerunt ei tres viri. *Sunt etiam, qvi unum ex illis, cum qvo Abraham familiarius locutus est, Verbum Divinum asserant. Unde illud Hilarii,* IV. *de Trinit. Abraham conspectis tribus, unum adorat. Qvanta fidei vis, ut in indiscreta assistentium specie Dominum Christum internoverit? Hinc est illud D. Ambros. perperam adscriptum Augustino, serm.* LXVI. *de Tempore. Arborem, inqvit, incolebat Abraham, sub qva constitutum erat*

† Malè, in Augustino enim est: *Videtis, Abraham tribus &c.*

erat qvalecumqve effugium; angustum qvidem homini, sed sufficiens majestati; dignum enim Deo palatium, fides devota pingebat, in qvo fuisset majestas Divina pransura. Ita ille. Ubi notandum obiter, qvantam vim obtineat devotio fidei, qvæ è rudi qvercu palatium instruxit Dei capax, leni autem affectus penicillô ita variè depinxit, ut ibidem ad prandium cum delectatione recubuerit? Nec objicias illud ad Hebræos XIII. 2. Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim qvidam placuerunt Angelis hospitiô receptis; *hos enim interpretantur Doctores communiter, Abraham, & Loth. Respondetur enim ex Tertulliano, c.* IX. *adversus Judæos, Angelos in Scriptura sæpe dictos, ex eo qvòd Divina revelent. Ita Joannem & Malachiam dictos Angelos, similiter Deum ipsum, dum se hominibus sub aliqva forma ostendit, aut futura prænunciat, Angelum dici: nam & Verbum Divinum Isai.* IX. 5. *dicitur* magni consilii Angelus, *juxta Septuaginta.* Hæc Fernandius. Ita etiam Emanuel Sa, Jesuita, in Notationibus h. l. *Nota,* inqvit, *qvòd qvi mansit Angelus DEUS erat, secundum Justinum in Tryphon. & Epiphanium in Ancor. seu DEUM repræsentabat.* Confer Browerum in notis ad Venantium Fortunatum, p. 134. Tertius ille hìc Abrahamo adparens idem est illo cum viro, qvi Gen. XXXII. 24. f. cum Patriarcha Jacobo Mesopotamiam egresso lu-

luctatus est noctu; huic enim minimè creato faciebat aram Angelo, votáqve Jacobus, qvæ sibi fieri haud concessisset, Angelorum si è creatorum fuisset numero, ut testatum apud nos relinqvit notissimum ac præclarum exemplum Angeli creati in Apocalypseos extr. v. 8. 9. Hunc *nec Angelum malum*, inqvit D. Isaacus Froereisenius in Programmate ad Dissertationem I. Heptadis Dissertationum Historico-Theologicar. B. Dorschei, p. m. 49. edit. Rostochiens. 1660. in 12. *in specie Esavi comparentem, (ut voluit Procopius & Lyranus) nec de communi bonorum genere fuisse qvempiam, Osea c.* XII. 4. *&* 5. *testimonio constat, qvod tale*: Prævaluit Angelo & superior fuit, flevit & rogavit eum: in Bethel invenit eum & loqvutus est nobiscum. Jehovah autem DEUS exercituum יהוה זכרו Jehovah memoriale ejus. At qvod pace Beati illius Viri dixerim, de Lyra mihi videtur habere aliter. Do Nicolai verba ad Gen. XXXII. *Angelus Esau (qvem* fuisse Angelum conluctatorem putant*) secundùm Hebræos, licèt bonus fuerit, nescivit tamen divinam sententiam diffinitivam, qvòd jus primogenituræ & benedictiones essent ipsius Jacob de jure, usqve qvò vidit per hoc, seu qvòd DEUS tantam virtutem contulit ipsi Jacob; Et tamen hoc anteà fuerat revelatum ipsi Rebeccæ, & Isaac posito in Ecstasi.* Nimirum Lyræ sententia est, fuisse

fuiſſe Angelum bonum. *Adparuit ei Angelus, qvi fuerat ei Protector in via, & finxit, qvòd vellet eum dimittere propter parvitatem ſuæ confidentiæ. Jacob autem inſtantiâ orationis fervidæ eum rogabat, ne ab eo recederet.* Adſcripſimus paullò antè Fernandii verba, in præſentia ſubjiciemus ejuſdem ſtatim ſeqventia: *Virum illum,* inqvit col. m. 180. n. 5. *qvi Geneſ.* XXXII.24. *cum Jacob luctatus eſt uſqve ad mane, Verbum Divinum interpretantur plurimi, maximè Theodoret. q.* XCI. *in Geneſ. expendens, qvomodo rogatus de nomine à Jacob, reſpondit v.* 29. Cur qværis nomen meum, qvod eſt mirabile? (*ita enim legit Theodoretus*) *ob id, inqvit, cùm qvæſiviſſet, qvi vocaretur, non ſolùm reſponsô fruſtratus eſt, ſed inſuper objurgatur, tamqvàm excedens naturæ metas, & addit; Per hæc autem docemur, qvòd Unigenitus Dei adparuerit Jacob. Cur autem ita collegit Theodoretus? puto rem ipſam totam aſſeqvutum. Nam cùm dicitur Deus cum Jacob luctatus, neceſſariò intelligendum eſt, id effeciſſe brachiô ſuô: at brachium Dei, Verbum Divinum eſt, Iſa.* LIII. I. Brachium Domini cui revelatum eſt? *Qvòd verò brachium Domini prævalere noluerit contra Jacob, ratio fuit, ut fidentem redderet eum contra Eſau. ideo addidit:* Qvia ſi contra Deum fortis fuiſti, qvantò magìs contra homines prævalebis, *Et immutans ei nomen, ait:* Ne-

qvaqvàm Jacob adpellabitur nomen tuum, ſed Iſraël. Rectè qvidem ſpectatâ nominis notatione, qvod idem eſt ac videns Deum. qvaſi dixerit: Vocaberis deinceps homo, qvi vel Deum vultu imperterritô aggreſſus eſt. Similiter Auctor imperfecti operis in Matthæum, homil. xv. virum hunc luctantem cum Jacob Deum eſſe vult; nam ponderans illa verba Jacobi v. 30. *Vidi Dominum facie ad faciem, &c. Verè, inqvit, Deum non vidit facie ad faciem, qvia in ſchemate hominis luctatus eſt contra eum Deus: nam ſchema, corporale velamentum eſt Dei, non proprietas. ita ibi. Aſſumpſit ergo Deus corporale velamentum, ut haberet Jacob, qvod in eo, luctando, prehendere manu poſſet.* Hæc Fernandius adducens in margine hæc Abulenſis verba, *In ſchemate ſeu ſimilitudine hominis luctatus eſt DEUS, ut præberet, qvô teneretur.* Vide rurſus B. Clotzium in nunqvàm ſatis prædicando Tractatu de Angelolatria, Diſp. v. qvæ eſt vi. de Idololatria, Punctô xi. p. 211. ſ. B. Haberkorn. Diſp. iv. Syntagm. i. th. xl. ſ. p. 289. ſ. Diſp. v. p. 439. ſ. 449. 455. ſ. D. Mich. Waltherum in Spongia Moſaica, p. 573. ſ. Egregiam Summi qvondam noſtri Calovii Diſputationem de Admirabili cum Filio DEI Jacobi lucta, annô M. DC. LXIX. Wittebergæ habitam & ſemel atqve iterum ibi editam exſpecta propediem in

in uno Fascium nostrorum, si DEUS voluerit. In præsentia Te ablegamus ejusdem ad Calovii Harmoniam Calixtino-Hæreticam, p. 985. s. 996. 997. & Theologiam Naturalem & revelatam illius ipsius Theologi, p. m. 326. s. §. 109. s. edit. Lipsiens. & ad Tom. III. Systemat. p. 416. ad B. Dorschei Apologiam admodùm eruditam pro judicio Collegii Theologici Academ. Argentoratensis in caussa Joh. Latermanni dato, c. 11. p. 50. s. Item ad Joh. Forbesium à Corse, lib. VII. Institut. Histor. Theolog. c. V. p. 329. s. ubi multa è Patribus hùc facientia congessit. B. Michaël. Siricium, de Lachymis Christi, Disp. I. c. I. p. 8. s. Idem Christus fuit, qvem noctu in Samariæ campo vidit idem ille Jacob innixum scalis, pertingentibus ad cælum usqve; in qvibus adscendebant Angeli & descendebant, qvia ipse est, qvi cælum & terram conjungit rursus, qvæ per peccatum erant separata; Ipse est, qvi ministerium Angelorum, justitiam, vitam, & omnem sancti Spiritus gratiam ad nos dimittit. Ipse est, qvi dat Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Eph. IV. 11. 12. Jesaias vidit gloriam Christi sedentis in throno Majestatis, c. VI. 1. 2. 3. Joh. XII. 41. Ezechiel in curru admirabili vectum, c. I. Daniel in nubibus ad anti-

qvum dierum adductum, c. VII. 13. Zacharias inter myrtheta variis eqvis stipatum conspexit in I. c. 8. Reliqvas spectabiles ut pluribus exponere nihil necesse sit adparitiones Jesu Christi, factas Noacho, Lotho, Hagari, Moysi, Josuæ, Gideoni, Manoë & uxori ejus, Simsonis parentibus ac aliis non solùm in Vetere sed & in Novo Testamento, fecit egregiâ suâ Oratione jam tertii laudatus nobis in præfatione Fascis nostri, Wilhelmus Momma, qvam, rogati non semel, damus, in præsentia, destituti aliâ ejus Oratione inaugurali de Jesu Christo Domino & Servatore nostro, qvam annô M. DC. LXXIV. a. d. 13. Decembr. Hammonæ habuit & in publicum extrusit. Ceterùm ut gravibus ac sanctioribus immisceremus jucunda, addidimus Georgii Casparis Kirchmajeri, Scriptoris naturæ vi atqve ingeniô excellentis Delicias Æstivas, Jo. Henr. Höttingero, lib. I. Bibliothecæ Theolog. c. V. p. m. 176. laudatas, de Paradiso, Ave Paradisi Manucodiata, Imperio ante-diluviano & Arca Noæ cum descriptione Diluvii, IV. Dissertationibus comprehensas, ac Wittebergæ annô CIↃ. IↃC. LXII. in 8᷑. editas. Eximiæ ab ipso in Nepotem Cornelium ibid. annô M. DC. LXV. ac Tacitum profectæ notæ jam olim inlustrârunt & his in oris hunc Philologum, sicuti & non ita pridem grata doctis hìc illius ipsius præsentia, ut ad ejus celebritatem hìc aliqvid ad-
fer-

ferre ſupervacaneum credam. Ipſa de ave Paradiſiaca ſeqventia tradit Thomas Bartholinus, inter eos, qvi Medicinam bonis cum litteris conjunxêre, publicô celeberrimus omnium conſenſu, Centur. VI. Hiſtoriar. Anatomicar. & Medicar. rarior. n. LVI. p. m. 292. ſ. edit. Hafn. cIↃ IↃC LXI. in 8t. *De* Monucodiatis *fusè egerunt* Geſnerus, Aldrovandus, Nierenbergius, Jonſtonus, *ſed omnes in eo falluntur, qvòd apodes credant. Primus* Pigafeta *pedes adſtruxit, & poſt eum* Cluſius *in Auctar. Exotic. Ego cum pedibus elegantes aves poſſideo, qvarum unam Clariſſimo noſtro* Wormio *ſubmiſi, diligenter poſteà ab eodem viro deſiderato deſcriptam & delineatam, lib.* III. *Muſei, c.* XVII. *De filis binis ex dorſo excreſcentibus ea commentantur auctores, qvæ mihi non placent. Sutorio filo haud planè diſſimilia apud* Geſnerum, *lib.* III. *de Avib.* Gvilandinus *dixit, & eum inſeqvuti* Aldrovandus, *lib.* XII. *Ornithol. c.* XXI. Beſlerus *in Gazophyl. Rer. Natural. neqve exactè rotunda nec perfectè angulata, ſed figurâ inter qvadratum & rotundum mediâ. Setis eqvinis comparat* Cluſius. *Si oculô accuratô videantur, pennæ ſunt avis, qvæ prope dorſum in exortu plumas habent longiores, poſteà ſenſim decurtatas, ut vix compareant, ſunt tamen & ibidem curtæ per totam pennæ longitudinem & viſu & tactu conſpicuæ. Singula-*

re

re est in avium Paradisiacarum Rege, qvem describit & depingit Clusius *in Auctar. p.* 362. *&* Nierenbergius, *lib.* x. *Hist. Nat. c.* XIII. *qvòd harum pinnarum seu pennarum, extremitates ad unciæ longitudinem in orbem convolutæ sint, ab uno duntaxat latere tenuissimis villis præditæ, pronâ parte coloris viridis saturi splendentis. Ut vel hinc ex pennarum genere esse constet. Vidi hunc Avium Regem splendididissimum, sed minorem, in Technicotheca Augusta maximi Regis nostri Dn.* FRIDERICI TERTII, *qvô nihil elegantius. Hinc usus filorum ab auctoribus traditus vilescit. Nam quia pedes habent, filis non utuntur, ut ramis arborum adhæreant, & ob pinnarum densitatem molestior esset amplexus in femellis delicatioribus. Adhæc in omnibus, qvas vidimus, fila illa propendent, nisi solos mares ad nos deferri dicamus.* Hæc Bartholinus. Ad Qvæstionem verò: *an in statu integritatis futuræ fuissent Respublicæ?* ita respondet B. Jacob. Thomasius, Præfatione XVII. p. m. 90. s. edit. Lipsiens. M. DC. LXXXI. in 8t. *Non dubium est, malorum omnium, qvæ totô qvasi exercitu orbem terrarum in hanc usqve diem inundârunt, primam originem fuisse prævaricationem illam, qvâ in Paradiso primi Parentes à DEO defecerunt. Unde & hoc ultrò conseqvitur; si cautiores fuissent, illúdqve de non comedendo certæ arboris fructu mandatum non violâssent, & ipsos,*

&

& omnes eorum posteros nihil habituros fuisse miseriarum, qvibuscum jam colluctamur, bonorum autem omnium ubertatem fœcundissimam. In hac bonorum segete an etiam consociationes hominum Politicæ, qvas Respublicas vocare solemus, numerare conveniat, dubitari cœpit, ajentibus qvibusdam, aliis verò negantibus. Etsi autem fugiendæ sunt nobis qvæstiones curiosæ iis de rebus, qvæ, qvoniam ex factis infecta fieri neqveunt, pro impossibilibus in suo genere habentur: hæc tamen qvæstio qvantô plus habet, si mentis oculum rectè intendas, evidentiæ, tantò minus habere curiositatis credenda est. Neqve enim negari ea magnopere potest, nisi ab iis, qvi parentium in Respublicis (Rebuspubl.) imperantiúmqve discrimina simpliciter pro maledictione qvâdam peccatum secutâ reputant: pessimi profectò homines, & in sanctissimum Ordinem, qvem DEUS magni beneficii, non pœnæ, locô inter mortales miseros sancivit, omnino injurii. Qvorum hanc opinionem si nos, uti est meritò detestanda, valere jubeamus, contráqve firmiter teneamus, imperantibus majestatem suam ab ipso DEO concessam fuisse: apertissimum evadet, non fuisse homines in statu etiam integritatis perseverantes, hujus tàm insignis boni expertes futuros. Eqvidem id concedi facilè potest, exulaturum illo in statu fuisse abusum summæ potestatis, qvam Tyranni omnes in oppressionem miseræ plebis servi-

vi-

vilémqve subjugationem indultam sibi æstimant. Qvis autem propterea dicat, in illo generis humani beato statu ut abusum imperii nullum, sic neqve imperium ipsum fuisse futurum? Adeóne imperium esse nullum potest, nisi qvod subditos vexet, affligat, modis omnibus excarnificet? Nonne in hac ipsa nostræ gentis corruptione, Principes & reperti sunt olim, & jam reperiuntur pii, clementes, benefici, subditorum amantissimi, Patres patriæ? Qvalem & his provinciis per annos benè multos Divina concessit Benignitas JOHANNEM GEORGIUM, *Serenissimum Electorem nostrum. &c. Sed ut regrediar in viam, profectò non dubitem insanis fanaticorum hominum, qvi Magistratûs omnes pro carnificibus infamant, clamoribus vel unum opponere* JOHANNEM GEORGIUM *nostrum, dignissimum sanè, qvi, si peccare hominem numqvam contigisset, etiam in illo divinæ atqve inconcissæ felicitatis statu ad gubernacula sedisset Reip. Et verò civilium officiorum consociationem, qvòd veluti Politiarum omnium gluten est, locum eo in statu fuisse habituram, vel ex eo potest abundè ostendi, qvòd homo naturâ suâ est animal* φιλάλληλον *ac sociabile: qvod confirmat Aristoteles, clamat experientia, sibi qvisqve maximè attestatur. Qvæ autem, obsecro, potest esse societas laudabilis tantæ multitudinis sine aliqva Reip. forma? Qvæ porrò Resp. sine*

eorum, qvi obseqvuntur, qviqve imperant discrimine? Neqve enim verum est, qvod ajunt, subjectionem omnem pœnam esse præcedentis peccati. An non enim ipsi, ubi qværas, fateri cogentur, subjectionem, qvæ filios parentibus subdit, mansuram fuisse? Qvid? annon summa hæc est Creaturarum omnium felicitas ac perfectio, qvòd DEI imperiô continentur, illiqve obnoxiæ jussa sacro-sanctæ illius Majestatis expediunt? Ut omninò rectissimè pariter, atqve scitissimè dictum sit à non-nemine: DEO parere esse libertatem. Atqvi par, inqviunt, in parem non habiturus erat imperium. Respondere poteram, non sic omnem tolli Reip. formulam: illam relinqvi certè, qvam, qvia homines immediatè subjicit potestati divinæ, Theocratiam adpellare possumus: cujus utiqve simulacrum aliqvod orbi stupendum exhibuit Respublica Judæorum. Sed aliô qvoqve scutô retundi telum illud potest. Itáne verò in isto statu pares omnes fuissent? nulla sexuum, nulla ætatum, nulla consiliorum, nulla virium atqve facultatum naturalium discrimina? Aliqva fatemur esse in beatis Angelis, ut inter ipsos Hierarchiæ sit locus: in hominibus nulla penitus agnoscemus? Omnes tamen, inqvient, inter se pares natura communis fecisset: homines enim fuissent omnes, justi omnes à nativitate, nulliúsqve peccati labe fœdati. Profectò qvi

qvi ſic diſputant, non vident ſe tollere omnem gubernandi rationem non ex illo tantùm felici ſeculo, ſed & ex hoc mundo: ubi ut homines æqvè ſumus omnes, ut æqvali naturæ lege & ſuſcepti à parentibus, & nudi in hunc mundum projecti, ita neminem alteri obedire debere juxta illorum philoſophiam conſeqvatur. Grues videamus. In his multò magis, qvàm in noſtro genere, paria ſunt omnia. Et tamen non ordinem tantum inter eos certum, ſed & Imperium unius, qvi ceteros omnes antevolat, eſſe accepimus. Sed ſatis hac de re verborum. Hæc Thomaſius. De Paradiſo diximus nonnihil in part. II. Animadverſion. noſtrar. p. 232. ſ. & in Faſce noſtro II. p. 61. Hìc obſerves velim, Auguſtinum Torniellum in Annalibus ſacris, die Mundi tertiô, qvæſtiones IX. de Paradiſo breviter excuſſiſſe, putaſſéqve communi è ſententia, Paradiſum tertiô fuiſſe die conditum, contra Genebrardum, qvi in ſua ſecundô die exſtitiſſe Chronologia ſtatuit. Lege & Benedict. Aretium in Problem. Locô CLXXIX. col. 1030. ſ. edit. cIↄ. Iↄc. (ita enim emenda mendoſum numerum IↄI.) XVII. in fol. ut & Maximilian. Sandæum, Volum. I. Grammatici Profani, Commentation. XVI. §. XXIV. XXV. XXVI. p. m. 647. ſ. 702. a. b. ſ. Seqvitur B. D. Joh. Cluveri, *athletæ Chriſti*, encomiô Summi noſtri Calovii in præfatione in Ortho-

thotomiam Apostolicam memorati Cluveri, *dum in Eclesia militante agebat; non minùs præclari, qvàm strenui Professoris Sorani Theologi & Superintendentis Dithmarsi Regii* semel atqve iterum editus Soræ & Hamburgi annô M. DC. XXXIX. Regiomonti & Francof. 1643. in 4to eximius Chronologicus Computus, non ob argumenti dumtaxat dignitatem, sed etiam solidam rerum explicationem, perspicuâ brevitate, limpidissimis è sacrorum scriptorum fontibus deductam magni faciendus omnino; Concesserat qvippe Sanctus huic viro DEI Spiritus πιόνι μέτρῳ, προφητείας vel interpretandi donum eminentissimum, qvare & dictum præter Tractatum Paulli qvoqve Epistolas, sanctíqve Joannis explicavit Apocalypsin, ratus se non rectiùs talentum suum conlocare posse, qvàm in ea Novi Testamenti scripta, qvæ ut præ ceteris sententiis nervosis & mysteriis absconditis referta sunt: sic interpretem desiderant non sublimioris tantùm judicii, doctrinæqve exactioris, sed cumprimis Spiritus verè Theologici. Qvamqvàm & alia Theologi hujus optimi nobis suppetunt scripta. Ejus Elementa Eloqviorum DEI prodiêrunt in 12. Hafniæ, annô 1628. cum laude & adprobatione Venerandi Theologorum Collegii in Academia Hafniensi. Epitome Historiarum totius Mundi cum continuatione, *ab elegantia styli semper commendata* Cl. Cristoph. Adamo Ruperto, in p. m. 194. Methodi suscipiendi ac tractandi studii Philologico-

Historico-Politici, aliarúmqve meliorum litterarum, vel decies, si rectè memini, Germanorum & Batavorum operas fatigavit. Ejus Oratio de vera animi Tranqvillitate evulgata est Rostochii annô 1613. in 4to. Ubi annô 1627. in 4to curata qvoqve fuit illius ipsius Cluveri Dissertatio anniversaria, qvâ ostenditur, Romam Pontificiam esse Hierosolymam Apostaticam Domini interfectricem ex Apocal. 11. 8. Ejus Tuba Sionis Euangelica, seu Periocharum sollemnium, aliàs Euangeliorum, brevis & methodica consideratio exiit Lübecæ annô M. DC. XLVII. in 4to. Vitam Patris Cluveri descripsit in Præfatione Diluculi Apocalyptici, facti eodem à Joh. Cluvero, ac Lübecæ & Stralsundi annô 1647. in fol. editi, filius Michaël Cluverus Ecclesiæ Süder-Hartstadensis in Australi Dithmarsia Pastor, inseruítqve Decadi suæ tertiæ Memor. Theologor. renovat. Henning. Witte, n. VII. p. m. 356. s. edit Francof. M. DC. LXXIV. Aliâ occasione Harmoniam Cluveri laudati Euangelistarum dabo, secundùm Paschata & Itinera Domini, paullò accuratiùs, qvàm vulgò solet, digestam & RostochI editam annô M. DC. XXVII. in 4to. *S*ed satis de hoc. Accedit insuper præsenti in Fasce nostro, ut è Testam. qvoqve Novo, pro more nobis recepto, nonnihil subjungeremus, B. Hieronymi Kromayeri S. Theologiæ Doctoris & Professoris Senioris seu Primarii in Academia

Li-

Lipſienſi, elogiô B. Joh. Adami Schertzeri Egrani, Theologi itidem Lipſienſis in præfatione Commentario Kromayeri in Epiſtolam S. Paulli ad Galatas præmiſſa, *Theologi edecumati, Viri inſvetæ eruditionis, judicii acerrimi & memoriæ ſtupendæ*, Diſputatio ſollemnis de Vita Chriſti Lipſiæ habita ac evulgata. Ceperat hunc Theologum ſtatim ſub initium Profeſſionis ſuæ Academicæ verbi divini, ut par erat, amor, univerſam poſteà meditationibus illius verbi tribuens ætatem, in ſcrutinio ſacro verè conſenuit, Commentarióqve dicto in ad Galatas immortuus eſt Epiſtolam. Præter varia ejus ac erudita ingenii monumenta laudant Commentarium qvoqve in Apocalypſin, cujus ſecundam editionem eruditi diu deſiderârunt & multum. Sicuti & B. Ægidii Strauchii ſemel, iterum atqve tertiò nobis memorati, & poſthàc ampliùs laudandi Diſſertationem de B. Virginis Mariæ Natalibus. Dici non poteſt, qvantoperè ab amicis ad edenda Theologi illius ſcripta urgear, reſpondeóqve hìc & recipio publicè, me ſeqventibus propedièm in *Faſcibus* illis omnino gratificaturum. Iidem amici voluerunt qvoqve ut clauderem hunc Faſcem Hiſtoriâ Idumæâ ſeu Diatribâ de Vita & Geſtis Herodum ſummi in omni doctrina viri D. Chriſtiani Noldii, editâ Franeqveræ annô 1660. in 12. Feci, uti vides, mi Lector, ſperans non inutilem hujus Tractatus lectionem futuram, à qva utilitate, diligentia & acumine ipſum qvoqve commendavit o-

lim Cl. Schotanus in Epiſtola huic Diatribæ præmiſſa; ipſo qvamvìs à Noldio his in verbis, reperiendis in p. m. 22. notar. in Lectiones Dominical.* diſſentiat. *Hìc*, Luc. 11. 39. *tranſſilitur* inqvit, *hiſtoria adventus magorum, in c. 11. Matthæi, qvæ incidiſſe videtur paullò poſt purificationem. Nam Bethleem reverſis ipſis advenerunt. Hinc Joſeph in Ægyptum profugit. Non advenerunt Magi ante purificationem, ne hoc ipſum obſervaret Herodes, ſi qvis infantulus Hieroſolymam afferretur, in qvo notabile aliqvid ineſſet. Qvemadmodùm Symeon & Anna in ipſo templo de hoc puero per ſpiritum locuti ſunt. Non diu poſt eam, ut eos deprehenderent in Bethleem. Peractis enim omnibus domum ſe recepiſſent. Dicerem igitur eâdem ferè ſeptimanâ, qvæ purificationem ſeqvitur, adventum Magorum eveniſſe. Nil facit, qvod Papani conjiciant in diem 6. Januarii. id eſt 13. à natali.* Fructum ex iſtiuſmodi tractatibus percipiendum ſeqventibus verbis indicat Eraſmus, lib. III. Eccleſiaſtæ, p. m. 689. edit. opt. Baſil. M. D. XLIV. in 8t. *Idem nomen proprium pluribus eſt commune, vel unus nominibus duobus aut pluribus deſignatur. Prioris exemplum eſt: Apud Ægyptios multi reges dicti ſunt Pharaones, multi Ptolemæi: apud Babylonios multi Nabuchodonoſores: apud Judæos ſub Babyloniis multi Jechonia. Similiter in ſcripturis, plures Darii, plures Xerxes, plures Antiochi, plures Cyri.* Et in Euangelio leguntur tres aut plures Herodes, iidem nomine, perſonis diverſi. *Ea res etiam in humanis parit minùs attentis magnam con-*

* edit. Leovard. 1648. in 8t. Vide infra p. 421.

fusionem, in qvibus occurrunt multi Catones, multi Tarqvinii, multi Bruti, multi Scipiones. Idem usuvenit in nominibus locorum. Notum est omnibus, duas esse Galilæas, qvarum altera discretionis gratiâ dicitur Galilæa gentium. Ita sunt duæ Salem: altera juxta Jordanem in tribu Effraim olim ditio Sichimitarum, ubi legitur baptizâsse Joannes, Joannis tertiô, v. 23. altera, qvæ notiore vocabulô dicitur Hierosolyma. Eadem difficultas est & in humanis historiis, qvam ex parte discussit Stephanus, qvi scripsit de urbibus. Nunc posterioris exemplum accipe. Librô Paralipomenon secundô, Ochosiam regem trinominem reperimus, siqvidem capite vigesimô primô, v. 17. adpellatur Joachim natu minimus filiorum Jehoram, Idem mox proximô capite, v. 1. dicitur Ochosias: Constituerunt autem habitatores Hierusalem Ochosiam filium ejus minimum regem pro eo. Rursus in capite præcedenti, v. 2. qvum referuntur nomina filiorum Jehoram, pro Ochosia dictus est Azarias. Similiter qvi apud Matthæum in genealogia, c. I. 11. dicitur Jechonias, apud Lucam, c. III. 27. dicitur Neri. Idem in libris Regum & I. Paralipomenon c. III. 16. vocatur Joachim. Rursus qvi apud Lucam, c. III. 27. vocatur Sorobabel, Neemiæ tertiô, v. 30. dicitur Barachias. Sic Matthæus dictus est Levi: Paulus, Saulus. De locis res evidentior est, qvàm ut opus sit exemplis. Sed de homonymis & synonymis, qvoniam hoc argumentum plures habet sinus & anfractus, non ingredior altiùs. Qvi volet & cui vacabit, poterit super his plenius edoceri, libris Berosi,

Philonis, Josephi: tùm è Hieronymi variis annotationibus præcipuè è catalogis, qvos de locis contexuit, tum ex commentariis Aniani recentioris. Nec indiligenter hanc partem tractav t Joannes Driedo. Hæc Erasmus. Facit & huc Canon XXVIII. Centur. II. p. m. 20. B. Casp. Finckii: *In Scriptura sacra,* inqvit, *nonnumqvàm unum nomen proprium pluribus personis & rebus attribuitur. Sicut enim hodie Imperatores Romani à Julio Cæsare, Cæsares, ab Augusto, Augusti, ita qvoqve plures adpellantur nomine Pharaonis, (cui hodierni Barones respondere videntur) Abimelechi, Herodis, &c. Nomen verò Christi qvoad rem &* ὑπεροχὴν, *soli Filio Dei convenit. Unctus enim est, & qvidem secundum naturam humanam, præ suis consortibus, Psal.* XLV. 8: *Hebr.* I. 9. Confer B. Gerhardum de Interpretatione Scripturæ, c. XII. §. 184. p. m. 44. a. b. Tom. I. Locor. edit. Françof. M.DC.LVII. in fol. B. Mich. Waltherum, lib. I. Harmon. c. IV. Artic. I. §. 56. p. m. 30. edit. opt. Noriberg. M.DC.LIV. in 4to, D Sal. Gesner. Commentar. in Genes. p. m. 846. edit. opt. Witteb. M.DC.XIII. in 4to; Wilhelm. Stratemann. c. IV. Oratoris Ecclesiastic. §. 6. III. p. m. 113. (qvi numerus à mea manu est, destituitur enim paginarum numeris liber) edit. Schleusing. M. DC. LXII. in 12. Petr. Ravanell. part. I. Biblioth. sacr. p. m. 341. a. edit. opt. Genev. M. DC. LX. in fol. Joh. Buxtorf. part. II. Anticritic. c. II. §. V. p. m. 370. edit. Basil. 1653. in 4to. Tu de ea Noldii Diatriba, cùm leges, pro arbitrio tuo existimabis. Opus suum Concordantiarum Particularum Ebræo-

Chaldaicarum Veteris Testam. Havniæ 1679. in 4to editum, frustráqve à Joh. Buxtorfio, Mart. Trostio, Thoma Bangio, Joh. Svaningio, Christiano Ravio, & aliis fortè, tentatum, omnibus eruditis valde probavit. Domini Lipsienses sanè in Actis Erudit. Mens. Jun. annô M. DC. LXXXVII. p. 310. *summum ob laborem atqve ingenium* laudant illud. Cl. Dn. Andr. Acoluthus Uratislaviensis in de Aqvis Amaris, c. III. §. xxx. p. m. 180. edit. Lipsiens. 1682. in 4to, non ab re autumat, *qvòd stupendus in id insumptus labor, idémqve diu ab erudito exoptatus orbe, immortalitati* memoratum opus *jam adseruerit. Si qvâ igitur*, pergit, *inscriptione exornandum illud mihi foret, hâc meliorem vix in promtu haberem: IN TENUI LABOR.* Ipsum illum nonnihil & in Fl. voluisse Josephum, testatur B. Joh. Andr. Bosius in Exercitat. ad Periocham Josephi de Christo, c. III. §. XIV. addens, *præclarè* de eodem jam tum *in Historia Idumæa esse meritum.* NOLDIUS, inqvit Dn. Thomas Ittigius, Theologus omni doctrinâ eruditus, in p. m. 12. Prolegomen. ad Coloniensem cIↃ. IↃc. xci. in fol. Josephi editionem, *in Præfatione Historiæ suæ Idumææ non solùm aliorum, qvi de Josepho emendando cogitârunt, & in his Gerardi Joh. Vossii qvoqve meminit, & præterea post Scaligeri, Vossii & Petiti mortem Johan. Coccejum, & Christianum Schotanum in hunc laborem successuros sperare jubet, sed sibimet etiam ipsi ad arduum hoc opus adgrediendum animos non deesse significat. At Noldium & spes de Coccejo & Schotano fefellit, nisi Schotani Bibliothecam Historiæ sacræ Veteris Testa-

menti ob nonnulla Josephi loca inlustrata referre huc velimus, & ipse qvoqve Orbi Litterato ereptus est, anteqvàm, qvod pridem animô molitus fuerat, effectum dare posset. Hæc Ittigius. Præter adducta, pauca ex se nata reliqvit scripta: Leges distingvendi, seu de Virtute & vitio distinctionis opus exiit Amsterodami, ut in Titulo libri secundo habetur, vel Franeqveræ, ut in prima statim inscriptione invenio, annô M. DC. LVII. in 12. Sacrarum Historiarum & Antiqvitatum Synopsis Havniæ 1662. in fol. Logica, ibid. M. DC. LXVI. in 8t. Dispp. II. contra Nicol. Stenonii, Ecclesiæ Lutheranæ desertoris, Scrutinium Reformatorum; ibid. 1678. & 1679. in 4to. Fuit Hoybya Scanus, Noldius, natus d. 22. Jun. annô M. DCXXVI. Scholæ Landskronensis ab annô cIↃ. IↃc. L. ad M. DC. LIV. Rector, deinde finitâ peregrinatione Theologiæ in Academia Havniensi ab annô cIↃ. IↃc. LXIV. Professor; obiit d. 22. Aug. cIↃ. IↃc. LXXXIII. ætat. 58. Vide Erasm. Vindingii Academiam Havniens. p. 442. & Dn. Joh. Molleri, Viri diligentiæ exqvisitæ, Hypomnemata erudita ad librum Alberti Bartholini de Scriptis Danorum, p. m. 190. edit Hamburg. M. DC. XCIX. in 8t. Præcedit hunc Noldii Tractatum admodùm erudita Inqvisitio Philologica in Historiam Joannis Cl. Dn. M. Jô. Ernesti Butneri, qvæ se facilè qvibusvis ob doctrinam eruditis commendabit. Hæc in præsentia de consilio meo & opera, qvam probari tibi cupio, nescire te nolui. VALE. Lugduni Batav. a. d. VIII. Id. Octobr. ∞ IↃc Ic.

I.

I.

WILHELMI MOMMA

ORATIO

DE

Apparitionibus Jesu Christi

Habita Medioburgi,

CUM

THEOLOGIÆ PROFESSIONEM

Ibidem susciperet.

Anno 1676. *a. d.* 8. *Junii.*

Nobilissimis, Amplissimis, Magnificis Viris Dominis, Dominis, Prætori, Consulibus, Scabinis, Senatoribus illustris Civitatis Medioburgensis, Dominis meis.

Nobilissimi, Amplissimi Viri,



On aliud nomen tabulis his præfigi par fuit, qvàm cujus voluntate & jussu, qvæ in illis continentur, dicta sunt. Id vestrum est. Vestra voluit Autoritas, vestri fuit judicii, ut dicerem publicè. Meæ relictum est libertati, de qva re dicerem. Dixi de Jesu, qvem scire in vobis judicavi unicè. Peto ut si seqvi minùs videbitis orationem, benignè eam tamen, ut audivistis, legatis, & in rei memoriam asservetis. Nec ingrata vobis erit munusculi hujus parvitas. ξενίων δέ τε θυμὸς ἄριστος. Munerum animus optimus. *qvi se totum vestri muneris & beneficii factum agnoscit. Neqve in illorum Leges peccâsse me putem,* οὔτε πάντα, οὔτε πάντη, οὔτε παρὰ πάντων. Nec omnia, nec ubiqve, neqve ab omnibus. *Nam & chartas has licuit, & hic licuit, & mihi licuit darè, largiri & offerre.* Valete Ampliss. Viri.

Vestrarum Amplitudinum
Observantissimus

Mediob. 1676.
a. d. 12. Junii.

W. MOMMA.

N O-



Nobilissimi, Amplissimi, Magnifici, Prætor, Consules, Scabini, Senatores; Admodum reverendi, clarissimi verbi divini Præcones; Consultissimi, experientissimi Doctores, omnium ordinum Auditores honoratissimi, vosqve juvenes & Adolescentes melioris notæ, optimæqve spei.

PRæclarè inqvit Jeremias Vates, x. 24. ידעתי יהוה כי לא לאדם דרכו: לא־לאיש הולך והכין את צעדו *Novi Domine, qvòd non penes hominem* est *via ejus.* Nec *penes virum ambulantem disponere gressum suum.* Astipulatur Parœmiastes, Prov. xvi. 9. לב אדם יחשב דרכו ויהוה יכין צעדו: *Cor hominis cogitat viam suam, sed Dominus aptat, disponit, dirigit gressum ejus.*

Habet Deus *vias suas*; Esa. lv. 8, 9. habet & *homo suas.* Ut *cœli altiores sunt terrâ, ita altiores sunt viæ Dei nostris.* Attamen nostræ non sunt penes nos, sed in manu omnipotentis Dei. Ille moderatur illas, imperat illis, & ut sortis *conjectæ in gremium Judicium est â Deo*, Prov. xvi. 34. ita & viarum nostrarum eventus & exitus, initium & finis ab eodem est. ἐξ ἀυτοῦ, καὶ δὶ ἀυτοῦ, καὶ εἰς ἀυτὸν τὰ πάντα. Rom. xi. 36. *In ipso vivimus, movemur, sumus*, Actor xvii. 28. & qvod sumus, sumus. *Numeravit omnes capitis nostri capillos*; Matt. x. 30. qvidni omnes vitæ nostræ casus? *Definivit dies nostros. Numerus mensium nostrorum cum ipso.*

Modum nobis fecit & poſuit, *qvem non tranſibimus.* Job. XIV. 5. *Novit ſtare noſtrum & ſedere noſtrum. Intelligit cogitationes noſtras è longinqvo. Semitam noſtram cinxit, viam periclitatus eſt. Antrorſum & retrorſum obſidet nos. Et poſuit ſuper nos volam ſuam.* Pſa. CXXXIX. 2--4.

Docet id omnes eximiè rerum magiſtra experientia. Qvæ & meam idem luculenter edocuit tenuitatem. Ante ſeſqviannum Hammona, Marcani comitatus civitas primaria; ad profitendum me vocavit Theologiam. Illa cùm ad me venit vocatio, omnia alia cogitabam ego, & moliebar. Non potui illam contemnere, aut negligere; qvia honeſta erat, & honorabilis & votis olim noſtris congrua, & ἐπὶ συντάξεσιν οὐκ εὐκαταφρονήτοις. Petii Hammonam, exceptus ſum benevolè, & paulò pòſt Eccleſia Paſtoris munus inſuper addidit. Qvomodo duplici hâc functus fuerim ſpartâ, meum haut eſt dicere. Dicit id Hammonenſe teſtimonium, publicè, licet præter meam voluntatem, excuſum, omniumqve oculis expoſitum. Id unum dico. οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον οὐδὲ κεκοπίακα. Non inutilis viſus eſt labor meus, nec fruſtrà tempus contrivi, nec fruſtrà operam, qvam ſumſi, adhibui. Ita dum ſum, dumqve laboro, percrebeſcit fama, Medioburgenſes in Paſtorem ſuum me elegiſſe. Nec temerè exiit, aut ſparſa eſt. A paucis enim diebus advenerunt deputati, publicis literis inſtructi, offerentes non Paſtoratum tantùm, ſed & Profeſſoratum. Si unqvàm res inopinata, improviſa, inſperata, repentina contigit, certè hæc mihi talis fuit. Expoſuerunt ſine mora, qvæ habebant in mandatis. Docuerunt unanimi plurimorum conſenſu electionem factam & peractam. Narrârunt Eccleſiæ ſtatum, civitatis mirabilem motum, populi exſpectationem, & tantùm non viſi

ſunt dicere, qvod olim Vir ille *Μακεδὼν*, nocturnâ viſione Paulo dixit, Actor. XVI. 9. *Διαβὰς εἰς Μακεδονίαν βοήθησον ἡμῖν.* Objecerunt, peſſimè me mihimet ipſi conſulturum & famæ meæ, ni venirem. Igitur monere illi, petere, urgere, precibusqve omnibus orare & obteſtari. Fateor, Auditores, idem ferè mihi hìc eveniſſe, qvod olim Samueli, admodùm puero, Sacris muniis initiato, 1 Sam. III. 3--10. Somnum capiebat ille in Templo Domini. Inclamavit illum Jehova. Advolavit puer ad Heli ſacerdotem; dixitqve, הנני כי קראת לי. Jubet abire puerum Eli, & qvietem repetere, לא קראתי non-vocavi, inqviens. Ita & ſecundâ & tertiâ vice factum; donec intellexit Eli כי יהוה קרא לנער. *Dominum vocare Puerum.* Dimiſſô igitur rurſum illô, diceréqve juſſô, *Loqvere Domine, nam audit Servus tuus, ubi venit Dominus, & conſtitit, & clamavit* כפעם־בפעם *ut vice invicem, Samuel-Samuel*, reſpondit puer, דבר כי שמע עבדך: Ita & ego, ubi primùm de vocatione veſtra audivi, intuitus ſum illam, ut humanum fortè opus à *carne* & *ſangvine* profectum. Qvare mentem meam ab illa averti, ut à re, qvæ ad me non pertineret. Putavi, eſſe tantùm *Heli* qvemdam, qvi vocaret. Sed qvum deputati veſtri rationes ſuas expoſuerunt, totumqve negocium patefecerunt, & apertè docuerunt, evidenter hìc conſpici אצבע אלהים *τὸν δάκτυλον Θεȣ̃*, deliberatione habitâ, precibus multis fuſis, re cum amicis feriò & ſæpius communicatâ, iidem autores fuerunt mihi, ut cum Samuele reſponderem Domino, *Loqvere, Servus tuus audit. ἐγὼ δὲ τίς ἤμην δυνατὸς κωλῦσαι τὸν Θεόν.* Petita igitur dimiſſio, & ægrè, non niſi vehementibus inſtantiis impetrata tandem eſt. Omnibus ad abitum compoſitis, itineri nos dedimus, qvod & feliciter confecimus, & integri hanc

in urbem appulimus. Vix ingressi illam sumus & magna nos protinus corona cinxit, civitas sedibus excita, in acclamationes, applausus, gratulationes effusa, magnô numerô occurrit; siqve vulgò ut dicitur, *Vox populi* est *vox Dei*, qvid cogitârim, qvomodo commotus fuerim, facile est existimare.

Ecce ergo me, Auditores, qvem procul petivistis, qvem difficulter impetrâstis, & tantâ benevolentiâ, ut major nec exhiberi ulli, nec expectari à qvoqvam possit, excepistis.

Et ego qvidem non leviter gaudeo, adesse nunc horam, qvâ publicè ad vos verba facere, & ut mos est, & communi ubivis receptum consvetudine, qvæ in Legem qvasi abiit, neqve adeò à me prætermitti debuit, publicâ oratione Professionem demandatam inchoare, & initium illius ponere jussus sum.

Hammonæ, de *Jesu Christo* diximus. De eodem & nunc dicamus, non qvæ tunc diximus, sed qvæ præterivimus, nec attigimus. Nimirum dicemus de *Jesu Christi* Domini nostri *apparitionibus variis*, qvibus conspiciendum se exhibuit olim, & etiamnum exhibebit. Nobile argumentum. Copia dicendi multa. Id unum doleo, vix temporis satis me habuisse, ut qvæ huc faciunt, ritè colligerem, & qvô par est ordine componerem, & debitâ industriâ elaborarem. Qvare non injuriâ mihi occurrit Plutarchi Judicium, in Libello περὶ ἀγωγῆς. c. IX. 9. οἱ αὐτοσχέδιοι τῶν λόγων, inqvit, πολλῆς εὐχερείας καὶ ῥᾳδιουργίας εἰσὶ πλήρεις. οὔθ᾽ ὅθεν ἀρκτέον, οὔθ᾽ ὅπου παυστέον ἐστίν, εἰδότες. Et exempla magnorum Oratorum ante oculos versantur, qvi noluerunt ἐκ τοῦ παρατυχόντος, ἐκ τοῦ παραχρῆμα dicere ad populum. Magnus ille Pericles, qvi tonare, fulgurare, cælumqve terræ miscere fertur potuisse, vocatus ad dicendum, sæpe renuit, λέγων ἀ-

σύν-

σύντακτον εἶναι. Demosthenes, Oratorum Græcorum Princeps, Atheniensibus idem postulantibus aliqvando respondit. ὀ συντέταγμαι. Idem & ego facere causas habeo. Sed seponendæ nunc illæ sunt. Qvare ad bonitatem vestram confugio, Auditores, & suppliciter peto; audite benevolè, judicate benignè, ignoscite negligentiæ.

Ut autem modum teneat oratio, certos terminos constituam, extra qvos, si maximè velim, progredi non possim. Solemus Ecclesiæ tempora dispertire, in illa qvæ Legem antecesserunt, & qvæ Legem datam comitata sunt, & qvæ illam exceperunt. Legem illam puto, non qvæ dicitur *Moralis*, qvæ heri fuit, & hodie est, & solvi non potest, scripta in cordibus omnium, sed qvæ *Ceremonialis est*, & ritibus constat, & differentias ciborum, dierum, variasqve lotiones injunxit, & μέχρι καιρῦ διορθώσεως imposita tantùm fuit. Agamus igitur de apparitionibus, & qvæ ante datam Legem, & qvæ post datam Legem, & qvæ post sublatam Legem sanctis factæ sunt; & ab illis adhuc exspectantur.

In genere de illis præfari licet. Qvemadmodùm olim Deus innotuit Prophetis suis במראה *in visione* & ecstasi; ad nonnullos locutus בחלום *in somnio*. Cum nonnullis etiam egit פה אל־פה *os ad os*, פנים אל פנים *facie ad faciem* עין בעין *oculo ad oculum*, Num. XII. 6, 8. Deut. XXXII. 10. ita apparitiones Jesu Christi, factæ sanctis, nunc somniantibus illis, nunc ἐν πνεύματι γενομένοις, & in ἔκστασιν abreptis, nunc vigilantibus, & visibiliter, qvæ objiciebantur, conspicantibus factæ sunt, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *multis* scilicet *vicibus*, multisqve modis.

E qvo peccatum introivit in Mundum, non tacuit Deus, gratiam suam promulgavit, & promissiones eximiis aperuit præconiis. Locutus est

in Paradiso, eâdemqve sententiâ, qvâ κατάκριμα *condemnationem* Serpentis, etiam εὐλογίαν *benedictionem* pronunciavit mulieris. Locutus est cum Adamo, Abele, Setho, Enocho, Noacho, aliisqve. *In initio* fuisse τ̀ λόγον *Sermonem*, Joh. I. I. VIII. 25. & *ab initio, non in occulto locutum fuisse*, Esai. XLVIII. 16. unde & dicitur המדבר is qvi LOQVITUR, omnino certum est. Neqve ergo dicere absurdum *Sermonem* & in Paradiso verba fecisse, & ejus esse verba, qvæ posteà ad Patres facta sunt. Scimus itaqve Patres primævos Jesum Christum audivisse loqventem. *Qvâ* verò *formâ* illum viderint apparentem, nescimus. Tacuit id scriptura. Taceamus & nos. Tacente enim illâ qvid divinabimus, nisi incerta?

Abrahamo ut plurimæ dictæ sunt promissiones, ita & plurimæ ipsi factæ sunt visiones. *Exsultavit ille, ut videret diem Jesu, & vidit, & gavisus est* Joh. VIII. 56. Imo jam Jesum vidit, anteqvàm diem ejus vidit. Qvum *in visione* dixisset illi *Jehova, ne time, Ego clipeus Tibi*, & jussisset sumere *vitulam, Capram, Arietem, Turturem*, illaqve omnia in frusta secuisset, vidit *fornacem fumantem, & tædam igneam, qvæ transiit inter frusta illa.* Gen. XV. I. 8. 9. 17. Edoctus ita, Deum clipeum suum, servatorem, & Mercedem, appariturum aliqvando in similitudine fornacis fumeæ, & lucentis tædæ, & sic medios inter homines ambulaturum. Caro Christi assumta, humilis & contemta, obscura, & abjecta, instar fornacis fuit, plenæ fumô; Eadem divinis perfusa donis, lucens agnitione & amore Dei, conspicua facta insignibus operibus igneæ instar tædæ exstitit.

Jam anteà viderat *Melchisedecum*, *Regem Salem*, Gen. XIV. 19. virum illum, qvi dicitur ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ.

An-

Annon in hoc viro ipſum Jeſum, cui *juravit Deus, tu es ſacerdos in ſeculum, ſecundùm ordinem Melchiſedech*, Pſ. cx. 4. Heb. VII. 3 vidiſſe cenſendus eſt? illius certè ita induit perſonam Melchiſedech, ut poſſit ipſe Chriſtus videri, & Filius bis natus, ſi poſſibile eſſet, eum bis naſci.

Vidit & Hagar, ſerva Saræ, cùm immitem & inclementem Dominæ ſuæ effugeret ſervitutem. In deſerto invenit illam מלאך יהוה *Angelus Domini*. Gen. XVI. 7.-14. Qvi qvalis fuerit, ex ſermonibus, qvos habuit noſcitur. Promiſſa facit, ut ſua. *Multiplicabo ſemen tuum. Concipies, paries Filium.* Hagar agnovit יְהוָה הַדֹּבֵר אֵלֶיהָ *Dominum*, Jehovam, *ad ipſam loqventem*. Unde & *nomen ejus nuncupavit* אֵל רֳאִי *Deus videns me*. *Nam dixerat* הֲגַם הֲלֹם רָאִיתִי אַחֲרֵי רֹאִי *An etiam hîc vidi poſt videntem me*. Ergo vidit Hagar *Jehovam*, & illum qvidem Jehovam, qvi etiam eſt & dici poteſt, *Angelus Jehovæ*; ut & eſt, diciturqve, *Angelus faciei Jehovæ*, *Angelus fœderis*, hoc eſt, Jeſum Chriſtum, Servatorem & Dominum.

Abrahamus plura & majora vidit. Acceperat circumciſionem, ſaucius adhuc & infirmus ſedet ante januam tentorii. Effert oculos, videt *tres Viros*. Ad qvos progreſſus, dicit אֲדֹנָי *Domine*; memorat Scriptura paulò ante, וַיֵּרָא אֵלָיו יְהוָה *& apparuit illi Jehovah*. Gen. XVIII. 1, 2, 3. Si forſan diſplicet dicere cum Auguſtino, Ambroſio, Paſchaſio, aliiſqve, viſibiliter per viſibilem Creaturam inviſibilis inſinuatam eſſe Abraamo Trinitatis æqvalitatem, & in tribus Perſonis unam eamdemqve ſubſtantiam, certè diſplicere nemini poteſt, nec debet, ſi dicamus, *Filium Dei*, duobus ſtipatum Angelis, viſibiliter Abraamo apparuiſſe.

Non pauciora vidit Jacobus, Abrahami nepos,

Fugiebat שדה ארם *in agrum Syriæ.* In via ſomnum cepit, durô ſilice uſus pulvinari, qvem capiti ſuppoſuit. *Somniavit.* Et ecce סלם *ſcala, collocata in terra, & caput ejus pertingebat in cælum. Et Angeli Dei aſcendentes & deſcendentes in illa.* והנה יהוה נצב עליו *& ecce Dominus ſtabat ſuper illa*; Gen. XXVIII. 12, 13, 16, 17. Non peccabimus *ſcalam* hanc Jeſu † Chriſti fuiſſe figuram dicentes. Collocatus eſt in terra, qvâ homo factus è terra. Attigit cælum, qvatenus carnem ſuam evexit in cælum. *Deus ſuper ſcala* notavit divinitatem, qvæ humanitatem junctura ſibi & aſſumtura erat. Angeli aſcendentes & deſcendentes, Angelorum promta ſervitia, auxilia, tutelam, qvâ Filius hominis haut carere debuit, indicârunt. Qvod in ſcala ſomnians vidit Jacobus, id Diſcipuli Chriſti, omni qvô cum Chriſto vixerunt in terra tempore contemplati ſunt, juxta ipſius ſervatoris effatum, Joh. I. 52. *A nunc videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis.* Somnium hoc tantâ dulcedine Jacobum affecit, ut expergefactus dixerit, *Certè eſt Jehova in loco hoc, & ego non nôram. Qvàm reverendus eſt locus hic. Nil hoc niſi Domus Dei. Et hæc porta cælorum eſt.*

Redux in patrias ſedes, ad vadum Jabbok ubi venit, *luctatus* eſt *cum illo Vir ad ortum uſqve auroræ.* Dura hæc lucta fuit. Sede enim motum eſt *acetabulum femoris*, Gen. XXXII. 25--30. In illa fortiter & præclarè ſe geſſit. Non dimittere voluit Virum, uſqve *dum ab ipſo benediceretur.* Qvis hic

† Vide B. Joh. Georg. Seldii Scalam Jacobæam in 4to. B. Crameri Schol. Prophetic. Claſſ. ult. Vaticin. IV. p. m. 117. ſ. edit. opt. Hamburg. CIↃ. IↃCXII. in 8t.

hic Vir luctator fuerit, satis expressum est. *Ducem exercitus se gessit cum Angelo, & prævaluit. In viribus suis certavit cum Deo*, inqvit Hoseah, c. XII. 5, 6. Et ipse luctator, שָׂרִיתָ inqvit עִם אֱלֹהִים וְעִם אֲנָשִׁים *certâsti cum Deo & cum Hominibus*. Imò ipse Jacobus, *Vidi Deum facie ad faciem. Et evasit anima mea*. Videmus, Angelum Jehovæ, verum Deum, & futurum hominem, in forma humana & palpabili cum Jacobo concertâsse.

Memorabile est, Auditores; cùm ex Patria exiit domo vidit servatorem suum. Eundem vidit, cùm in illam rediit. Ita initiô peregrinationis longæ & molestæ, & in fine ejusdem, visione servatoris sui recreatus fuit, cujus gratiam semper expertus est, ab illo nepotibus suis Manassi & Ephraimo omnimodam comprecatus benedictionem; *Angelus, qvi redemit me ex omni malo; Deus, qvi pavit me ex qvo ego, usqve ad diem hunc, benedicat pueris his*. Gen. XLVIII. 15. 16.

Accessimus ad tempora Mosis, qvem Jehova *cognovit facie ad faciem*, Deut. XXXIV. 10. qvi τὸν ἀόρατον ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε, qvi περισσότερον πάντων ἑώρακε καὶ ἐθεάσατο. Is φοβηθεὶς τὸν θυμὸν τοῦ βασιλέως, derelictâ Ægyptô exstitit πάροικος ἐν γῇ Μαδιάμ. Hebr. XI. 27. Illi *in deserto montis Sina apparuit Angelus Domini* ἐν φλογὶ πυρὸς βάτου. *Ardebat rubus in igne*. וְהַסְּנֶה אֵינֶנּוּ אֻכָּל *& rubus non consumebatur*, Exod. III. 2, 3, 4, 5. Actor. VII. 29, 30. *Angelus Domini* in rubo vocatur paulo post אֱלֹהִים *Deus*, יְהוָה *Dominus*. Magna hæc visio! miraculum super naturam! Ignis omnia consumens non comedit rubum. *Rubus, terræ fructus*, sentis genus, præfigurare potuit humanam Christi naturam, humilem & contemtam; à qva & ipse פְּרִי הָאָרֶץ

fru-

fructus terræ dictus est. Es. IV. 2. *Flamma ignea* in rubo conjunctionem divinitatis cum humanitate: eamdem & indicavit *Dominus in rubo:* Imò *Flamma* illa lucem, charitatem, divina dona, qvæ Christus accepit οὐκ ἐκ μέτρου, notare potuit. Rubus ardens, nec *consumtus*, amicam cohabitationem Deitatis in humanitate. Cùm Deus sit ignis omnia consumens, ita Deus in homine assumto habitavit, ut humanitatis infirmitas à divinitatis non sit compressa, sed svaviter potius sustentata Majestate & potentia, ut carnis humilitas & ignominia convenerit cum divinitatis excelsissima gloria. Et ut rubus lucens, à Mose *spectatus* est, ita omnis caro spectavit gloriam Jesu, ut gloriam unigeniti.

Postqvàm eductus est Israël ex Ægypto, ambulavit ante illum in deserto Jehova in *Columna nubis* interdiu, & in *Columna ignis* noctu, Exod. XIII. 20. Qvid hoc, nisi Christi humilem apparitionem in carne ut nube, & ejusdem lucentem gloriam in nubea carne præsignificavit?

Post hæc decem verba pronunciata sunt de monte Sina. Descendit in illum Jehova in igne, & ascendit fumus ejus, ut fumus clibani, & tremuit totus mons valde. Vidit ita Israël, qvod ex cælo locutus est cum ipso Dominus. Hac de apparitione graphicè Ecclesia, Psal. LXVIII. 8, 9, 19. *O Deus cùm exires coram populo tuo, cùm gradereris in solitudine*, Selah! *Terra tremuit, etiam cæli stillârunt præ facie Dei, hic Sinai, præ facie Dei, Dei Israël.* Hunc Deum fuisse *Filium Dei*, testantur ejusdem verba Psalmi. *Ascendisti in altum.* Atqvi Filius Dei ascendit. Et Paulus, Hebr. XII. 26. οὗ ἡ φωνὴ τὴν γῆν ἐσάλευσε τότε. Visus ergo & auditus est Filius Dei *in die Ecclesiæ.*

Nonnullô interjectô tempore vidit Moses, A-

ha-

haron, Nadab, Abihu, & ſeptuaginta è Senioribus Iſraël את אלהי ישראל *Deum Iſraëlis*. Viderunt *ſub pedibus ejus, ut opus pavimenti Sapphir, & ut ſubſtantia cœli eſt in puritate.* Exod. xxiv. 10, 11. Eumdem Deum, qvem de monte Sina audiverunt, ſecundâ vice viderunt, Jeſum nimir. Dei Filium; & formâ qvidem humanâ; habentem *pedes*, ſtantem in pavimento Sapphireo, puriorem & clariorem cælô.

Ipſius Moſis memorabilis deſcripta eſt petitio, qvam fecit poſt fuſum vitulum, Exod. xxxiii. 18, 20. xxxiv. 6, 7. הראני נא את־כבדך *monſtra mihi qvæſo gloriam tuam.* Ita petiit Moſes. Sed reſpondit Deus, *Non potes videre faciem meam. Nam non videbit me homo & vivet. Videbis* אחרי *poſteriora mea. Tranſivit Deus coram facie ejus. Et clamavit, Jehova, Jehova, Deus miſericors & gratioſus, longanimis, multus gratiâ & veritate*, Filio Dei hæc competunt verba, qvi habitavit in nobis plenus χάριτος καὶ ἀληθείας. Illum Moſes prætereuntem intuitus eſt ὄπισθεν manifeſtô documentô, fore, ut Filius Dei, cujus facies & divina eſſentia à nullo viſa eſt, nec ab ullo videri poteſt, videatur & aſpiciatur in carne, qvæ & inter *poſteriora ejus* eſt, aſſumta in tempore.

Ut Tabernaculum Deus voluit fieri nomini ſuo, & Arcam federis, cum aureo operculo, qvod כפרת ἱλαστήριον, *propitiatorium* dicitur, in intimo ejus juſſit poni, promiſit, ut & implevit בענן אראה על הכפרת *in nube apparebo ſuper propitiatorium.* Lev. xvi. 2. Et qvia ſuper illud operculum erant *duo Cherubim*, inde eſt, qvod Jehovah dicitur *habitans inter Cherubinos*. Exod. xxv. 18--20. Ipſum *Tabernaculum* fuit typus Templi & Tabernaculi corporis Chriſti. Etiam *Arca* federis

ris figura ejus, in qvo eſt fedus, Juſticia & pax. *Propitiatorium* ejus, qvi eſt ἱλασμός. *Nubes* ſuper propitiatorium ejus, qvi carnem velut nubem induit, & in illa carne peccatum tulit & abſtulit. qvò factô omnia reconciliavit.

Ablatô è vivis Moſe non deſiit Dominus videri & apparere. Jehoſuah, Filius Nun extulit in campeſtribus Hierichuntis oculos ſuos. Vidit *Virum* ſtantem ex adverſo ſibi, *cum enſe ſtricto in manu.* Acceſſit ad illum Jehoſuah, & rogavit, *An nobiſcum Tu*, aut *num cum hoſtibus Noſtris?* reſpondit ille; *Non*, כי אני שר־צבא יהוה עתה באתי *ſed ego ſum Princeps exercitus Domini. nunc veni.* Jehoſ. v. 13-15. Qvem qvæſo hic figuravit, niſi Jeſum Chriſtum, qvi venturus erat in forma Viri. Qviqve eſt omnium Domiuus, Rex Regum, cui omnis poteſtas data in cælo & in terra.

Mitto viſionem, qvâ *Angelus Domini* אדני יהוה *Dominus Deus*, פנים אל־פנים apparuit *Gideoni*, Filio Joas; Jud. XVI. 2. Taceo, qvomodo videri voluit à *Manoah*, Patre Simſonis. Jud. XIII. Ea tantùm attingam, qvæ vidit *Elias*, *Eſaias*, *Ezechiel*, *Daniel.*

Elias ſtetit in monte coram Domino. Et *Dominus præteriit, & ventus fortis, rumpens montes, & frangens petras ante Dominum. Non in vento Dominus. Et poſt ventum terræ motus; non in terræ motu Dominus. Et poſt terræ motum ignis. Non in igne Dominus. Et poſt ignem* קול דממה דקה *vox auræ tenuis.* 1 Reg. XIX. 11-13. Hæc non incommodè forſan ita applicari poſſunt. Vidit Dominum viſibili qvâdam formâ prætereuntem. Præambulum illa ſcilicet fuit formæ illius humanæ, in qva Dominus ultimis diebus apparuit. Tunc verè venit cum *voce auræ tenuis*; non clamavit,

nec

nec audiri fecit foras vocem suam; calamum qvassatum non confregit, & linum fumigans non extinxit; Esai. XLII. 23. nec *in vento*, nec *in igne*, nec *in terræ motu* Dominus fuit; venit enim cùm pax esset in Judæa, cùm bellorum motus cessarent; unde & observatum est nonnullis tempore, nascentis Christi, in signum universalis Pacis, *Templum Jani*, qvod index pacis & belli Romæ fuit inde à tempore Numæ, clausum fuisse. licèt ante Domini adventum multi motus, ignes, venti orbem qvassârint, hominesqve sedibus suis excusserint.

Esaias vidit illô ipsô, qvô Rex Ussias mortuus est annô, c. VI. 1-4. אדנ׳ *Dominum sedentem in solio alto & excelso*, indutum togâ, *cujus fimbriæ implebant Templum*. Vidit *Seraphinos stantes supernè ipsi*, *sex alis* instructos, & *clamantes* altâ voce, SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS *Jehovah*, Deus *exercituum*, *plena est tota terra gloriâ ejus*. Joh. XII. 41. Verè enim hæc ejus gloria est, qvòd induit carnem, & totum Templum illius carnis implevit, præsentiâ & arctissimâ divinitatis suæ unione honoravit, donis exornavit, cinctus Angelis, attestantibus de gloria, qvæ Deo est in altissimis, de Pace, qvæ in terris, de complacentia, qvæ in hominibus. qvæ gloria totam terram implevit. *Manifestata est gloria Domini, & vidit omnis caro. Jehova Deus noster, qvàm magnificum exstitit nomen tuum in tota terra!*

Ezechiel, Filius Busi, c. I. vidit *qvatuor animalia* דמות אדם *similitudine hominis*, qvatuor facies, faciem hominis; & leonis ad dextram, faciem bovis & aqvilæ à sinistra, & totidem alas habentia. Vidit *rotas*, מלאת עינים *plenas oculis*, qvæ ibant, cùm irent animalia; &

sur-

ſurſum ferebantur, cùm ferrentur animalia: *Spiritus enim* animalium *in rotis* erat. Vidit ſuper capitibus animalium *expanſum*, ut *aſpectus glaciei metuendæ.* Et ſuper *expanſo ut aſpectum lapidis Sapphir*, *ſimilitudine ſolii*, ועל דמות הכסא *&* *ſuper ſimilitudine ſolii*, דמות כמראה אדם עליו מלמעלה *ſimilitudinem ut aſpectus hominis ſuper illud ſupernè*. Vidit à *lumbis* ejus & *ſupra*, imò & *à lumbis & infra*, *ut ſpeciem ignis*, *& ſplendor erat ei undiqvaqve*, ſimilis קשת *iridi*, qvæ *in nubibus*. הוא מראה דמות כבוד יהוה *hîc fuit aſpectus ſimilitudinis gloriæ Domini.* prolapſus Ezechiel in faciem *audivit* קול מדבר *vocem Loqventis.* Sive, cujus *hoc nomen cognoſcitur* qvod ille המדבר *Is qvi loqvitur* Eſ. LII. 6. Sine dubio & hæc fuit *gloria* Jeſu Chriſti, futuri *hominis*, qvi homo factus *Thronum* conſcendit, regnum occupavit, multo cum *igne*, effuſis donis ignei Spiritus in omnem carnem, & *ſplendore*, qvi in Euangelii præconio, in operationibus miraculoſis, in converſione tot animarum; in judiciis memorabilibus effulſit eximiè, qvi eſt ἐν μέσῳ τῶν τεσσάρων ζώων, pro qvibus & mactatus eſt, qvæqve emit Deo; qvibus *Angeli*, pleni oculis, luce & cognitione, perpetuò adſunt, & *rotarum* inſtar in illis verſantur & aguntur. Apoc. V. 6. 9.

Nec minus eſt, qvod Daniel vidit; c. X. 5. 6. *Virum* nimir. unum לבוש בדים *indutum talari*, *cinctum lumbis* בכתם אופז *aurô optimô*; cujus *corpus* ut *Tharſis*; *facies*, ut *aſpectus fulguris*: *oculi* ut *tædæ* igneæ; *brachia*, ut *æs* politum; *vox* ut vox multitudinis. Virum hunc Nebucadnezar viderat in ſimilitudine *Lapidis exciſi à monte*; Dan. II. 45. eſtqve Jeſus Chriſtus, Lapis Iſraëlis, cui inæ-

inædificata eſt Eccleſia; *Lapis vivus*, ad qvem accedit omnis credentium turba.

Patet, Auditores, qvomodo & ante Legem, & ſub Lege, Jeſus Chriſtus Dei Filius, de qvo teſtatus eſt Pater, de qvo ſcripſit Moſes, qvem exſpectârunt Patres, qvem tot umbræ & figuræ prædelineârunt, variis formis, & diverſô σχήματι ſubinde conſpici voluit, qvò ſanctos in fide & ſpe ſanctiſſima confirmaret futuræ ſuæ admirandæ & myſteriorum pleniſſimæ incarnationis; qvæ ſi non debuiſſet fieri, nec multum è re fuiſſet, Jeſum viſibiliter conſpici.

Qvod igitur omnes antè factæ apparitiones intenderunt, qvod omnium ſumma, caput & πλήρωμα eſt, id nunc addamus. *Qvum venit temporis plenitudo, emiſit Deus Filium ſuum, natum è muliere, factum ſub Legem* Gal. IV. 4. *Deus manifeſtatus eſt in carne, juſtificatus in Spiritu, viſus Angelis, prædicatus in gentibus, creditus in mundo, evectus in gloriam* 1 Tim. III. 16. *Sermo caro cœpit eſſe, & habitavit in nobis plenus gratiæ & veritatis, & contemplati ſumus gloriam ejus, gloriam ut unigenti.* Joh. I. 14. *Ita ſermo vitæ*, qvi *erat ab initio, auditus* eſt, *oculis viſus, manibus attrectatus.* 1. Joh. I. I. Deus ſtetit *in cœtu Dei*. Exivit è Betleem. Reverſus eſt ad Zionem. Hieroſolyma exſtitit *Solium* Jehovæ. Pater æternus natus eſt puer. Omnipotens factus eſt ut unus è nobis.

Miremur, Auditores, in hac σωτηρίῳ ἐπιφανείᾳ, ſublimitatem & humilitatem, pulchritudinem & deformitatem, honorem & ignominiam, divitias & paupertatem.

Deus & Homo exſtitit una Perſona. pulchrior fuit homo præ omnibus Filiis hominum. Gratia ſuper labia ejus effuſa; ſanctus, expers maculæ, immunis à labe, natus è virgine, peccatrice, ſine

peccato, conceptus ex ſpiritu, unctus oleô alacritatis præ omnibus conſortibus. Humilis fuit, prodiens ut virga è ſtipite, ut ſtolo & radix è terra arida, non forma illi, non aſpectus, non reverenda Majeſtas. Viſus eſt, ſed non concupitus. Spectatus, ſed non æſtimatus. Rex Regum accepit formam ſervi, ipſe qvaſi factus ſervorum ſervus. Natus in ſtabulo, procul a Regia, exceptus faſciis vulgaribus, orbatus Regiâ purpurâ. Venit pauper & inops, eqvitans in aſino, comites habens, qvi erant macula populi & opprobrium Virorum, chari tamen Deo, pretioſi Angelis, adſertiqve cælo.

Ita viſus eſt, ita apparuit non breve tempus; non paucas horas, ſed complures annos, multoſqve dies. Ibi inviſibilis viſus eſt. Æternus tempori ſubjectus eſt. Et infinitus in fines noſtros qvaſi incluſus & redactus eſt. emenſus omnes vitæ noſtræ gradus, ætatis differentias; conditionis diverſitates.

Hâc durante apparitione aliter & aliter etiam apparuit. In monte Ithabirio glorioſè transformatus eſt. Fulſit facies ejus ut Sol. Exſtiterunt veſtimenta ejus alba ut lux. Vox delata ipſi eſt à magnifica gloria. Petrus, Johannes, Jacobus facti ſunt ἐπόπται τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος. Viderunt Moſen & Eliam colloqventes illi, enarrantes exitum illius, qvem ἔμελλε πληροῦν ἐν Ἱερουσαλήμ. Matth. XVII. 2. 2 Petr. I. 16, 17. Luc. IX. 30, 31. In horto Getſemane horribiliter tentatus eſt. Cœpit ibi *triſtari*, & graviſſimè *angi*, cœpit ἐκθαμβεῖσθαι, & ἐν ἀγωνίᾳ εἶναι. Sudavit *ſangvinem*, qvi copioſè defluxit in tellurem. viderunt hanc ejus deformationem (abſit verbo invidia,) qvi antea ſpectaverant eximiam ejus transformationem.

Viſus eſt paulo poſt venire ex Edom, prodire

fer-

fermentatus veſtibus ex Botzrah, ambulare in medio duorum latronum, ferre crucem ignominioſam, caſtigatus, ſputô maculatus, virgis cæſus, ſpinis coronatus; Viſus eſt è cruce pendens, peccatum factus & maledictio, inſtar Serpentis exaltatus, à Deo deſertus, θέατρον & exemplum factus dedecoris mundo & hominibus.

Hîc illius infimâ & miſerrimâ conditione omnis creatura commota eſt. nam & ſol, mundi oculus, longam paſſus eſt eclipſin, & ſpiſſiſſimis obductus tenebris. Terra commota eſt; petræ ſiliceſqve diſſiluerunt; velum templi ruptum eſt, & monumenta aperta ſunt.

De cruce ablatus in ſepulchrum eſt incluſus. Ita ille, qvi hactenus viſus erat in terra, cœpit ad horam non videri. dormivit, ſed ſomnus hic dulcis ipſi fuit. Exivit enim è monumento, rurſum introductus eſt in habitabilem, & qvi ἐγένετο νεκρὸς, à nunc ζῶν ἐστι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Apoc. I. 18. II. 8. III. I. IV. 9. 10. θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει. Rom. VI. 9. Dedit illum Deus ἐμφανῆ γενέσθαι, non populo omni, ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις. Actor. X. 40, 41. ὤφθη Κηφᾷ, εἶτα τοῖς δώδεκα. ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ. ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ. εἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν. I Cor. XV. 5, 6, 7. Deniqve βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. Actor. I. 9.

Ita, qvi hactenus in mundo fuerat, & mediô terram perambulârat pede, exivit è mundo, & dereliqvit illum, & rurſum abiit ad Patrem ſuum, neqve amplius in terra eſt, nec videtur in illa.

Haut tamen deſiit apparere, qvamvis deſierit inter homines converſari & vivere. *Viderunt hoſtes* ejus *à tunc Filium hominis ſedentem ex dextra potentiæ Dei.* Matt. XXVI. 64. Stephanus Martyr, ἀτενίσας εἰς τὸν οὐρανὸν εἶδε δόξαν Θεοῦ, cælos apertos, &

Jeſum, *Filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Actor. VII. 56. Ultimo omnium etiam Saulo, ὡσπερεὶ ἐκτρώματι. apparuit; 1 Cor. XV. 8. qvi qvum eſſet in via prope Damaſcum, cinctus eſt luce cæleſti, audivit vocem, Saul, Saul, qvid me perſeqveris, Ego ſum Jeſus, qvem tu perſeqveris. σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν. Actor. IX. 3-5.

Nec abſonum cogitare, Paulum qvum raptus eſt in tertium cælum, in Paradiſum, ubi audivit ἄρρητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι. Dominum ſuum vidiſſe. 2 Cor. XII. 2. 4. Ut ita verè dixerit 1 Cor. IX. 1. οὐχὶ Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν κύριον ἡμῶν ἑώρακα? habueritqve magnas cauſſas efferre & prædicare ὀπτασίας καὶ ἀποκαλύψεις κυρίου ipſi factas.

Qvid verò dicemus de Joanne, dilecto Chriſto Apoſtolo? Qvid eſt illius Apocalypſis, niſi una continuata apparitio? Initiô vidit Jeſum ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου, ἐνδεδυμένον ποδήρη, περιεζωσμένον πρὸς τοῖς μαστοῖς ζώνην χρυσῆν. Vidit *caput* illius, *crineſqve* albos lanæ niviſqve inſtar, *oculos*, ut flammam ignis, *pedes* ſimiles chalcolibano; *vocem*, ut vocem aqvarum, *in dextris* ejus *ſeptem ſtellas*, *ex ore exeuntem gladium ancipitem*; *lucentem*, ut *ſol lucet in potentia ſua.* Apoc. I. 13--16. Doceat vos hæc apparitio, Auditores, Jeſum, non depoſuiſſe *Filium hominis*, ſed humanam naturam etiam atqve etiam tenere; Non eſſe nudum, qvi nudus pependit in cruce, ſed geſtare Eccleſiam ſuam, ſanctoſqve, qvi ſunt in cælo & in terra, ut veſtem ſuam & ornatum ſuum; continere divinâ poteſtate omnia, qvæ data ipſi ſunt. qvemadmodum in hominibus balteus ſignum ſolet eſſe poteſtatis, & aurum, pretioſiſſimum omnium rerum, in ſacris pro ſymbolo venire divinitatis. omnem, qvâ utitur in ſuos, poteſtatem amore mixtam & temperatam eſſe, & ubertate lactis, qvod ex uberibus deſtillat, illos reſi-

reficere & recreare. Doceat vos Jesum esse *album*, sanctum, purum, & in se, & in membris, qvæ aliqvando erunt sine ruga & macula; omnia *illustrare*, & igneis qvasi oculis pervidere; pedibus subjecta habere omnia, & æris gaudere duratione & constantiâ, & thuris odore ac limpidâ perspicuitate. vocem ejus diffusam esse per omnia, & longè latéqve audiri; tenere stellas, & providere Ecclesiæ suæ de idoneis doctoribus, illósqve exornare necessariis donis; verbum ejus, qvod ex ore ejus exiit, manifestare se ad conscientiam, & omnes nodos resecare improbitatum, mendaciorum & errorum. Doceat deniqve Jesum esse totum lucidum, plenum veritate, sanctitate, lætitiâ; qvarum Lux Symbolum hieroglyphicon habetur.

Dein vidit Jesum, Filium hominis *sedentem in Throno*, ὅμοιον ὁράσει λίθῳ ἰάσπιδι καὶ σαρδίνῳ *similem aspectu lapidi Jaspidi & Sardino* Apoc. IV. 2, 3. Ut noscamus, Jesum sedere in Throno Patris Davidis, & regnare super Domum Jacobi in secula, & regni ejus non esse finem. In Jesu esse virtutes & vires omnes, qvarum umbræ & figuræ in nitidissimis deprehenduntur gemmis. In *Sardio* est nitor, & rubor subalbicans; talis promemodùm color, qvalem habet ungvis, qvi carnem tegit. agnoscamus Christi nitorem, innocentiam, viscera misericordiæ. *Jaspis* aliqvot dicitur esse colorum, viridis, cerulei, purpurei, rubri. Rubram sangvinis inhibere fluxum & præstantis omninò esse naturæ, qvemadmodùm in vereri est versiculo, *Auro qvid melius? Jaspis: qvid Jaspide? virtus.* Agnoscamus Christi abundantiam & divitias, est omnia omnibus, abluit sangvines culpásqve Hierosolymæ è medio ejus. & nil illô melius & præstantius.

 Pau-

Paulò pòst vidit Jesum in medio throni, & qvatuor animalium, & in medio presbyterorum repræsentatum ut ἀρνίον ἑστηκὸς, ὡς ἐσφαγμένον, ἔχον κέρατα ἑπτὰ. καὶ ὀφθαλμοὺς ἑπτά. Apoc. V. 6. XIV. 1. Teneamus, victimam & mactationem Jesu Christi in perpetua coram Deo esse memoria; Jesumqve promissionem spiritus accepisse, illumqve effundere in omnem carnem; & mittere in omnem terram.

Angelus ille, qvem vidit Johannes ascendere ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου, qvi habuit *sigillum Dei vivi*, qvô *obsignavit servos Dei*, forsan & ipse *Jesus* fuit, cujus ortus est ante solem, qvi est germen ex alto, in qvo credentes obsignantur spiritu promissionis sanctô Apoc. VII. 1, 3.

Imò & ille, qvi venit & stetit *super altare, habens thuribulum aureum*, & θυμιάματα πολλά, ut *det precibus sanctorum omnium*, Apoc. VIII. 3. Christus est altare. in se ipso stat. suô meritô vivit & regnat. abundat suffimentis, qvæ sunt merita ipsius & justitia. illa dant vim & efficaciam precibus sanctorum, illasqve svaviter faciunt coram Dei throno olere.

Certè Angelus, qvem vidit Johannes *ex cælo descendentem, nube amictum*; super cujus *caput erat iris, cujus caput ut sol, cujus pedes* ὡς στῦλοι πυρός, Apoc. X. 1. Christus fuit; cujus ortus & exitus è cælo est; qvi in nube ascendit, in nube descendet, & nubem pro vehiculo habet; qvi instar iridis, sub toto cælo sese extendentis, immensitate suâ complectitur omnia; & gratiæ memoriam servat excitatqve divinâ intercessione apud Deum, ne aqvæ internecionis suffocent Ecclesiam, ut olim aqvæ diluvii interfecerunt omnem carnem. qvi est sol justitiæ, lux vitæ, illuminans omnia; & cujus

pedes candent & flammant, in ſignum potentiæ, qvâ pollet; & iræ, qvâ in hoſtes exardeſcit.

Apparuit ſignum magnum in cœlo. id qvod etiam vidit Johannes. mulier amicta ſole, gravida, qvæ peperit *Filium marem*, qvi paſcit *gentes virgâ ferreâ*, & raptus eſt *ad Deum & thronum ejus*. Ita Johannes ſecundâ qvaſi vice Filium Dei vidit naſcentem, Apoc. XII. 1-5. 7. qvem nôrat cælos jam ingreſſum. ſed & hâc viſione commendata eſt ſanctis perpetuâ memoria ſalutariſſimæ nativitatis, ſine qvâ ſi fuiſſet: Chriſtus frater noſter nunqvàm exſtitiſſet. Eôdem ferè momentô vidit Johannes *Michaëlem* pugnantem cum *Dracone*. Eum docuit vox cæleſtis eſſe *Chriſtum*. igitur qvem anteà ut infantem, ut puerum, eum nunc ut Michaëlem, omnia vincentem, in omnia dominantem, intuitus eſt.

Claudat agmen inſignis illa apparitio, in qva vidit cælum apertum, eqvum album, & ſedentem in illo, dictum *Fidelem & verum*, *qvi in juſtitia judicat & belligerat*, vidit ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ διαδήματα πολλά. & *nomen ſcriptum*, ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ αὐτός. vidit illum indutum *veſte tinctâ ſangvine*. Et nomen ejus vocatur, ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Apoc. XIX. 11-13.

Hic certè Jeſus Chriſtus eſt *ſermo*, ſermo vitæ, ſermo Dei, cui judicium datum eſt in omnia. Veſtem oſtendit ſangvine tinctam, ut Eccleſia ſciat, memoriam paſſionis Chriſti, meritum ſangvinis, virtutem paſſionum non obſoleſcere, perpetuò vigere, per hunc ſangvinem mundum vincendum eſſe, & qvæ in mundo.

Et hæc qvidem Johannes vidit. Superſunt tamen adhuc alia. Prædixit Chriſtus, Matth. XXIV. 30. *apparitururum ſignum Filii hominis in cælo*,

abſit, †

absit, † ut cogitemus ante diem novissimum figuram crucis visibiliter in aëre & nubibus apparituram. Id verò putemus; plenissimum hujus verbi implementum adhuc exspectandum esse.

Ap-

† *Absit*) At in opinione ea fuit Rodolph. Gvaltherus Tigurinus, qvi, auctore Höttingerô in p. m. 48. Scholæ Tigurinorum Carolinæ, *remos*, *transtra*, *vela suppeditavit* Theologiæ Reformatæ in Homil. CCLXXX. in Matthæum; p. m. 186. a. b. edit. Tigur. M. D. LXXXIV. in fol. ita scribens: *Ceterùm evidentiùs de suo adventu loqvitur Christus. Tunc apparebit (inqvit) signum Filii hominis in cælo, & tunc omnes tribus terræ plangent, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum potentia & gloria multa. Alludit ad rem militarem & morem principum, qvi adversus hostem egressuri arma sua proferunt, dumqve vexilla militaria exserunt, vindictam justam minantur. Pleriqve veterum crucem interpretantur, cujus imago (teste Eusebiô) cum hac inscriptione apparuit Constantino Magno, IN HOC SIGNO VINCES, qvando adversus Maxentium movit, ut Ecclesiam adjuvaret, qvæ prorsus deserta videbatur. Qvia enim Christus per crucis meritum vicit omnem adversariam potestatem, crucis qvoqve signum victoriæ nostræ præ aliis convenit, & per eamdem ipsi qvoqve vincemus. Prodest in hujus consideratione diligenter & sæpe versari, & pudeat aliqvid adversum timere, cùm ipsa Crucis vox nobis victoriam certam polliceatur.* Et Homil. CXI. in Marc. XIII. p. m. 171. b. ibid. & eôdem annô edit. *Qvale illud signum futurum sit, non dicit. Veterum pleriqve Crucem in nubibus apparituram putant, qvorum sententia non absurda mihi videtur. Per hanc enim Christus adversariam potestatem omnem devicit, & ad crucem omnes eos vocat, qvi ipsius discipuli censeri volunt,* Matth. XVI. 24. *Nec temerè fit, qvòd piorum afflictiones omnes crucis nomine comprehenduntur. Et qvantùm humanô judiciô colligi potest, nullum illô die signum esse poterit convenientius. Crux enim & impios arguet, qvi Christum perse-*

cuti

Apparitiones omnes claudet noviſſima illa, qvum veniet Filius hominis in nubibus cæli, cum poten-

cuti ſunt, *juxta illud prophetæ*: Zach. XII. 10. *Videbunt in qvem pupugerunt*: *&* *piorum fidei teſtimonium feret*, *qvi in Chriſto crucifixo ſpem ſalutis omnem collocârunt. Neminem ergo etiam hodie crux offendat*, *qvando hæc olim victoriæ & gloriæ Chriſti ſignum futura eſt. Et fortaſſis non ineptè huc referri poteſt*, *qvòd Conſtantino Imperatori*, *qvi primus eccleſiæ pacem contulit*, *adverſus Maxentium arma ſumpturo crucis imago in cælis apparuit*, *cum hac inſcriptione*: *In hoc ſigno vinces*, *Euſeb. de vita Conſt. lib.* 1. Conſentit Wolfgangus Muſculus Duſanus, cujus in p. m. 486. Commentar. in Matth. edit. Baſil. CIↃ. IↃC. XI. in fol. hæc ſunt verba: *Signum filii hominis in cælo qvidam volunt eſſe ipſum Chriſti corpus*, *teſtimonia paſſiones habens*, *vulnera manuum*, *pedum ac lateris*, *ut Chryſoſtomus expoſitione ſecundâ ſentit.* Qvidam *verò ſignum crucis intelligunt*, *qvod vero ſimile eſt. Ex iſtis eſt & Chryſoſtomus expoſitione primâ*, *qvi & rationem ſigni hujus tradit*, *juſtificationem videlicet Chriſti*, *cum inimicis ſuis judicium ingreſſuri. Veluti ſi qvis lapide percuſſus*, *lapidem ipſum contra percuſſorem ſuum ſecum ferat ad judicium.* Mihi *videtur hoc crucis ſignum fore triumphale contra omnes impios*, *ipſumqve Mundi principem*, *& ſimul ad liberationem electorum erigendum. Ita ſcilicet qvod Judæis eſt ſcandalum*, *& gentibus ſtultitia*, *cum ſummo olim honore ad nunqvàm finiendum impiorum terrorem ac mœrorem apparebit. Habent reges ac principes Mundi hujus ſua inſignia*, *qvæ urbium portis præfixa*, *regnantium dominium ac poteſtatem indicant*: *Ita crux*; *ſignum Chriſti*, *ubi in nubibus apparebit*, *omnium oculis ſignificabit*, *Jeſum hunc crucifixum*, *Dominum eſſe cæli ac terræ*, *ut ii*, *qvi nunc credere nolunt*, *nunc ipſis oculis videant & perhorreſcant.* Ad mentem, ut puto, Mommæ faciet Matthias Flacius. *Signum*, inqvit in p. 106. a Gloſſæ, edit. Baſil. M. D. LXX. in fol. *id eſt*, *ipſum Filium hominis in ſua humana*

 ſpe-

tentia & gloria magna, Matt. xxiv. 30. cùm descendet de cælo cum celeusmate, cum voce Archangeli, cum buccina Dei, 1 Thess. iv. 16. qvam apparitionem ita descripsit graphicè Johannes, Ap. I. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit illum omnis oculus, & qvi illum transfixerunt, & plangent super illum omnes tribus terræ. Næ, Amen.*

Tunc resurgent mortui. tunc condemnabuntur injusti. tunc in gloriam assumentur Patris benedicti, tunc præteribunt cælum & terra. tunc ex carne nostra videbimus Deum, & oculi nostri videbunt, & non alienus. tunc contemplabimur Regem, in pulchritudine sua. videbimus illum sicut est. cognoscemus, ut cogniti sumus. tunc πάντοτε *semper* cum illo erimus. coram throno Dei, servientes illi nocte & die in Templo ejus. tunc

specie gloriosè adparentem cernent, qvô visô perterrescent & plangent omnes Sic etiam Daniel. vii. 13. *s. super nubes filius hominis conspicitur: ac videtur hic Dominus adludere ad eum locum.* Et paullò post: *Signum hìc ipsam rem aut personam Christi notat. Vide vocem Signi in Hebraismis.* Nos cum B. Leonh. Hüttero, è Disp. xv. in August. Confess. §. 27. *de signo Adventus filii hominis, qvale illud futurum sit, libenter ignorantiam nostram fatemur. Signum sanctæ Crucis, iris, aut fulgur num sit futurum, vel qvidqvid tandem erit, experiemur σὺν Θεῷ tunc, qvando comparebit is, qvi futurus est omnia in omnibus.* De iride non contemnenda congessit B. Joh. Henr. Ursinus, Volum. I. Analector. sacror. lib. v. c. xliv. p. m. 296. s. & lib. vi. c. xxxiii. xxxiv. p. 377. s. edit. Francof. M. DC. LXVIII. in 8t. Vide tamen & D. Gerhardum, Tomô ix. Locor. Theol. Locô xxxi. c. vii. §. 101. p. m. 84. b. s. D. Georg. Calixtum de supremo judicio, p. m. 69. 70. s. Dn. D. Joh. Henr. Melissandrum in Disp. inaugurali è c. ii. & iii. Apocal. Sect. iii. Q. ii. Lipsiæ annô M. DCLXXVIII. habita & edita in 4to.

tunc ſedens in throno habitabit ſuper nos. non eſuriemus adhuc, neqve ſitiemus adhuc, neqve cadet ſuper nos Sol, aut ullus æſtus. Agnus paſcet nos, & ducet ad vivos fontes aqvarum. & abſterget Deus omnem lacrimam ab oculis noſtris.

Λέγει ὁ μαρτυρῶν ταῦτα, Ναὶ ἔρχομαι, ταχύ. Ἀμήν. Ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ.

מתי אבוא ואראה פני אלהים!

Ad finem venimus, Auditores, apparitionum Jeſu Chriſti. Ad finem etiam properet noſtra Oratio. Sed ut ritè incepimus, ita &, ut par eſt, finiamus.

Ante omnia, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, gratias ago maximas, habeo etiam majores, qvòd tantô numerô confluere, & balbutientis noſtri oris verba audire haut dedignati eſtis. Vitia ſermonis, defectum rerum, & quidqvid peccatum eſt, charitas veſtra teget; & ſatis habebit, nos benè voluiſſe.

Imprimis verò, Ampliſſime Urbis hujus Magiſtratus, ad te meus ſe vertat ſermo. Tuâ authoritate Profeſſor vocatus ſum. non ſponte, nec à me ipſo veni. ſit illa mihi clipeus & munimentum, ſervetqve me integrum ab injuriis, perſecutionibus, infeſtationibus.

Omnia Tibi promitto officia, qvæ à bono cive reqviri poſſunt; omnem obedientiam, qvam licet hominibus præſtare. Juventutem tuam, qvæ mihi committitur, docebo favente divinâ gratiâ, ſine qva nihil poſſumus, veritatem catholicam, ſanos Domini Jeſu ſermones, doctrinam, qvæ eſt ſecundùm pietatem, qvæqve recepta eſt in Eccleſia reformata, in Catechiſmo repetita Heidelbergenſi, in Synodo tradita Dordracena, qvæ continetur in formulis publicis, nec latum unqvem

gvem ab illa abibo. Novit Deus cogitationes noſtras; qvem invoco teſtem in animam meam. Ducam Filios veſtros in penitiora ſanctuarii Domini. enarrabo illis ſapientiam, non qvæ terreſtris eſt, carnalis, dura, rudis, cruda, immitis, ſtoica, inhumana; ſed, qvæ ἄνωθεν κατέρχεται, qvæ πρῶτον μὲν ἁγνή ἐστιν, ἔπειτα εἰρηνική, ἐπιεικής, εὐπειθής, μεστὴ ἐλέους καὶ καρπῶν ἀγαθῶν, ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος. Jac. III. 17.

Det Deus, qvi in hoc faſtigio vos collocavit, vobis omnibus benè agere ſecundùm ejus voluntatem; prudenter omnia moderari, gubernare, præcipere ad communem utilitatem, faciat vos ſtatione longiſſimâ mortali frui, & mercedem veſtram repoſitam ſervet in cælo.

Vos verò, Reverendi, clariſſimi Paſtores, qvos omnes in Domino veneror, colo, & ſincerô proſeqvor affectu, obnixè rogo, ne ſit vobis ingratus adventus Viri, qvi unô vobiſcum humerô colit ſervitqve Deo, qvi pacem ſectatur, tranqvillitatem amat, qvi cupit τῇ φιλαδελφίᾳ eſſe φιλόστοργος, & ſtudet τῇ τιμῇ ὑμᾶς προηγεῖσθαι. Eadem veritas, qvæ de veſtris cathedris, de noſtris etiam audietur pulpitis. Idem vobiſcum ut ſentimus, ita loqvemur, ita faciemus, ita docebimus. Honorem Senioribus, amorem æqvalibus, ſtudium omne junioribus promittimus, & cum Deo, conferemus & exhibebimus.

Cives porro, qvos video magnô numerô adeſſe, rogatos volo, ut me mœnia inter ſua nunc verſantem, haut habeant malè. Si qvi ſunt, qvi nobis malè volunt, ii nôrint, nos ipſis perqvàm benè velle, nec ulli umqvàm velle malè facere; imò & de illis ſpem certam habere, fore, ut mihi fiat ſecundùm Paræmiaſtæ monitum, Prov. XVI. 7.

ברצות יהוה דרכי איש גם אויביו ישלם אתו

cùm

cùm gratus habet Deus vias Viri, etiam inimicos ejus in pacem reducet cum illa. Benedicat vobis omnibus Deus eâ mensurâ, qvæ maximè conducit. Sint Filii vestri ut plantæ, educati in juventute feliciter. Sint Filiæ vestræ, ut lapides angulares politi & exasciati similitudine templi. Sint greges vestri in millia se diffundentes, multiplicati in plateis vestris. Sint boves vestri onusti, carne & pingvedine. Ne sit fractura, ne sit exiens, nec clamor in plateis vestris. Beatus populus, cui ita est! beatus populus, cujus Jehovah Deus! Ps. CXLIV. 12-15.

Tu deniqve *juventus*, amor & deliciæ nostræ, de qva dicere possum, qvod David olim de Jonathane. 2 Sam. I. 25. נעמת לי מאד נפלאתה אהבתך לי מאהבת נשים *svavis es mihi valde, mirabilior mihi est amor tui, præ amore mulierum*; faciat te Deus in decus & ornamentum; faciat te ut plantas olearum, ut sagittas in manu Herois. doceat te facere beneplacitum ejus, & spiritus bonus ducat te in terra planitiei.

Ita vovemus. impleat Deus vota, qvi potest ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν. Eph. III. 20.

D I X I.

II.

II.

GEORG. CASP. KIRCHMAIERI,
Phil. LLqve AA. M. atqve Eloqventiæ
Prof. Publ. Witteb.

De

PARADISO,

AVE PARADISI MANUCODIATA,
IMPERIO ANTEDILUVIANO,

&


ARCA NOÆ,

cum descriptione DILUVII,

IV. Dissertationibus comprehensæ

DELICIÆ ÆSTIVÆ,

Jucunda, nova & utilia scitu, exhibentes.



PER-ILLUSTRIBUS GENEROSISSIMISQVE DOMINIS,

Dn. SIGISMUNDO CASIMIRO,

LYNARIÆ COMITI, DYNASTÆ IN LUBBENAW ET GLINICKE &c. &c.

Ac

Dn. CHRISTIANO AUGUSTO,

LIB. BARONI à FRIESEN, DYNASTÆ IN RöTHAW ET COTTAW &c. &c.

HEROICÆ PROSAPIÆ, NATIS

Ad

EXEMPLA GRANDIA

HÆREDIBUS,

DOMINIS SUIS GRATIOSIS,

S. atqve O.



Olem qvi venerari olim consveverunt, post noctilucam Phœben, diei anteambulonem Phosphorum colebant inprimis ac observabant Gentiles. Sic enim statuebant, eam, qvæ à Sole, velut suô qvôdam fonte jugiter prodiret, Stellam, & de Lumi-

minis participare copia, & in societatem gloriæ venire. Ulterius digressi inde, inter gentium majorum DEOS VII. (liceat enim interpretari illorum sensa saltem) Luciferum reposuerunt, VENERISQVE amabile nomen isti tribuerunt. Cumqve post occasum Solem etiam, conspicuum observâssent adhuc Sidus; aucta, cum opinione, admiratio qvoqve fuit. Qvâ qvidem eò utor lubentius similitudine, PERILLUSTRES DOMINI; qvòd HEROAS, Vestros GENITORES, cum Sole, per omnia, Vos cum Lucifero comparari posse, animadvertam. Id si diducere annitar ac applicem opus; jam diei non unius aqva assumenda foret. Et Vos eô anteâ nati ingeniô estis, DOMINI, ut reconditissimos qvosqve & per brevia delineatos penetrare sensus valeatis. Jure omni Vos ego VENERES, id est Delicias, Elegantiasqve PARENTUM AUGUSTISSIMORUM, Literarum, Virtutum, Patriæ ac nôstræ inprimis WITTEBERGÆ & nomino & veneror. Caussas cur hoc fecerim, IPSIMET nostis. Deposcebat sibi, Vestra illa, erga me singularis planè ac familiaris partim Gratia, publicum qvoddam, sed dignitate fultum, pietatis specimen. Ac optavi vehementer qvidem, ut meo facere satis possem desiderio. Ceterùm, ubi ingentes Vestros æstimavi spiritus, meam autem cùm in excogitando utilitatem, tum exiguitatem in elaborando deprehendi; parùm abfuit ut de officio præsenti desperârim. Erexit tamen fluctuantem, nescio qvod novum propensissimi favoris jubar; & ut assurgerem conceptæ pietati, animavit iterùm. Accipietis igitur, Virtutum CLARISSIMÆ STELLÆ, obscurum laboris nostri scriptum: illustrabitis, dum nativô destituitur splendore: & SOLES Vestros, ILLUSTRIS-

SI-

SIMOS GENITORES, ut sangvine Heroicô; sic sapientiâ tandem & factorum sublimitate refereris.

Qvod voveo subinde

ILLUSTRISSIMI NOMINIS VESTRI

Witteb. è museo meo, IX. Calend. Septemb. qvæ Natalis Ducum plurimorum Lux fuit.

Devotus cultor

GEORG. CASP. KIRCHMAIER P. P.

PRÆFATIO

ad

B. L.



Elicias Æstivas has, DILECTE LECTOR, Tibi offero. Specimen, ut vides, Geographicum, Physicum, Politicum & Geometricum *est. Hôc quidem* Paradisum, Manucodiatam, Imperium Antediluvianorum, *& delineationem* Arcæ Noëmicæ, *describere annisus sum. Qvas ut eruerem Antiqvitates, tametsi vix vestigia deprehenderem alicubi, Scripturæ tamen S. ductum, Naturæ*

fundamenta; & sobriam ubiqve rationem, secutum me tenaciter fuisse; & spero, & profiteor. Historicorum dijudicavi testimonia curiosè. Habendus delectus erat, & divortium à multis qvandoqve faciendum. Statuebam enim ingeniô liberali liberè in veritatem reconditiorem inqvirendum. Scripturæ sanctioris usus adjutoriô, neqvaqvàm obrepere mihi passus sum indignum Christianô dogma : nemini, præterqvàm Interpretibus articulorum fidei, in non concernente illos argumento, Scripturæ uti documentis, integrum existere. *Ceterùm cùm homo natus sim: pro deliciis scientiam, sapientiam pro fine ultimo, post* Dei *gloriam proponere mihi soleo. Hanc sive acqviram aliqvando, sive minùs; innocens habebor tamen, si vel desiderârim miser. Ad indaganda rariora pronus, sicubi optatis abstinere, consvetudinis tyrannô cogor; non potui tamen temperare mihi, qvin, qvas mecum meditationes aluissem, his perficerem Canicularibus diebus, & ad instantiam Typograph:, Scriptum levidense evulgarem. Ac jam diu est, ex qvo tempore, in materias abs me hîc tractatas, cogitationes verti; ut origines rerum naturalium, politicarum ac œconomicarum, si liceret fieri, scrutarer. Sperabam enim me posse, præ* PETRO COTONO, *Gallicano Jesuita; qvi, ut inter plures alias qvæstiones,* has etiam exploraret :* Ubi terrestris olim Paradisus extitisset? Qvamdiu in terreno Paradiso fuerint Protoplasti? Qvomodo animalia in Arca Noë capi potuerint? *à Dæmone, ex energumena ac lunatica puella,* Hadriana Fraxinea, *Gerbiniaco pagô inter Ambianos natâ; ceu testis est* Thuanus

* Qvæstiones spiritui immundo ad explicandum propositas à Petro Cottono, societatis, qvam dicunt, JESU, ex autographo cum fide expressas habes in Petri de Wangen Physiognomia Jesuitica, p. m. 170. s. edit. Lugdun. CIϽ. IϽC. x. in 8t.

nus, *lib.* CXXXII. *ad ann.* 1604. *f.* 1053. *hariolari non erubuit.* *Legeram jam olim in* Gvidone Pancirollo, *Paradisi avem, Manucodiatam, apodem omninò esse.* *De Noachi arca verò, præter Apocryphum Sapientiæ librum, apud Virgilium Polydorum illum,* lib. III. c. XV. *ac Berosum, puer deprehendi, quâ ratione* Navis *& fuisset isthæc, & ab ipsis jure diceretur. Accredidi primò: pòst dubitare occœpi: ac noviter ipse inqvisivi. Veritatem an assecutus (secutus certè fui) ubiqve sim, tuum est,* Cordate Lector, *judicare. Qvamqvàm, cùm humani nihil abs me alienum putem, tuus mihi & candor, & amor ignoscendi exorandus veniat. Errata typographica, qvantâ potui, correxi fide. Si qva tamen (ut vereor) remanserint, penes te, emendandi stat dexteritas. Imprimis cùm secundô fortè typô transposita ab excusoribus, periodus sit, in Exerc.* I. *cap.* IV. §. IV. *cujus initium est:* inde in altissimum soporem &c. *finis:* agnovit suam. *Referes eamdem ad superiora verba:* creatus ex terræ limo est Adamus. &c. †*Hæc te,* Benigne Lector, *non volui non monere. Nunc vale, & si vixerimus, alia alio exspecta tempore. Scrib. Witteb. Annô* παρθενεκθανυμαστοτοκίας 1662.

† Hæc à nobis ad mentem Auctoris suô locô sunt emendata.

I. N. D. N. J. C.

EXERCITATIO PRIMA

DE

PARADISO.

è Gen. II. 8.

CAPUT PRIMUM

DE

PARADISO, ut continente: juxta deſcriptionem Nominalem ac Cauſſalem.

SYLLABUS.

1. *Prooemiale Paradiſi encomium.*
2. *Etymon Paradiſi, non ex Perſide oriundum.*
3. *Nec Origine Græca vox, ſed Ebræa.*
4. *Homonymia Paradiſi evolvitur.*
5. *Continuatur eadem.*
6. *Qvid per Eden intelligatur, propriumné an commune nomen? Pronunciatur pro priori.*
7. *Fueritne aliqvis à Deo conditus terreſtris Paradiſus?*
8. *Cauſſa efficiens Paradiſi* κατ' ἄρσιν *&* κατὰ θέσιν.
9. *Finis ejus verus qvis?* Refutatur *opinio Jeſuitæ Scherlogi.*
10. *Cauſſa materialis. Qvare Paradiſus (1) dicatur (2) fuerit hortus?*
11. *Extrinſecum formale Paradiſi in qvo conſtiterit?*

§. I.



AEr, aqva, ignis, terra, cælum, siderumqve innumerabiles exercitus, Numine sic ordinante, conspiraverant amabilissimè in unum, simul & concertârant invicem, utrum horum, elegantiorem Paradiso procreare gratiam valeret? Par omnibus studium, nec dissimilis eventus fuit. Supera, media, infima, in merissimas, horto illi concinnandas amœnitates conjuraverant. Stabant foliorum germine renidentes arbores, qvi cum hilari fragrantia, gratas diffundebant umbras, leniqve brachiorum motu, jucundos obsibilabant susurros. Has inter, auriflui hinc inde amnes, omni cryſtallô nitidiorem ebulliebant undam, qverulôqve lapsu lapillos motitabant, unde penè musicô concentu pulsabatur aër. Utrinqve flores; ubiqve svave spirans Zephyrorum familia. Pomorum aurantium, citriorum, Punicorum, Granatorum ac Limoniorum, sine numero numerus. Hinc è viridi planitie (*ut nonnullibi* Drexelius *inqvit*) argentea ridebant lilia: illinc purpurascentes rosæ promicabant: isthinc narcissorum nivem ac ebur hyacinthorum sangvis & aurum acuebat; ventulus ab omni parte placidissimus adspirabat. Incolæ Protoplasti erant, illi semidei homines. Natura omnibus integerrima. In hæc, animi oblectandi ergò, tempe nunc exspatiabimur: sed mente inqvam, ac recordatione possessionum pristinarum. Corpori enim omnis jam pridem interclusus, ensiferô custode Cherubinô, aditus ad Paradisum fuit.

§. II. Dignum ventilatione nomen Paradisi est. Adeò vel solus cortex, (ut de re jam nihil moneamus) tot pretiositates continet. Unde Moses

Barcepha, qvi seculô, post Christum natum, decimô, floruit Episcopus, part. II. commentar. de Paradis. c. XVI. *Paradisus*, inqvit, *appellatur Paradisus, qvòd locus sit cultus, plurimis pulcherrimisqve tum odoratu, tum gustatu jucundis, planéqve congruus, appositus, accommodatus, ut sit domicilium sedésqve & amœnitas hominum; nam hujuscemodi locum consveverunt homines appellare Paradisum.* Ceterùm qvi Paradisi vocem origine Persicam cum POLLUCE, ARETIO, & FUNGERO esse opinantur; nescio utrum non à limine aberrent? Largiendum id qvidem & à nullo facilè solicitandum est, qvod *Plutarchus* in Demetrio, Philostratusqve in vita *Apollonii Tyanæi* referunt: *Rex* (Persarum scilicet) *venaturus erat in Paradisorum locis, qvibus leones, ursos, & Pantheras includere barbari solent* &c. Habes vivarium. Pollux ait: *Persæ, nominabant Paradisos, ampliores hortos*, δένδρα ἔχοντας ἡμερα. Vides pomarium. Unde & Vandalorum Regum Paradisum in Africa pulcherrimum amœnissimumqve, fontibus non irriguum duntaxat, sed pomis etiam onustis arboribus, plenissimum fuisse, refert. Hæc Fungerus. Sed malè idem: *tandem*, ait, *vocem illam receperunt & litteræ sacræ.* Qvantò rectius Scapulæ judicium: Græcos à Persis, Persas ab Ebræis mutuò sumsisse.

§. III. *Becmanno* hîc in originibus adstipulari neqveo. Græcanici qvippe ortus, Paradisi vocem facit; citatqve pro se Strabonem, Plutarchum, Suidam, Philostratum, Pollucem. Ac Suidam qvidem qvod concernit, παρὰ τὸ φύειν, irrigando nempe, Paradisum eum dirivare, constat. Alii παρὰ τ ... ποιεῖν, ab herbarum scilicet collectione, deducere Paradisum volunt. Simplex & verissima eorum stat sententia, qvi פרדס vocabulum Hebræis domesticum, exqve radice פרה fructuo-

ctuosus fuit, & הדם myrto, compositum esse, asseverant. Ut proinde Paradisus, si vim vocis spectes, hortum myrtorum, in qvo myrti fructificant imprimis, denotet. Myrtus etenim odore & sapore, præ reliqvis & excellere & reficere dicitur arboribus. Hieronymus Cardanus, lib. VIII. *subtil. de Plant. f. m.* 245. inqvit: *est è frigidarum plantarum benè olentium genere myrtus, arbustum, ob elegantiam Veneri dicatum: olet benè totum, lignô, fronde, fructu. Liqvor ex hoc fructu servatur in annum, non minus salubris usu, qvàm odore jucundus.* Orientem solem alioqvin amat myrtus. Unde maximus illius in Palæstina, Perside & Mesopotamia proventus. A potiori igitur, myrto nimirum, facta denominatio Paradisi fuit.

§. IV. Spectatum *etymon* est: *homonymia* seqvitur. Usu autem venire Paradisi vox solet (1) pro Paradiso *spirituali & mystico*, i. e. Ecclesia fidelium. Sic Cantic. IV. 13 *fructificatio tua Paradisi instar est:* & Apoc. II. 7. *Vincenti, de ligno vitæ, qvod in Paradiso Dei crescit, dabo*, dicitur: hic qvidem absolutè: comparatè illic. Faciunt huc elegantissimi illi, de Christo & Euangelistis rythmi:

Paradisus hic rigatur,
Viret, floret, fœcundatur,
His abundat, his lætatur
Qvatuor fluminibus.
Fons est Christus, hi sunt rivi,
Fons est altus, hi proclivi,
Ut saporem fontis vivi
Ministrent fidelibus.

(2) Pro Paradiso *cælesti ac glorioso.* Sic Luc. XXIII. 43. ad latronem alterum Salvator moribundus: *hodiè*, exclamat, *in Paradiso mecum eris.* Hic verò ubi sit; nec oculus vidit, nec audivit auris,

nec in cor hominis hactenus descendit. Eôdem, nî fallor, sensu, *in cælum tertium ac Paradisum*, abreptum se, & sui nescium fuisse, Gentium Doctor Paulus 2 Cor. XII. 4. innuit. (3) Pro *artificiali qvodam* affabrè adornato, mirificè ornato, figuris variis ac imaginibus insigni, hucqve atqve illuc portari solito à circumforaneis instrumento. Ut Valesiis, Sabaudis, ac Italis est notum. (4) Pro *Paradiso naturali*; qvô sensu vel ut nomen commune, vel ut proprium adhibetur.

§. V. *Commune* nomen est apud Salomonem, in Ecclesiaste suo, c. II. 5. *feci mihi hortos & Paradisos, & consevi eos omnis generis arboribus*. Conf. Genes. XIII. 10. ubi lætissima planities illa, qvam suis Loth oculis usurpaverat, hortus Domini, (pro qvo LXX Paradisum posuêre), salutatur. Proprium censendum est, qvando (1) *oppidum qvoddam*, circa extremitatem in Cæle-Syria situm, cujus Plinius, V. Hist. Nat. c. XXIII. meminit, significat. Qvin & Monspelium (Mompelier in Langvedoc) Paradisum Machometis dici solere, *Tolosani Parlamenti Præses* GRAMOND, lib. XII. Hist. Gall. p. 571. ad annum 1622. his refert verbis; *non in Gallia reliqva, non in Europa urbs, qvam natura ferax, eò abundantiùs sexu ditaverat; nec satis ditâsse multitudine, nisi accederent venustas oris, cultus amœnior, ingenium ultra sexum liberale, urbana comitas, & (qvâ maximè valent) garrulitas, vernaculô sale respersa: qvô audit apud exteros, Monspelii municipium*, pro Paradiso Machometis, *ubi per amorum illecebras, vita transigitur.* Hortum etiam Monspelianum, regium verè illum ac egregium, nulli aliî secundas facilè concedere, isti denarrare sciunt, qvi loca ea inviserunt. (2) Notat amœnissimum & κατ' ἐξοχὴν sic dictum hortum, (Eden scilicet,) primum illud Protoplastorum omni sva-

Vi-

vitatum genere abundans habitaculum; unde etiam ab *Eden*, i. e. voluptate nomen traxisse aliqvibus putatur.

§. VI. Vincit illorum tamen sententia, qvæ non tam appellativum, qvàm proprium loci cujusdam nomen EDEN esse, dictitat. Vid. Gerh. disp. XXII. Isag. p. 818 Rectè igitur Rivetus, Comment. sup. cap. Gen. v. Exerc. XLIX. f. 199. regio, inqvit, *Eden est pars Babyloniæ, Babylonia autem pars Mesopotamiæ.* Et nervose Brochm. in Syst. Theol. artic. IX. c. I. sect. 6. *Eden propriè hic locum denotare, plurima sunt, qvæ evincant. Nam primò: hortus hic plantatus dicitur in Eden* מקדם, *hoc est, ut rectè vertunt LXX Interpretes,* κατ' ἀνατολάς, *ab oriente: à radice* קדם*: qvod, qvamqvàm proprietatem tam loci, qvàm temporis significat, contextus tamen satis docet, commodiùs & concinnius de loco, qvàm tempore, hîc explicari* Secundò: *meminit planissimis verbis* Moses c. II. Genes. 10. *fluvii, egredientis ex Eden ad irrigandum hortum, qvod est documento certissimo, voce Eden, locum certum significari.* Tertiò: *collatio litterarum* Gen. IV. 16. Ezech. XXVII. 23. Esai. XXXVII. 12. 2Reg. XIX. 12. *evidentissimè evincit, voce Eden locum propriè dictum indigitari.* Hæc ille.

§. VII. Sic ergò nomen vidimus, pulchrum satis ac voluptuosum. Ex tenore ordinis, ante omnia qværendum nunc: *fueritné aliqvis à Deo conditus terrestris Paradisus?* Rudolfus (fictô nomine) Otreb, qvi per metathesin literarum, Robertus Flud, aliàs de Fluctibus est, in Tract. Th. ad Fratr. Ros. Cruc. lib. I. de vita, c. IX. absurdum putat, *Deum, terrestrem qvemdam Paradisum condidisse, qvi tempore tam exiguô homini in usum cedere debuerit.* Atqve olim etiam *Seleuciani*, terrenum Paradisum qvemdam creatum à Deo fuisse,

 omnino

omninò negaverunt. Inde consecutum id, qvod tantùm non febriliter Origenes, IV. περὶ τ̃ ἀρχῶν somniavit: *haud fore*, scilicet *qvemqvam adeò stupidum, ut Deum putet agricolam fuisse, & arbores plantâsse in Paradiso. Allegoricè potius per Paradisum, illud Pauli Gymnasium, in qvo Theologiam suam, edoctus ipse fuerat, intelligendum esse, per flumina, supracœlestes aqvas, per arbores verò, Angelicas virtutes.* Hoc qvid est aliud, qvàm distorqvere recta, obscurare clara, inficiari vera? Insistendum historiæ creationis, simplicissimè conscriptæ; secus omne robur ejus, omnis etiam brevi exauctorabitur cùm veritas tùm fides. *Qvid ratio in sacris, nisi deliratio, rebus?*

§. VIII. *Caussa* igitur *efficiens* (ut rem accedamus ipsam) Paradisi, Deus gloriosus fuit. Ita qvippe sacer scriptor, c. II. 8. *& plantavit Dominus Deus hortum in Eden, ab Oriente* &c. Valeat proinde *Cyrus*, qvem sua ipsius manu, plantare hortos consvevisse & posuisse arbores, post Xenophontem, Cicero testatur. Sileat *Semiramis*, & suos sibi soli retineat hortos pensiles, ut cum Strabone Plinius, lib. XIX. H. N. c. IV. memorat. Fuerint egregiæ svavitatis Salomonis Paradisi; nihil illi tamen ad hunc nostrum, si magnificentiam plantatoris spectare velis, faciunt. Cedat etiam ditissimus in Asia olim Rex *Attalus*, qvo de Justinus, lib. XXXVI. c. IV. 5. *omissâ regni administratione, hortos fodiebat*, inqvit, *gramina seminabat.* Evanescant *Hesperidum* pariter atqve *Adonidis Alcinoiqve* Regum, horti, Deus ipse Paridisi se profiteur Hortulanum.

§. IX. Finis adornati Paradisi, hic inprimis erat, ut post habitaculi vices, mirificam homini primævo recreationem, & cum delectamento utilitates maximas crearet. Qvamqvàm non ut nu-

dum spectatorem, sed actorem, & cultorem horti noviter ordinati, Adamum constituerit Naturæ Dominus. Et sumsit, (ait Moses Gen. II. 15.) Dominus Deus hominem, & posuit eumdem in hortum Eden, AD COLENDUM EUM & CUSTODIENDUM EUM. Natus igitur & ordinatus ad laborem, homo, ut ad volatum avis, ad natatum piscis; sed eum interim *jucundum*, non molestum: *fecundum*, non frustraneum: *utilem*, non insalubrem. Veremur sanè cum Paulo Scherlogo, Jesuita Hiberniensi, ex lib. II. Antiqv. Hebraic. Differt. III. sect. IV. f. 328. determinatiorem hunc Paradiso assignare finem, ubi in seqventia ille desinit: *his comprobatis, arbitramur supremum Imperatorem, si innocens mansisset, non alterum, qvàm Protoplastum futurum, qvoad vixisset,* CAPITOLIUM & AULAM *habiturum intra viridarium, specialiter Paradisum vocatum; extra hortum verò, per regionem Eden, qvod est territorium & provincia ad Paradisum spectans, habitarent magnificè* CONSILIARII MONARCHÆ, *tam qvi fidei & religionis normam edocerent, qvàm qvi civiles tractarent materias, & horum qvidem palatia Paradiso conjuncta essent* &c. Parum certè abest, ut pro svavi somnio declarem, qvod ex fœcunda qvadam speculatione, sine scripturarum testimonio confingitur à Jesuita. Nec id facilè ipsi dederim; obtenturum statum aliqvem verè civilem & Monarchicum fuisse, tametsi in integritate concreata homo perstitisset. Qvid? qvòd Antediluviano etiam moderamini, non sine fundamentis, controversia, hac de re moveri posse videatur. Qva de, suô infra locô, penes Imperium Antediluvianorum scilicet, agemus.

§. X. *Caussa materialis circa qvam, seu objectum plantationis hujus,* Hortus erat, qvem sacer codex

dex גן à radice גנן (protexit, ſepimentô cinxit) vocat. Denominationis rationem reddere Benedictus Aretius LL. Comm. de Parad. 179.col.1030.ſ. conatur. *Nam primus ille hortus*, inqvit, *homini traditus erat, ut illum cuſtodiret, & poſt lapſum cuſtodia ejus commiſſa eſt Angelis &c. Eſt tamen*, ſubdit, *alia ratio, cur dicatur Gan hortus, nimirum ab eventu, vocant enim Hebræi ganach, turpe peccatum & impudentiam, & qvia homines in illo horto primùm turpiter Dei mandatum violârunt, locus ipſe, in qvo peccatum eſt, gan, qvaſi gana dictus eſt.* Dubia ratio poſterior: verior prima. Cur autem hortum potiùs, & non alium Protoplaſtis locum aſſignare Conditor optimus voluerit, in procinctu cauſſa adapparet. Hortus, nimirum eſt, in qvo veræ illæ innoxiæqve, omnis generis reperiuntur voluptates. Hortus eſt, qvô herbarum fragrantiſſimarum odore nares, colore oculi, ſapore ora recreantur. Hortus eſt, ubi modulatiſſimus avium concentus, inenarrabiles auribus delicias concinnat. Ut non abs re, de beata vita, Philologorum Alpha JUSTUS LIPSIUS, Cent. I. Epiſt. IIX. ingeminârit:

Vitam ſi liceat mihi
Formare arbitriis meis:
Non faſces cupiam aut opes,
Non clarus niveis eqvis
Captiva agmina traxerim:
In ſolis habitem locis,
HORTOS *poſſideam atqve agros;*
Illic ad ſtrepitus aqvæ
Muſarum ſtudiis fruar &c.

Auguſtiſſimuſqve Anteceſſor noſter BUCHNERUS ז״ל, de hortorum gloria alicubi:

Aurea prima fuit, nunc ferrea ducitur ætas,
Relliqvias primi *ſed tamen hortus habet.*

§. XI.


§. XI. Extrinsecum *formale* illud, qvô hic exornabatur hortus, in herbarum, arborum, fructuum, fluminumqve atqve omnium ad delicias compositorum objectorum elegantiâ, ubertate, accuratissimâqve pompâ consistebat. Si cetera cuncta, *ordine*, *numerô* ac *pondere* fecit gloriosus Plastes; qvid non magnificum sperabimus de Paradiso? Nihil ornatius, ordinatius nihil fingi optaríve in his terris potest ampliùs, qvod ad Paradisiacæ jucunditatis excellentiam assurgat. Unde non immeritò lib. XIV. de C. D. c. XXVI. princ. Augustinus: *vivebat homo in Paradiso, sicut volebat, qvamdiu volebat, qvod Deus jusserat: vivebat fruens Deô, ex qvo bono erat bonus. Vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret: potus, ne sitiret: lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret* &c. Potissimùm verò commendatur in Pandectis sacris, cùm ab arboribus, tùm à fluminibus. De qvibus tamen atqve aliis, seqventi capite commodiùs agemus.

CAPUT SECUNDUM
DE
PARADISI Contentis.
Ac in specie primùm
DE
ARBORIBUS.

SYLLOGE.

1. *De Arbore vitæ; cur & unde sic fuerit appellata? secus sentientes confutantur.*
2. *Adducitur sententia vera.*
3. *Fueritne vera ac naturalis arbor? Qvid & qvomodo profuerit?*
4. *Gentiles non latuit omninò, sed ænigmatibus, pro more eorundem, involuta.*
5. *Nunqvid vis illa vivificans fuerit naturalis? Asseritur explicaturqve qvæsitum.*
6. *Utrum Arbor vitæ supersit adhuc, an verò perierit? Refutatur seqvior opinio.*
7. *Probatur non omninò periisse illam.*
8. *De Arbore scientiæ boni & mali; qvamobrem sic appellata fuerit? Rejiciuntur sententiæ incommodiores.*
9. *Adducitur vera, ac stabilitur.*
10. *Utrum vera ac naturalis fuerit arbor?*
11. *Cujusnam speciei arbor isthæc fuerit?*

§. I.


Vûm imprimis generum arbores, nominetenus commemoranturGen. II. 9. Arbor VITÆ ſcilicet, & Arbor SCIENTIÆ boni maliqve. Dixi nominetenùs. Cujus enim præcisè ſpeciei fuerint? non diſputatur tantùm, ſed ignoratur propiùs. Ut tamen ordine rem complectamur omnem, de illa primò, poſt de hac, agendum erit. Igitur Arbor vitæ, in meditullio Paradiſi ſita, *cur & unde hoc ſortita nomen fuerit?* non præter rem diſpicitur. Sunt autem, qvi ideò ſic appellatam eam cenſent, qvòd memoriale qvaſi ac ſymbolum, inſpiratæ divinitus vitæ eſſet. Sed perperam illi qvidem. Ecqvid enim opus fuiſſet cuſtode Cherubinô, ad prohibendum omnem Protoplaſtis aditum, utne extenderent manum illi, (qvæ verba Dei ſunt) & viverent in ſeculum. Præterea uſus arboris hujuſce non aſpectu nudô ac recordatione, ſed eſu atqve uſurpatione tunc abſolvebatur. Qvid? qvòd hâc ratione arbores omnes, vitæ arbores, (Symbolum enim una æqvè atqve altera beneficii vitalis fuit) vocari potuiſſent. Poſt Bonaventuram, Dionyſius Carthuſianus, à finali cauſſa arborem eam ita dictam opinatur. Erat qvippe ordinata ad vitam; licet effectum fortè ſuum in Protoplaſtis, actu nunqvàm exercuerit.

§. II. Veriſſimè tamen ſic appellatam ab *uſu, eſu & effectu* arbitramur: ut qvæ ex divinæ ordinationis beneplacito, præſentiſſimam corroborandæ vitæ efficaciam largitura homini fuiſſet. Merentur annotationem Cornelii à Lapide, in Commentar. ſuper h. l. verba: *dicitur*, inqvit, *arbor vitæ*, i. e. *vivifica cauſſa vitæ, vitam conſervans*



& prorogans. Primò *ergo hæc arbor vitam fecisset longævum:* secundò *valentem & robustam* : tertiò *constantem, ut nunqvàm morbum, aut senium incurrisset:* qvartò *lætam & hilarem, pepulisset enim omnem melancholicam* &c. Unde & B. *Gerhardus* in, super Gen. Comment. *qvare arbor vitarum dicatur?* qværens, sibi postea respondet: qvia (1) longissimam homini vitam tribuisset. (2) non solùm vivere, i. e. tranqvillitate & voluptate vivere, homini dedisset. (3) Non solùm consumptum humorem naturalem restaurâsset, *inqvit*, sed etiam deperditum redintegrâsset. Et jam olim Strabus: *lignum vitæ hanc naturaliter virtutem habebat: ut qvi ex eo fructu comedisset: perpetuâ soliditate vestiretur: nullâ infirmitate, anxietate, vel senii lassitudine vel imbecillitate fatigandus.*

§. III. Nunc, qvid vitæ arbor fuerit? investigandum. Valeat hîc verò cum allegoriis; pro more suis, Origenes. Neqve enim inficiabimur extra creationis historiam, nunc *pro divina sapientia*, ut Prov. III. 18. nunc *pro Christo & æternis bonis* ut Apoc. III. 5. vitæ arborem acceptari. Veram igitur ac naturalem arborem fuisse, humanæ vitæ corroboratricem pariter ac propagatricem, tum intentio Creatoris, tùm simplex etymologia, tum rei consecutio ostendit. Ideoqve appositô ensiferô Cherubinô, inaccessibilis Adamo facta: *ut ne* (inqvit Deus) *extendat homo manum suam, & de arbore isthac comedendo, vivat in seculum.* Neqve nobis qvicqvam, licèt Ironiam saperet hoc, officit. Esu scilicet usuqve fructuum ab arbore isthac petendorum, vitam illam naturalem, & qvalem ab initio acceperant incorruptibilem; Protoplasti, in perpetuum, qvoadusqve Deo aliorsum illos promovendi, placuisset, prorogare poterant. Idqve *non tàm ex indigentia*, qvàm *liber-*

berrima Dei, hôc modô dispensantis, *beneplacentiâ* factitatum. Verissimè iterum Cornelius à Lapide non nudum duntaxat cibum, sed miræ etiam virtutis pharmacum, hunc cibum divinissimum fuisse, censet, in Comment. super Gen. II. f. 70. Enimverò calidum innatum, cum humido radicali, qvod à calore naturaliter ac necessariò exinanitur, restaurâsset fortiter, viriumqve apparâtum, novô subinde pabulô redintegrâsset; ut, qvotiescumqve eô qvidem vesceretur Adam, caro ejus semper qvasi reflorescceret. Vid. Dn. D. Walth. in Spong. Mosaic. p. 256. qvo cum apprimè consentit D. Kesler in Phys. Photin. sect. 2. princip. 13. p. 242. & seqq. Item infrà Adpendic. hujus Dissert.

§. IV. Hinc illa æmula Poëtarum fluxêre etiam commenta: *Nectar* nimirum & *Ambrosia*, qvæ dicta esse putatur, qvasi *sine morte*, ab Hesiodo, Homero Moly, homines ad juventutis revocans vigorem, ut Plin. lib. XXV. c. IV. habet: aliis *Nepenthes*, omnem luctum, dolorisqve sensa adimens, appellitatur. His ænigmatum involucris, sacras adulterati literas fuerunt ex paganismo Philosophi olim ac Poëtæ. De Platone, res indubitata est. De Nasone, in describenda mundi historia, ut ex I. Transform. lib. patet, ambigere nemo qvoqve potest. De Agamemnonis Iphigeniam immolantis, seu fabula, seu historia, ex Abrahami aut Jephtæ rebus qvondam gestis, petita, Neander, part. II. oper. aur. notis in Tryphiodor. p. 225. & Ludovicus inprimis Capellus in Diatrib. de voto Jeph. consulendi. Princeps Poëtarum Homerus qvot qvæso & nominum allusiones, & factorum exemplorumqve clarissima vestigia, è sacris petita passim offert? Sed de his alibi; occasio hîc saltem imitandi ostendenda videbatur.

§. V. *Utrum vis illa arboris, vitam hominis corroborandi, naturalis fuerit, an supernaturalis?* subtile est qværitum. Supernaturalem fuisse, post Augustinum, Bonaventura aliiqve, teste Jacobô Bonfreriô, Academiæ Duacenæ Professore, putaverunt. Nos pro naturali & stamus & pugnamus. Ne vocis ambiguitas illudat, sciendum est, naturalem eam dici non *constitutivè*, sed *subjectivè, perfectivè* ac *transitivè*. Represserat autem privationem actus moriendi, non potentiam. Unde immortalitas ista consistebat in τῷ *posse non-mori*; aliqvando, in *non posse mori* constituetur. Mansit igitur, post lapsum prædicta vis admirabilis. Immutabilia enim sunt, naturalia qvæ sunt. Hominum verò nulli ampliùs prodest, qvoad suspensionem actus: qvoniam hic fuit interversus à singulari Dei displicentia, vindiciisqve justis. Potentia mansit, actus, ratione hominis, desiit. Ratione hominis, inqvam. Habebat enim duplicem finem arbor isthæc: (1) *absolutum*, qvem retinuit: (2) *respectivum*, ut homini Paradisiaco prodesset. Hic jam sublatus est, qvia homo prævaricatus. Consentit D. Brochm. in Syst. LL. cap. IV. cas. I. f. 133. Gerhard. disp. XXII. Isagog. p. 829. inqvit: *naturalem fuisse, probabilius censendum, qvia si fuisset hæc vis supernaturalis, non adfuisset arbori, post peccatum hominis, nec peccatori homini profuisset; jam verò etiam post peccatum fuisse illam virtutem in arbore vitæ, ostenditur ex eo, qvòd homo Angelicâ custodiâ, ab ea fuerit prohibitus.*

§. VI. Jucundissimè omnium disqviritur: *Utrum Arbor vitæ supersit adhuc? an verò perierit omninò?* Periisse eam, post multos alios, ex Recentioribus, Vir qvidam clarissimi nominis † officiiqve statuit, disput. 4. hac de re θ. XI. qv. 6. mansisse tamen,

† D. Christian. Chemnitius, Fasc. II. p. 457.

men, usqve ad diluvium. Et minùs convenienter hic qvidam præsupponunt unicum solummodò arboris hujus individuum, non speciem fuisse: ceu post Tostatum statuit Bonfrerius. Nomen enim עץ (lignum) toti speciei qvoqve competit, juxta illud Ex. x, 15. Nec seqvela valet: *stetit in medio Paradisi vitæ arbor.* Una igitur numerô fuit. Cum latitudine ac ambitu sumi sæpè medium, ecqvis ignorat? Et pone sis unam numerô fuisse; propagavit se posteà tamen, reliqvarum more, vi divinæ benedictionis; licèt homini neqvicqvam ampliùs inservierit. Possunt unius rei plures esse fines. Sed suô qvisqve hìc judiciô abundet. Nos ad superiora relabentes, Vitæ arborem, post & lapsum & diluvium, non omninò periisse, statuendum esse, ostendemus.

§. VII. *Primò*, qvia ad mundi integritatem, & ad certam corporis naturalis speciem spectaverat, prædicta arbor. Si qvid verò per lapsum aliúmve decessisset modum, cum omnimodo speciei alicujus interitu, mundi periclitaretur unio, integritasqve ejus non parùm labefactaretur. Subtilissimus Philosophorum JUL. CÆS. SCALIGER: *si* (inqvit Exerc. CCL. de subtilit sect. 1. p. 769.) *deesset aliqvid, daretur in formis vacuum. Qvod longe majus esset in Natura flagitium, qvàm vacuum, in qvantitate, sine corpore. Qvid enim absurdius, qvàm medium, sine extremis?* Deinde, nec vola, nec vestigium, de interitu arboris istius, in sacris reperiri paginis potest. Id qvidem dicitur; *qvòd Cherubinô, ensiferô custode, aditus ad arborem, interclusus Protaplastis fuerit*; qvòd perierit, ne γρῦ qυ habetur. Probent igitur, contrarium qvi sustinent; qvin & determinent cum circumstantiis rem omnem: hærebunt certè. Et tantùm de Arbore vitæ. Seqvitur ea, qvæ scientiæ boni ac mali appellata fuit.

§. VIII. De nominis ratione primò; pòst de re dispiciendum ipsa. *Cur* igitur *sic nominata fuerit?* qværitur. Mala qvippe in se esse, haudqvaqvàm potuit. *Vidit Deus cuncta qvæ fecerat, & ecce, erant omnia* (non bona tantùm) *sed valde atqve excellenter bona.* Sunt verò, qvi à falsa Satanæ persvasione, qvâ neqviter imposuerat Protoplastis: *eritis Deo similes*, dicendo, *scientes bonum & malum*, sic appellatam volunt. Pro qva opinione, post Rupertum, militat Pererius, Comment. in Genes. II. n. 93. Sed malè tamen. Inditum enim arbori nomen istud fuit, anteqvàm sermones cum Eva serpens sociâsset. Neqve Hebræorum somnia hîc placent: arborem videlicet scientiæ boni maliqve, inde nomen traxisse suum, qvòd singulari prædita virtute fuerit acuendi ingenium & scientiam adaugendi. *Si enim ea* (scribit Brochm. cit. supr. loc.) *nominis ratio & notatio vera esset, Diabolus haud falsò dixisset, hominem ad scientiam divinam, qvàm proximè accessurum, si decerptô de arbore vitæ fructu, vesceretur.*

§. IX. Optima & sufficiens, ad qvæsitum hoc, responsio est qvam Augustinus, Theodoretus, aliiqve rectiùs propugnant: vocatam ita per anticipationem, *ab eventu proximè futuro, & experientia* fuisse: qvòd Protoplasti nimirum ἰπαυτοφώρῳ sint experti posteà, qvàm bonum fuisset obedire Deo, qvamqve malum, inobedientem se gessisse. Fuit appellatio igitur eventualis, non fatalis: accidentalis, non necessaria. Augustinus qvidem: *aperti sunt* (inqvit Tom. v. lib. XIV. de C. D. c. XVII.) *oculi amborum, non ad videndum, nam & anteà videbant; sed ad discernendum, inter bonum, qvod amiserant, & malum, in qvod ceciderant: unde & ipsum lignum, eô qvòd istam faceret dignoscentiam, ex ea re accepit nomen.* Idem post *Mercerum*

asse-

asserit *Rivetus*, Exerc. XVIII. in Genes. p. 74. Et *Lutherus* noster, Tom. XIV. *Germ.* f. 17. Er (scil. DEUS) hat ihn freylich ümb viel zukünfftiges Dings willen alſo genennet, und ſonderlich ümb des Falls willen &c. Sic itaqve, ut breves ſimus; dicta eſt ab eo, qvod uſum eſúmqve ejus conſecuturum, de facto foret, ut experimentalem qvamdam boni maliqve cognitionem, proh dolor! inde haurirent fœdifragi ac immoderati comeſtores.

§. X. Nunc ventum eò eſt, ut probemus: *veram hanc naturalemqve atqve propriè ſic dictam arborem fuiſſe.* A litera enim & hiſtoria ſimplici qvis temere diſcedat? Viderit Joannes Faber Monſpelienſis Gallus, qvàm verè moderatéqve ſcripſerit in Alchymiſta ſuo Chriſtiano, c. XVII. p. 128. arborem ſcientiæ boni & mali ſolam & unicam fuiſſe, & ad reliqvas arborum ſpecies referri minimè potuiſſe. Qvin & ſubdit: *miror ſummoperè qvamplurimos ſummæ authoritatis viros, ut arborem hanc, inter ſpecies aliarum arborum annumerare qveant.* Veruntamen ſi mirari, philoſophari eſt, nulla ampliùs excipienda anus venit. Sine ratione qvicqvid frivolè profertur, eô ipſô, dum profertur, corruit.

§. XI. Cujuſnam ſpeciei arbor iſthæc fuerit? faciliùs qværitur, qvàm invenitur. Sive Ficus autem, qvòd ex eâ Protoplaſti ſibi ſubligacula confecerint, ſive vitis, ſive malus, eaqve vel *Granata*, vel *Citria* aliáve fuerit? noſtrum nunc non eſt determinare. Silet ſcriptura: ſilebimus ferè cum eadem. Hoc interim non negandum, qvòd plerorumqve ſententia pro pomo ſtet. Verſus eſt:

Mala mali malo meruit mala maxima mundo.

Si dicendum qvod res eſt, majori nituntur probabilitate, qvi pro ficu Indica pronunciant. Hujus

 enim

enim fructus maximi, aſpectu omnium amabiliſſimi, pulcherrimi, ſaluberrimi, folia latiſſima habentes, ac in oriente etiam non infreqventes. Et hæc cum ſcripturæ teſtimonio contextuqve optimè conſpirant. Pro qva ſententia, ex Brochardo (alii *Borchardum* vocant) inter recentiſſimos Commentatores non inconvenienter Hiberniensis Jeſuita Scherlogus, lib. II. antiqv. Hebr. Diſſert. III. ſect. IV. f. 331. ſcribit: *Sunt, (* in terra ſancta ſcil. *) & fructus dicti poma Paradiſi, penitùs admirabiles. Poma hujuſmodi creſcunt in modum botri uvæ, & eſt botrus ille interdum magnus, ut Cophinus, id eſt, Sporta competens; habet grana aliqvando centum, aliqvando plus; ſicut uva: grana illa aliqvando ſunt longa ad qvantitatem ſex digitorum; aliqvando ſphærica, ad qvantitatem ovi gallinæ &c. Saporis eſt delicatiſſimi & dulcis ut mel; grana intùs ſemen penitùs non habent, ſed tota eorum ſubſtantia comeſtibilis eſt.* Hæc & alia plura ille. Confer infrà Adpendic. hujus Diſſertationis.

CAPUT TERTIUM
DE
FLUMINIBUS PARADISI.

ARGUMENTUM.

1. *Adducitur textus ſacer, &, qvodnam cardinale illud ac innominatum flumen fuerit, diſqviritur.*
2. *Negatur fuiſſe Phiſon, Gihon & ſeqventium qvemdam. Nec intelligi Jordan poteſt. Utrum exſtiterit in Paradiſo?*

3. *Expli-*

3 *Explicatur nunc in specie Phison. Utrùm ex Caucaso scaturiat Ganges? Negat Jesuita Scherlogus.*

4. *Dubium movetur non leve; Possitne per Phison intelligi Ganges. Respondetur tamen ad hoc iterum.*

5. *Ostenditur, non pauca flumina, antiqvos suos mutavisse cursus.*

6. *Demonstratur, per Phison certò intelligendum esse Gangen. Adducuntur* HEPHILAH *&* OPHIR, *Indiæ Regiones.*


7. *Aurum & Bdellium considerantur.*

8. *Onyx à proprietatibus & patria describitur.*

9. *Qvid Gihon sit, exponitur. Testimonium Diodori Siculi de Nilo. Fontes Nili adhuc latent.*

10 *Qvid Chidekel notet, & qvid Phrat. Utrumqve Diodorus Siculus describit.*

§. I.



INtervisimus huc usqve arbores præclaras: nunc speculari flumina juvabit. Neqve enim proletarium Paradiso conciliabat ornamentum, fluminis vastissimi, ad irrigandum hortum, egredientis ex *Eden*, & in qvatuor inde capita divisi, svavitas. Qva de re, ita sacer codex Gen. II. 10. 11. 12. 13. 14. *Et fluvius egrediens ex Eden, ad irrigandum hortum, & inde dividitur in qvatuor capita. Nomen unius Phison, circumiens universam terram Chavila, ubi est aurum. Et aurum terræ illius bonum, ibi bdellium & lapis Onyx. Et nomen fluvii secundi Gichon, hic est, qvi circumit omnem terram Æthiopiæ. Et nomen fluvii tertii Chidekel, ipse labitur ad Orientem Assur. Et fluvius qvartus ipse Euphrates.* Hic, qvis ille cardinalis fluvius, in

in qvatuor capita divisus fuerit? solicitè investigatur. *Junius* qvidem, in comment. super 2. pr. cap. Gen. p. 103. *Euphratem* intelligendum esse, vult: *Pererius* verò Euphratem & Tigrim. Nos Historico sacro adhærentes, partes cum toto nolumus confundere. Partes sunt, & ex priori velut toto aut collecto qvodam resultantes fluvii, Euphrates & Tigris.

§. II. Non igitur totius nomine venire possunt, qvæ partis duntaxat appellationem obtinent. Partes autem sunt *Phison*, *Gichon*, *Chidekel* & *Euphrates*. Totum collectum, flumen istud innominatum est & manet. Nova & inaudita hactenus opinio Nicolai Abrami, Jesuitæ Mussipontani est, qvi Jordanem Paradisi fluvium, ex nominibus Jarden, Eden, & Genesar, fuisse colligit. Ita enim in Pharo Vet. Test. Parisiis nuper edit. lib. 11. n. 16. f. m. 56. & seq. scribit: *qvidni enim Jordanes fuerit ille fluvius egrediens & ebullans è loco voluptatis ad irrigandum Paradisum? qvi deinde terram subeat, occultisqve meatibus, in Tigris, Euphratis, Phisonis ac Geonis scaturigines emergat* &c. *Qvid, si inqvam Jarden dicatur, qvasi* יאר עדן *Jaar Eden, fluvius Eden, fluvius locum voluptatis ac deliciarum interfluens?* Transeat, à nominum allusionibus, vel nullas, vel imbecilles tamen duci rationes; (qvamqvàm hîc qvoqve malæ notæ derivationem afferat *Abramus*, cùm & Jor & Dan, duobus suis fontibus nimirum, haud procul à se sitis invicem, bicornis fluens Jordan, hoc nominis meruerit) nemo saniorum umqvàm, ex Jordane, cardinalia isthæc flumina derivare ausus est. At hoc circa Paradisi flumen oportebat factum. Qvin & in mare mortuum, seu lacum Asphaltiten, Jordanis exoneratur: qvod ad rhombum itidem non facit. Nec probatum satis, in Palæstina, ad sta-

gnum

gnum Genesareth, & vicina loca, Paradisum olim, (ut vult Mussipontanus Pater) exstitisse. Sed de his infra. Dubitat ac fermè negat Brochmand. in ipso, flumen vastum hoc fuisse, Paradiso: cùm dicatur in Regione Eden, seu ex Eden ortum, non intra hortum regionis Eden existens. Cui citra eqvidem divortium adstipulabimur. Modò rivi qvidam & canales aqvarum, in ipso qvoqve Paradiso, ex irrigatione isthac fluitantium, horto amœnissimo relinqvantur.

§. III. Per PHISON, *Gangem* Indiæ fluvium intelligi oportere, inter Historicos Geographosqve ferè convenit. Hic ille gemmifer & auri fœcundus, ex Scythicis (& horrenti Caucaso qvidem) montibus, prorumpens fluvius est, ut Doctissimus Cluverius in Introd. Geograph. lib. v. c. VII. notat. Negat tamen in Dioptr. Antiqv. Hebr. Scherlogus, lib. II. dist III. sect. III. f. 327. è Caucaso scaturire Gangen, & è Lunæ montibus *Nilum*: *non itaqve*, inqvit, *Gangis incunabula qværenda inter Caucasi horrenda saxa, non Euphrates cum Tygri in Armeniæ rupibus, non Nili in Æthiopia ad montis Lunæ fundamenta: progrediendum ulterius in immensum ferè, per canales subterraneos, qvibus interlabuntur, donec Paradisus attingatur, ibi seminarium & conjunctio, ibi non nimium separatis, iisqve contrariis itineribus tamdiu decurrunt, qvoad Numini suffocare non placeat; postqvàm verò carceri mancipat & subtus terram pergere mandat, divellitqve societatem; fluentum variat, & alibi propter fluxuosos Mæandros, septentrionem idem flumen, alibi Meridiem à tergo relinqvit* &c. Sed tamen undecunqve oriantur Nilus, Ganges, Tygris atqve Euphrates; (qvod Physicis Geographisqve solicitius scrutandum relinqvemus) id pleriqve certè largientur nobis, per *Phison* intelligendum Gangem esse.

§. IV. Pleriqve dixi: neqve enim dubia hîc, qvæ cupido veritatis animo figere crucem qvodammodò videntur, desunt. Ut nunc non dicam, qvâ ratione inter Gangem, Tygridem & Euphratem intercapedo spaciosissima deprehendatur, (intercedunt qvippe LXX. grad. hoc est, qvatuor millibus & trecentis milliaribus amplius spacium, ut citatô suprà locô Scherlogus observat) ipsius certè Paradisi situs nonnihil facessere negotii posset. Ponamus enim in agro vel Mesopotamiensi, vel Hierosolymitano aut Damasceno Paradisum exstitisse olim; qvomodo, qvod ex Caucaso oriri Gangis flumen dicitur, propriumqve Indiæ inprimis est, à prædictis regionibus longissimè distans, alluere Paradisum, aut ex eodem scaturire poterit? Ad qvod iterum sciendum tamen (1) non confundi derivativa flumina cum primitivo oportere. Hoc si ex Paradiso promonavit, ac in qvatuor alia dividendo exoneravit se postmodum; nihil ob id communi sententiæ decedit. (2) Et si hoc tantoperè hîc metuendum foret, eadem de Nilo, qvi è Lunæ montibus oriri à plerisqve dicitur, & in mare mediterraneum VII se ostiis præcipitat; premeret nos difficultas.

§. V. Id insuper dignissimum notatu: mutatos, inde à Diluvii temporibus, fluminum haud paucorum cursus hactenus fuisse. Qvas enim non eruptiones, aqvarum insolitæ moliuntur inundationes? adde imbres diuturniores solitô, nives item copiosiores, & qvi his accedunt, stagnorum exitus importuniores; nec qvidqvam de ventorum violentia adhuc diximus. Littora ipsa certè, exesa diuturnitate, collabefiunt tandem, & in planiciem subsidunt ac ruinam. Ut de aliis non dicam hîc exemplis: (notum enim est, qvid Siciliæ, continente terrâ cum *Italia* junctæ agro qvondam, & circa

circa Gades, ultimis Hispaniæ oris, maritimi inutatione cursûs, per particularia acciderit diluvia:) Albis sanè noster, priscas suas multis in anfractibus, mutâsse vias vulgò creditur. Werden dannenhero die bey der Elb hierümb auffgetretene Teiche, die alte Elb genennet. Accommodè ad nostram hanc opinionem D. Brochmand: *Notum est*, inqvit, *qvantam mutationem attulerit fluminibus, fluminumqve nominibus diluvium, & secula plurima, qvæ à diluvii tempore effluxerunt.*

§. VI. Ut verò confirmemur magis, per PHISON indigitari Gangem, qvædam, qvæ de eo prædicantur, adducendæ sunt proprietates. *Ille enim*, (ait Moses c. 11. 11. 12.) *universam terram Hevilah circumfluit: aurumqve ibi deprehenditur. Et pretiosum istius regionis aurum: Bdellium ibi & nobilissimus prostat Onyx* Princeps character terra HEVILAH hôc locô est. Qvæ ut intelligatur regio, ad Gen. x. 29. nî fallor, recurrendum fuerit. Fuit enim *Hevilah*, nomen Viri primùm, filii *Jectanis*, qvi cum fratre suo OPHIR, has olim occupavit sedes, easdemqve, tempore γλωττοσυγχύσεως sibi vendicavit. Unde factum, ut India, qvæ intra Gangem, HEVILAH; & qvæ extra Gangem sita est, appellaretur OPHIR. Hoc qvippe moris olim fuit, ut, qvas qvis regiones primus occupâsset, suis postmodùm indueret nominibus. Dicitur *Orientalis* Hevilah hæc, citatô Genes. x. locô: qvadrant omnia ad Indiam, prædicata.

§. VII. Sed & (2) auri nobilioris feracissima circa Gangem India deprehenditur. Movit Salomonem, atqve ad se, per navigia invitavit regio ditissima. Nec inventus ullus ullo fuit tempore, qvi non primas auri præstantissimi laudes, Indiæ huic Orientali cesserit. *Tertia*, à Bbdellio petita

nota

nota est. Intelligunt communiter per Bdellion, *crystallum* Hebræi: Dioscorides *Arborem Saracenicam*: LXX, *Carbunculum*; Latini qvidam, *Margaritam*. Magnus *Olaus Wormius*, lib. 11. Historiæ rer. rarior. c. xv. inter Orientis pretiositates, Bdellion hoc ponit, arbusculamqve, qvæ odoratissimas de se fundat lacrimas, interpretatur. *Bdellii* (inqvit inter alia) *arboris, seu ligni, mihi obtigit ramulus, duarum unciarum scilicet, longitudine, crassicie minimi digiti, qvi aliorum ramusculorum sibi obversorum fragmenta obtinet in medio. Inferiori parte, cortice nudatus est, alterâ tenui cinereô dotatur, qvem stipant Bdellii pellucidi & sinceri fragmenta, iis præsertim in locis, ubi ramuli è stipite emergunt. Substantia ligni mollis est, sapore amariusculô*, &c.

§. VIII. *Qvarta* Hevilæ *dos*, Onyx. Onyx autem, (ut lib. 1. Hist. rer. rar. c. xv. D. Olaus Wormius eum describit) *tametsi à colore ungvis humani nomen meruerit suum, pro colorum tamen varietate, varias habet species. Sunt enim nigri prorsus, sunt cum albedine, fusco, flavo, luteo, subcæruleo, corneoqve colore, miram varietatem ostendentes.* Onychum autem & Sardonychum nobilissimorum parentem Indiam constituit lib. 11. de Gemmis, c. v. *Franciscus Rueus*, Doctor Medicus Insulanus. Manet proinde, præter Gangem, nullum aliud, per *Phison* intelligendum flumen esse.

§. IX. Jam non intempestivô cursu ad GIHON veniemus. Nilum verò sic vocari, nemo, nisi literarum & in historiis hospes, negat. Hic est, qvi circumit omnem terram Æthiopiæ. Placent Diodori Siculi, Nilum accuratissimè describentis, verba: *Nilus* (inqvit lib. 1 Biblioth. num. 32.) *à meridie, ratione Ægypti scilicet, Septentrionem ver-*

versus, è fontibus nondum exploratis decurrit. Siti enim sunt in extremis Æthiopiæ finibus, ubi mera vastitas, & terra propter immensum fervorem adiri neqvit. Cûmqve sit omnium fluviorum maximus, & plurimum percurrat terræ, magnos interdum anfractus facit, nunc ad ortum & Arabiam se convertens, nunc ad occasum & Lybiam declinans. A montibus enim Æthiopum; dum in mare tandem excurrat, ut maximè XII. *stadiorum millia, cum flexuosis, qvos facit, ambagibus emetitur. Insulas enim complexu suô efficit; cùm alias, in Æthiopia complures, tum unam magnitudine conspicuam, Meroën,* &c. Rectè verò Siculus, *nondum exploratos Nili fontes* † vocitavit: ut proinde audiendi non sint, qvi communiter è Lunæ montibus Nili arcessant fontes. *Rudolphus* certè *Kircherus* von Suchen, in descriptione Orient. ut & Illustriss. Comes Dn. JOH. à SOLMS, in relat. Navigat. ad sepulchr. Salvat. expressè referunt: Es haben in vergangenen Zeiten viel Sultanen sich unterstanden zu erfahren, wo der Nilus seinen Ursprung habe, und haben etliche Schiffleute in Schiffen, auff drey Jahr, mit allerley Nothdurfft versehen, aussgesand. Aber da dieselben weit hinter Indiam kommen, musten sie wiederkehren, weil sie kein Ende des Flusses Nili finden konnen.

§. X. Restant CHIDECKEL & PHRAT. Per illum Tigris fluvius, à celeritate Tigris, (ita sagittam appellant Medi) sic dictus, Assyriamqve à Mesopotamia limitans, per hunc Euphrates, Mesopotamiam qvoqve à læva, à dextra Syriam, Arabiam & Babyloniam disterminans, intelligendus. Facit huc iterum Diodori Siculi, ex II. libr. locus:

† Vide Marc. Frid. Wendelin. Admirand. Nili, c. 11. p. m. 19. Dieteric. in Antiqvit. p. m. 593. b.

cus: *Post Nilum & Gangem, totius prope Asiæ nobilissimi amnes sunt Euphrates & Tigris, ac fontes suos habent ex Armeniæ montibus, distantqve à se invicem stadia* 1500, *ac per Mediam Parætacenamqve delati, Mesopotamiam ingrediuntur: qvam qvia in medio includunt, regioni id nominis indiderunt. Hinc Babyloniam pervagati, in rubrum mare sese exonerant.*

CAPUT QVARTUM
DE
POTIORIBUS PARADISI CIRCUMSTANTIIS
& Adjunctis.

EPITOME.

1. *Qvô die conditus Paradisus?*
2. *Utrum adhuc supersit Paradisus?*
3. *Probatur interiisse eum; & laudatur* SCHOTTUS.
4. *Qvamdiu Protoplasti incoluerint Paradisum?*
5. *Ubinam locorum situs fuerit Paradisus? Castigantur Origenes, Josephus, aliiqve.*
6. *Negatur ultra Oceanum; & super editissimos exstitisse montes, Paradisum.*
7. *Num Zeilon fortè Insularum omnium absolutissima, prima Paradisi sedes fuerit? Adducitur, inter alia, testimonium* OLEARII *prolixè.*
8. *Continuatur discursus hic, & respondetur ad exceptiones qvasdam.*
9. *Colliguntur in unum rationes, & exponitur uberius sententia pro Zeilon.*

10. U-

10. *Utrum in vicinia Damasci, aut Palæstina olim fuerit?*
11. *Præfertur, reliqvis omnibus, sententia pro Mesopotamia.*
12. *Probatur proliziùs.*
13. *Demonstratur per alia.*
14. *Adducitur & laudatur* Hondii *judicium.*
15. *Utrum animalia qvoqve bruta fuerint in Paradiso?*

§. I.

DE Tempore primò Paradisi conditi, pòst de loco, aliisqve erimus soliciti. Igitur si *terminum à qvo* (ut Philosophorum vocibus utamur,) & *terminum ad qvem* attendamus, tempus facilè prodibit duplex; *initiationis* aliud, aliud *durationis.* Qvô autem plantatus tempore Paradisus fuerit? variant sententiæ: nos pro certa qvadam & veriori definiemus infrà. Ineptit Autor lib. IV. Esdræ, dum ante terram qvidem Paradisum conditum fuisse putat. Sed nec Hieronymo adstipulandum hîc: dum τὸ מקדם, *à principio*; velut Onkelos, ab *exordio*: Symmach. ἐν πρώτοις, Theodotion, ἐν πρώτοις, interpretabatur. Pro tertia die verò militant pleriqve: Abulensis, Vatablus, Eugubinus, Oleaster, à Lapide, Bonfrerius, Aretius, Molina, Svarez, Arriaga, Torniellus, Spondanus, Salianus, Malvenda, Scherlogus, qvem multum hanc in rem proferentem vide loc. cit. sect. III. f. 322. Qvamqvàm enim sextô demum die ordinatus pro hominis primævi habitaculo legatur Paradisus c. II. 2. & 8. aliud tamen est facere de novo rem, aliud, rem antefactam, locô non incommodô rememorare. Argumentamur

pro

pro tertiana luce : *Qvôcumqve tempore productæ sunt plantæ specierum omnium, herbæ scilicet, flores, arboresqve omnis generis, eô etiam factus Paradisus est.* Propositio exceptione carens. Nec enim aliud qvid Paradisus, qvàm herbarum, florum ac imprimis arborum fructiferarum, mirabili jucunditate concinnatarum, & naturali munitarum sepes fuit. *Jam verò tempore diei tertii, producta cuncta, superiùs recensita sunt. Eôdem igitur creatus Paradisus.*

§. II. Sed nunc non minor de *duratione* agitatur lis. Qværitur videlicet, *utrum adhuc supersit Paradisus*, (à nemine licet adeundus) *an verò per diluvium vastatus, interciderit omninò?* *Bellarminus* sanè libr. unic. de grat. prim. hom. c. XII. & XIV. *exstare adhuc Paradisum*, dogmáqve hoc ad catholicam referendum fidem esse, arbitratur. Huic affinis etiam opinioni Sixtus videtur Senensis, libr. v. Biblioth. annot. 36. *dicere Enochum*, (verba hæc ejus sunt) *& Eliam non esse translatos in illum Paradisum terrestrem, inibiqve versari, est contra scripturam, & à recta fidei regula exorbitat.* Vide *Andr. Rivet.* sup. Cap. v. Gen. Exerc. 49. f. 198. Qvid? qvod & *Athanasius Kircherus*, Vir cetera ingeniosissimus, ejusdem se erroris reum nuper, in Itinere Ecstatico, qvodvocat, fecerit. Sic qvippe dialog. I. c. II. schol. v. p. 87. *Theodidactum* ac *Cosmielem* collocutores introducit : *nemo adhuc mortalium eam plagam*, (juxta mare Caspium, qvo de loqvebatur anteà.) *ob inaccessa scopulosorum montium præcipitia, in coronam qvasi coordinata, penetravit, neqve voluntas Dei est, ut is locus, nisi temporibus novissimis reveletur. Hunc sub initium mundi conditi, Protoplasti, omni felicitate beati incoluerunt, à qvo demum per peccatum expulsi, locum*

cum mortalibus inaccessum reliquerunt; in hunc posteris temporibus Henoch & Elias translati beati, & ab omnibus caducitatis humanæ miseriis liberam vitam, rerum divinarum contemplatione, usque ad constitutum ipsis à Deo tempus transigunt &c.

§. III. Vana tamen universa hæc, & Rabbinicis propinqva fabulis esse, seqventes haud difficulter obtinebunt rationes. *Primùm* namqve tota terræ superficies obruta altè ac devastata cataclysmô universali illô fuit. Periit systema ordinatum, igitur & detritum primordiale decus est. *Deinde* hominis primævi gratiâ ordinabatur Paradisus. Cessante verò fine, ratio caussandi qvoqve, circa finem istum, (perpetua nimirum & ab omni aqvarum injuriarúmve aliarum oppressione præservatio) cessat. Lapso homini qvid terrestri opus Paradisô fuerat? Placet excellentissimi ac de re literaria universa meritissimi Viri GASPARIS SCHOTTI moderatius judicium ad allata *Kircheri* verba: *mirum, si ita res se habet, cur tantum apud Historicos & Geographos de ea silentium.* Alii cum *Oleastro, Eugubino, Catharino, Pererio, Jansenio, Francisco Suarez, Viega, Cornelio à Lapide, Saliano & aliis multis censent & fortè probabiliùs, usqve ad diluvium retinuisse Paradisum primævam suam amœnitatem, qvia constat, cùm DEUS expulit ex eo Adamum, posuisse ante eum Cherubinum pro custodia; utiqve ut prohiberet introitum hominibus; nulla autem necessitas fuisset custodiæ, si propter scopulosorum montium coronam inaccessus foret. Verùm in diluvio censent iidem, perdidisse amænitatem illam suam, qvoniam aqvæ per annum integrum, totam terram occupârunt, atqve adeò & locum Paradisi. Credo eqvidem facilè, esse alicubi, in Orientalibus regionibus inaccessa qvædam scopulosorum montium præcipitia,*

 tia,

tia; at intra illa Paradisum fuisse, aut, si fuit; adhuc in amœnitate sua perseverare, minimè credo; qvis enim id vidit, si inaccessa sunt loca? Hæc ille.

§. IV. Fluit inde haud injucunda scitu qvæstio: *qvamdiu nempe Paradisum incoluerint Protoplasti?* Cedrenus Veterum diversissimas opiniones affert; qvorum aliqvi adseruêre, *centum annos* in horto Eden Adamum victitasse. Alii per trihorium duntaxat, felicitatis primæ participem Πρωτόπλαστον fecerunt. Alii septem (numerô rotundô ac sanctificatô usi) largiuntur annos. Cum Chrysostomo Cedrenus sentit interim, eôdem die constitutum, eôdemqve destitutum hominem, advesperascente scilicet. Omitto alios, qvi tot annos fuisse Protoplastos in Paradiso addunt, qvot suum Christus ministerium in terris his obivit. Existimat Lutherus, lapsum hominis in Sabbatho contigisse. Qvando tamen primâ illâ feriâ reqvievisse DEUS legitur, verisimiliorem alii sententiam hanc promunt: post sabbathum mox defecisse Protoplastos. Nos, si qvod ferre seu debemus, seu possumus judicium, citra jacturam veritatis hoc modestissime ponemus. *Sextô creationis die, creatus ex terræ limô est Adamus. Inde in altissimum soporem actus Adam, postqvàm evigilâsset iterum, sociam juxta se deprehendit pariter & agnovit suam. Septimô, solenne sabbathum, DEO, hominiqve gratas ad reqvietem ferias reliqvit. Post id tempus adducta omnium generum animalia, à Cosmoplaste, Genitori primo sunt, ut nomina naturis ad amussim apta, imponeret unicuiqve. Non id intra vel trihorium vel diem unicum (qvamqvàm miraculosa ferè animalium coacervatio videri qveat) propter tot reptilium, volatiliumqve ac gressilium, omnium generum myriadas, expediri ab Adamo potuit. Non hæc, unica absol-*

vit

vit lux acta, aut nox una fortè. Oportet spacium ut concedamus aliqvod; at illud tamen perbreve. Actutùm enim insequebatur lapsus.

§. V. Sed nunc ad nobilissimam omnium, ac tot ingeniorum naufragiis inclytam materiem deveniamus: de LOCO Paradisi scilicet disqvisituri. Præsupponendum ante omnia hic iterum est, falli omnes illos, ac, ut penetranti voce exprimam sensa, κορυβαντιῶν, qvi, qvicqvid de Regione Paradisi Moses profert, *spiritualiter* ac *allegoricè* interpretandum esse censent. Et huic qvidem speculationi facem prætulit Philo Hebræus, atqve hôc contentiosior Origenes. Parùm sic aberit ut allegoricam rerum omnium creationem, hominem, bestiam plantamqve allegoricam, & qvid non aliud, eôdem exponendum modô, habeamus? Josephus, qvi per Paradisum, universum orbem hunc intelligebat, castigandus jure venit. Idem cum Josepho statuerunt Johannes Ferus, Johannes Noviomagus & Abrahamus Ortelius. Ac Ferus qvidem, Comment. in Gen. c. 11. p. 60. hoc habet: *mundus universus verè hominis fuisset Paradisus, si non peccâsset; è contra nunc propter peccatum, nihil aliud est, qvàm vallis lacrymarum.* De Noviomago videndus Bonfrerius f. 115. in hunc locum: de Ortelio autem Scherlogus, lib. 11. antiq. Hebr. Dissert. 111. sect. 111. f. 324. Alios recentiores idem affirmantes adducit del-Rio, Tom. 1. adag. IↃCCLXXXIX. His nos opponimus universis *primò*: consecutionis absurditatem. Cùm enim Scriptura disertè dicat, hominem extra Paradisum conditum, in eundem à Deo translatum, ac ejectum iterum ob peccata ex eodem: qvotusqvisqve non videt, intelligit, ac palpat utrâqve, falli turpiter hos, qvi extra orbem proscribunt Protoplastos? Formatus est in terra Adam, per terras vicinas

Orienti exulavit miser posteà. Urgemus *secundò* etiam apertissimum Scripturæ de Plaga Eden testimonium. Alia res Eden, alia, orbis universus. Illa partem, hæc totum infert.

§. VI. Ridenda qvoqve potiùs, qvàm confutanda operosè Ephremi Syri sententia videtur, qvi, uti testatur latè Moses Barcepha, part. I. de Parad. c. XII. XIII. & XIV. reliqvam à Paradiso segregari terram, ingentibus Oceani, à qvo undiqve alluatur, fluctibus; qvam vastitatem superare nemo, nemo ob profunditatem emetiri possit, somniabat. Et addit insuper Barcepha: *qvosdam Doctorum antiqvorum censuisse Paradisum ultra Oceanum remotum nunc à primis hominibus, cùm essent staturæ procerissimæ in hanc nostram, per vadosum mare commeantibus, desertum esse.* Sed tricæ atqve apinæ, Siculisqve simillima gerris, hæc sunt. Qvamqvàm nec multò aliud commentum, qvod ut ineptissimum est, sic tamen plurimos sortitum Patronos fuit. *Paradisum* videlicet *in editissimi montis vertice locatum, sustolliqve in altitudinem adeò, ut supremam aëris attingat regionem, & ad lunæ usqve concavum, ubi purissimus aër est, excurrat.* Sic qvidem Damascenus, lib. II. de fide orthodox. c. II. Rabanus Maurus, Strabus, Pereira; & Autor carminis de *Phœnice*, inter opera Lactantii Firmiani canit:

Sed nostros montes, qvorum juga celsa putantur,
Per bis sex ulnas eminet ille locus:
Et cùm diluvium mersisset fluctibus orbem,
Deucalioneas exsuperavit aqvas.

Ac post Bedam, *Bridefertumqve* Ramesiensem, idem ex recentioribus statuunt Henriqvez, de fine hominis, c. XXIII. lit. N. Petrus Opmeer, Chronol. p. 79. ad ann. mundi 3061, Michaël de Palacio, in II. distinct. XVII. disput. II. Pudet

 pro-

profectò nos ac tædet, ad has respondere nugas. Arridet tamen iterum, iterumqve Doctissimi SCHOTTI allatum suprà pronuntiatum: *credo eqvidem facilè, esse alicubi in Orientalibus regionibus inaccessa qvædam stipulosorum montium præcipitia; at intra illa Paradisum fuisse, aut, si fuit, adhuc in amœnitate sua perseverare, minimè credo: qvis enim id vidit, si inaccessa sunt loca?*

§. VII. Verisimilius est, qvod pro Paradisi loco, de Insula Orientis ZEILON proferunt Odoardus Barbosa, Surius, aliiqve. Qvibus haud immeritò hîc adjungimus clarissimæ ut experientiæ, sic famæ qvoqve Virum ADAMUM OLEARIUM, dum ad lib. II. Itinerarii Indici Mandesloviani, c. XIV. de Insula Zeilon, ex Maffæo ac M. Paulo Veneto, qvos hic seqvitur, seqventia adducit: Sie sagen auch dass man darvor halte, es haben unsere erste Eltern ihren Sitz allhier gehabt, und sey in dieser Gegend das Paradis gewesen. Sie schreiben alle die darinnen gewesen (qvos inter Nobilissimus etiam Mandeslo) dass es wegen des herrlichen und sehr fruchtbahren Landes, und aller erwündschten Dinge überfluss, ein recht irrdisch Paradeiss konne genent werden, wie es auch der Name Pardes, welcher einem Theil des Landes umb Goa zugeleget wird, mit sich bringet &c. Pergit: Wenn man der alten Kirchväter Meynung hierbey wil gelten lassen, so scheiners nicht unglaublich zu seyn, dass in diesem Theil Indien, der Garten Eden oder Paradeis gewesen. Denn so schreibet Hieronymus in qvæstionib. Hebraicis ad Gen. II. 10. dass das Land Hevilat, ümb welches der Strom Pison geflossen, Indien intra Gangem sey, an welchem anfangs Zeilon, nach jetzterwehnter Scribenten Bericht, als ein Peninsula muss gehangen seyn. Und hatte der Ganges Pi-

son geheissen, à שוב abundare, grofs werden: weil, wie Josephus, lib. I. c. II. und Isidorus, lib. XIII. c. XXI. schreiben, etliche grosse Ströme, in den Gangem einfallen. Hernach aber hat er den Namen Ganges, von einem Indianischen König, Gangaro bekommen, &c.

§. VIII. His, ne qvis qvid excipere conetur, talia superaddit: Dafs man aber einwenden wolte, wo dann die andern drey Ströme, als Gehon, Phrat, und Hideckel, welche nach den siebenzig Dolmetschern Euphrath und Tigris seynd, in Mesopotamia anzutreffen, und haben ihren Ursprung, in dem Armenischen Gebirg, Gehon aber, als der Nilus in Africa. Darauff antwortet Augustinus am gedachten Orte, dafs der Ursprung dieser Ströme dennoch in Indien sey, und hätten ihren Gang (durch Gottes sonderbahre Schickung, damit den rechten Nachkommen Adams, die Stäte des Paradieses verborgen bliebe) unter der Erden, und brechen an unterschiedlichen Orten hervor, und dis wär so ungereimt nicht, weil nach der fürnehmsten Geographorum bericht, aus dem Caspischen Meere, in das Scitische Nord Meer auch unter-Erdische Canalen giengen.

Cornelius à Lapide lässet diese der Väter Meynung dahin gestellet seyn. Er hält aber davor, dasz, weil noch die zwene Ströme Euphrat und Tigris in Mesopotamia fliessen, erst zusammen lauffen, und hernach sich wieder von einander theilen, und also vier Hauptströme machen, derer zwene mit der Zeit ihre Name verändert hätten. Aber diese Gedancken (subjicit) konnen der Väter Meynung nicht auffheben. Denn wir haben in Heiliger Schrifft keine Nachricht, dafs diese Armenische und Ægyptischer Strom, eben sollen die Paradis-Ströme gewesen seyn.

§. IX.

§. IX. Urget igitur post exqvisitissimam fructuum omnium ac svavitatum ubertatem, Patrum Ecclesiæ primitivæ consensum, convenientiam nominum qvoqve, ac fluminum denominationes, qvas à scriptoribus, LXX. inprimis interpretibus accepêre, in dubium omninò vocat. Hinc subdit: Die Scribentein, so dieses setzen, haben es alle aus den LXX. Dolmetschern. Wer wil nun sagen, dass die 70. Dolmetscher, wie wir sie haben, bierinnen authenticè zu halten seyn, da sie an anderen Orten der Bibel bissweilen vom Hebraischen Text abgangen, und ihre eigene Gedancken und Meynunge gehabt, welche aus der Grundsprach nicht können behauptet werden, wie solches Hieronymus præfatione in Pentateuchum, und andere erweisen, darbey Gerhardus de S. Scriptura §. 570. zu lesen, des Phrats wird zwar aufsdrücklich in H. Schrifft gedacht. Aber gleich wie das Wort Gehon, nicht nur dem Nilo in Egypten, sondern auch an den Strömen zugeeignet wird, als einem nicht ferne von Jerusalem gelegenem, woselbst Salomo zum Köninge gesalbet worden ist, 1. Reg. 1. 33. 38. & 45. item 2. Paral. XXXII. 30. Wie auch viel Ströme seynd, die den Namen Tigris führen, nach Anleitung des Thesauri Geographici Ortelii. Also kan man auch nicht gewisse sagen, dass der Paradisische Phrat, auch eben der Mesopotamische Euphrates (welcher jetzo Moratsu genant wird) seyn soll. Der Ganges aber, in welchen aus den Indianischen Gebirgen entspringende grosse Ströme fallen, ist nach aller Aussage, die daselbst gewesen, sehr Goldreich, ingleichen die Insul Zeilon, welche das meiste und köstliche Gold hat, gleich es dem Lande Hevilat zugeschrieben wird.

Hæc prolixiusculè hactenus ex Oleario: cujus

nescio an sit improbanda sententia, velut eorum, qvi sub *Æqvinoctiali* præcisè circulo, locô maximè torridô ac intemperatô, metantur castra Paradisi. Noster tamen qvis sit animus, patebit ex consecuturis.

§. X. In vicinia nimirum *Damasci*, haud ita procul ab Hierosolymis locârunt Paradisum Eugubinus, Hieronymus ab Oleastro, Frater Felix Faber, ordinis Prædicat. in suo, versus Orient. Itiner. Rudolphus Kirchherr von Suchen, & teste Meibomiô, in notis ad Sleid. de qvat. summ. Imp. Philippus Melanchthon, cujus hæc adducit verba: *Sedem primorum parentum fuisse in regione vicina Damasco, extra omnem controversiam est.* His per omnia adstipulatur operosè Mussipontanus Pater Nicolaus Abramus, in Pharo Vet. Testam. lib. II. memb. xx. f. 60. & seqq. dum à loco creationis, inhabitationis & sepulturæ Adamicæ, genuinum Paradisi locum ostendere laborat. Sic verò Philomatem ac Theophr. collocutores sistit. *Jam ex te qværo, Philomates, an longè à Paradiso, Adam esse formatum existimes?* PHILOM. *sanè juxta Paradisum, in qvo posuit Deus hominem, qvem formaverat.* THEOP. *qvô, inqvam, peculiari locô?* PHILOM. *Si interrogamus Hebræos, vel in Agro Damasceno, juxta Hebron, non longè à convalle illustri, vel saltem in aliqva parte terræ Israëliticæ formatuum esse, consentiunt. Adstipulantur Hieronymus, Lyranus, Hugo, Abulensis, aliiqve sexcenti.* Et mox contra Salianum, qvi infringere hæc nitebatur; *ipse mihi*, inqvit, *vicissim ignoscet, si ex eo, qvod communis non Judæorum modò, sed etiam Christianorum traditio, primum hominem in* AGRO DAMASCENO, *vel saltem in Palæstina formatum agnoscit, suspicer non procul inde plantatum fuisse Paradisum* &c. Hanc ut opinionem stabi-

biliret Mussipontanus, omnium generum consarcinavit, sed qvandoqve minus firma tamen, argumenta.

§. XI. Ego ut verum fatear, tametsi neutram posteriorum absurditatis postulem, sententiarum, numqvàm tamen, dum expendi ultrò citróqve cuncta, impetrare abs me potui, qvin plurimis de caussis eam anteferrem reliqvis, qvæ Mesopotamiæ, circa Babylonem inprimis, Paradisum vendicat. Rationes, qvæ me movent, hæ sunt: *Primò* enim ex fluminibus Paradisi de prisco ejus judicandum loco. Qvorum, qvi in dubium adpellationes rapit, vel meliora demonstrare, vel docere interim tenetur, cur non per *Phison*, *Gihon*, *Phrat* ac *Chideckel*, intelligere nos oporteat, *Gangem*, *Nilum*, *Euphratem* ac *Tigrim*? præsertim cùm post septuaginta virale testimonium (antiqvis siqvidem vel meliùs, vel æqvè tamen atqve nobis, hac de re constare potuit) ipse ex Geographia situs, ad hoc amplectendum dogma nos manu qvasi ducat. Accedunt prædicata cuncta, fluminibus recensitis à Mose attributa, qvæ competunt ex asse illis hodiénum. Qvando tamen Tigris atqve Euphrates, qvatuor, discursu suô, flumina constituunt, supra Babylonem autem, unô recipiuntur alveô, & infrà in duo rursus dividuntur, si vel maximè non admittantur nobis Ganges Indiæ, & Ægypti Nilus, propter nimiam à se invicem distantiam; facere satis tamen interpretatio *Johannis de Mey*, *Ecclesiastæ Medioburgensis*, in edita nuper Physiolog. sacr. p. 25. valeret. *Duos illos alveos*, ait, *qvorum alterum appellat Moses Phison, alterum Gihon, rectè appellaveris eruptiones qvasdam Tigridis, vel Euphratis. Magnis enim fluminibus sæpè contingit, in varios dispartiri alveos, qvos vulgò ramos, vel brachia appellant. Nec mirum videri debet, hosce fluvios, Phison & Gihon, vel nunc non*

esse, vel non memorari à Cosmographis: constat enim, complures alveos aut exaruisse, aut per alia loca, cursum suum avertisse & deflexisse, multos item non admodùm nobiles & memorabiles præteriri à Cosmographis. Qvid, qvòd propria nomina locorum & fluminum sæpius muta-ta esse, non ignoramus.

§. XII. *Secundò* apertissima Scripturæ vox est: plantatum in EDEN fuisse Paradisum. At *Eden vel partem Mesopotamiæ* (verba sunt Dn. D. Brochmandi) *vel ei valdè vicinam fuisse, non obscurè evincit collatio locorum*, Gen. IV. 16. 2. Reg. XIX. 12. Ezech. XXVII. 23. Ubi plaga illa Eden, juxta qvam, in regione Nod olim Cainus habitarat, cùm ante diluvium à nemine adiri posset amplius; destructô tamen ac obliteratô, per aqvas, Paradisô, culta pariter ac infesta ad hunc usqve diem, citra dubium est. Ac circa Badgad potissimùm (qvæ aliô nomine Babylon vocatur) nihil, qvod ad svavitatem facere ullam potuisset, desideratur facilè. Audiamus Clarissimum, ex Itiner. suo Persico, OLEARIUM, lib. VI. c. V. f. 551. Diese beyde Ströme (Tigris und Euphrat) fliessen wenig Meilen unter Bagdad zusammen. Es berichtet uns der Persische Gesandte, welcher mit uns heraus kam, wie auch mein Hackwirdi, beyde alte Leute, die wohl umb die Gelegenheit Persien wusten; dass die Babylonier an dem Orte, da jetzund Bagdad stehet, weil es einen niedrige und lustige Gegend, ihre Lustgarten und Lusthäuser gehabt, weil es auch das wort mit sich bringet: dann Bag heist ein Garte, und Bagdad wo es viel Garten gibt &c.

§. XIII. Adhuc *tertiò*, Hortus Eden, מקדם, vel κατ' ἀνατολάς, ut LXX verterunt, plantatus legitur. Scriptura autem nomine terræ Orientalis plerumqve solet intelligere Mesopotamiam, vel

huic

huic aliqvam confinem. Conf. Genef. xxv. 6. Num. xxiii. 7. &c. Qvid? qvod per *Chideckel*, fluvium velocem Tigrim; per *Phrat* verò Euphratem intelligi, non communis folummodò fententia Doctorum, fed textus etiam Mofaicus affirmet. Confulatur Janfenius, Vatablus, Eftius, à-Lapide, Bonfrerius, Genebrardus, Pererius, Viega, Torniellus, Spondanus, Hieronymus de la Rua, Salianus, Granado, Malvenda, Scherlogus prolixè, l. c. f. 325. &c. Qvidqvid tandem fit, oportet omninò concedi nobis, fi latiffimè velimus loqvi: inter mare *Cafpium*, Pontum Euxinum, Mare Mediterraneum, Mare Rubrum & finum Perficum, fitum olim fuiffe Paradifum; qvi nunc tractus omnis, ab indigniffimis poffidetur Mahummedanis: qvemadmodum & Palæftina cum Principe urbium fui ævi, Hierofolymis.

§. XIV. Placent egregiè, fi pauca qvadam demas, Jodoci Hondii, in majore mappa Geographica ipfius, verba: Paradifus, *inqvit*, qvi hortus Dei, hortus Jehovæ vocatur alias, ubi fuerit, qvæfitum eft diu. Initiò diftingvendus hic hortus ab eo, qvi Amos I. 5. vocatur *Beth Eden*: nam is fuit in *Cœlo-Syria*. Jam cùm Mofes teftetur, Paradifum ad Orientem, Edenis latus fcil. à Deo confitum fuiffe, indicat clarè, partem Edenis fuiffe Paradifum. Eden autem defcribitur à fluvio uno, qvi fe in qvatuor fundit capita, *Phifon*, *Gihon*, *Tigrim*, *Euphratem*. Res clamat, alibi non fuiffe, qvàm in *Babylonia*. Sed Babyloniæ partes funt tres, *Auranitidis*, ad Euphratem, *Mediana*, qvam Chaldæam vocant, ad Arabiam defertam, & *Infima*, qvæ à qvibufdam *Merodacia*, (aut Amordacia) dicitur, ad *Sinum Perficum*. Fluenta qvatuor nobis defignant, *Edenem* non alibi fuiffe, qvàm in *Auranitide*, qvæ initio

Au-

Audanitis, qvaſi *Edenitis* videtur fuiſſe adpellata. Jam fluvios videamus. De Tigri, qvi Moſi *Chideckel*, & Euphrate, qvi *Phrat* ipſi adpellatur, nulla eſt controverſia. Notum enim eſt omnibus, hos ad *Apamæam* miſceri, atqve inde unô ingenti alveô ferri, poſteáqve exonerari in mare Perſicum. Superſunt Piſon & Gihon. Piſon exiſtimant qvidam eſſe Euphratis oſtium Orientale. Sed qvid attinebat Edenem facere vel tam amplum, vel locô infœcundiore, vel ubi non apparent diverſa iſta qvatuor capita. Qværendus igitur ei omninò fuit alius locus. Is eſt inter *Euphratem* & *Tigrim*; ubi fluvius ab Euphrate manans, lentô agmine, juxta *Apamæam*, Tigri miſcetur, diciturqve incolis *Paſitigeris* corruptè, rectum enim eſt *Piſotigris*. Plinius abundare angvillis ait, 30. pedum longitudinis. Certè Piſon Ebræis fœcunditatem ſignificat. In eius arena, aurum præſtans inveniri, teſtatur רמבן. Atqve eodem reſpexit Moſes, cum dixit Piſonem alluere regionem *Hevilæ*, ubi eſt aurum. Nam Chevilah; *Suſiana* eſt, in qva *bdellium* & Sardonyches inveniri, Autores ſunt Plinius, lib. v. c. xxvii. & Solin. c. lxviii. Gihon eſt primus Euphratis alveus, occidentem verſus, qvi terræ *Chus*, h. e. *Arabiæ* deſertæ eſt proximus, &c. *Hæc ille*:

§. XV. Atqve ſic de ſede Paradiſi, ſufficienter, ut ſperamus, actum eſt. Nunc Colophonis locô, de eo moveri qvæſtio potuiſſet: *utrum animalia qvoqve bruta fuerint in Paradiſo?* Negativam enim ſuſtinuit Damaſcen lib. ii. de orthodox. fide, c. xi. ſcribens: *ſolum omnium animalium, hominem fuiſſe in Paradiſo.* Hanc tamen inconvenientem opinionem & eſſe & haberi, præter ἀπαιδευσίας metum, ut *Nonnemo* ſuſpicatur, ex ſeqventibus haud obſcurè diſpaleſcet. Serpens qvippe, ac ſub ipſo

Dæmon,

Dæmon, hominem in ipso seduxit Paradiso. Adde & avicularum modulatissimos concentus, qvi non tralatitium Paradisi incolis creare poterant oblectamentum. Qvin nec pisces, in vastissimo Paradisi flumine desiderabantur. Ut de Dominio hominis primævi super animalia universa dato, nihil hîc adjiciamus. Neqve enim commodè in id, qvod abest, dominium exercere licet. Arcendus nihilominus à Paradiso, fabulosus Phoenix: qvo de alibi actum prolixiùs à nobis fuit. Ac tantum igitur, citra cujusqvam præjudicium, de PARADISO.

F I N I S.

APPENDIX

Ad capitis 11. §. 3. *de Arbore Vitæ, & ejusd. cap.* §. 10. *de Arbore Scientiæ boni & mali.*

Cùm ad umbicilicum deducere hanc Diatriben niteremur, locus qvidam in *Itinere Mandeslov.* huc faciens apprimè, justô tamen occurrebat seriùs. Ita autem in annot. suis eruditissimis, ADAMUS OLEARIUS, ad lib. 1. cap. VII. d. l. f. 25. ex *Goropio Becano*, qvem hîc meritò ridendum aliis exponit: Goropius Becanus schreibet in seiner Indo Scythica, und in opere rerum Gallicarum, dass der Baum im Paradeis, von welchem Adam und Eva, wider Gottes Verboth gegessen, nemlich, der Baum des Erkentnis Gu-

tes

tes und Böses, ein solcher Baum sol gewesen seyn. (Loqvebatur autem in prioribus de mirabili illa arbore Indiæ Orientalis, Ficu Indica nimirum; de qva hæc, Nobilissimus testatur MANDESLO: Diese Tage bin ich mit einem Englischen Kauffmann, eine Meilwegs am Strande (circa Gamron Ind.) spatzieren geritten, und habe einen weit aussgebreiteten Baum angetroffen. Dieser Baum war sehr wunderlich gewachsen, dann desselben Zweige giengen von oben herunter in die Erde, schlugen Wurtzel, und machten mit dem Hauptstamm gleichsam nur einen Zopff, und einen continuirlichen Schatten, unter welchen über 2000. Mann stehen kunten, &c. Conf. Strabo, Plin. Theophrast. Curtius, Clusius, Eduard Lopetz & alii: qvibus Ficus prædicta arbor audit.] Sed pergit ex Becano Olearius:

Es hätten Adam und Eva auch von den Blättern dieses Baums alssbald Schürtzen gemacht, ihre Schande damit zu bedecken. Er saget auch, dass der Baum des Lebens were eine EICHE gewesen, und aus solchem Holtz hätte auch müssen das Creutz, woran Christus gehangen worden, gemacht werden. Conferatur ipsemet in Indo-Scythica, p. 485. & in opere rerum Gallicarum lib. v. p. 131. & seqq. autor, qvi, qvantum glorietur ac triumphet ob novum hoc ac proprium inventum, S. Scripturæ, ut opinatur, per omnia consonum, vix dici potest.

Eines nur noch zugedencken, was Johann Bodæus à Stapel, in Comment, über den Theophrast. aus dem Goropio, und denen, so diesem folgen, bey Erwehnung dieses Baums gar lächerlich gedencket, dass man den Name der Frucht FEIGE, nach der Holländischen Sprach zwingen und sagen wil; Weil die ersten Eltern gesehen,

dass

dafs fie von der Schlangen fo fch ndlich betrogen, und durch Nieſſung dieſer Frucht, an Leib und Seele gleichſam vergifftet worden, hätten ſie ſich, ſo zu reden, angeſpyen und geſagt: Fy, * ghy, das iſt, Pfuy dich! und daher die Frucht den Namen Fyg bekommen, welches Wort, wenn man es zurück lieſet, heiſſet Gift, oder Gifft. Es werden vielleicht Adam und Eva Holländer geweſen ſeyn, und Holländiſch geredet haben.

* Vide qvæ diximus in Præfatione Faſcis noſtri II. p. 70. ſ.



EXER-

EXERCITATIO SECUNDA.

DE

AVE PARADISIACA,

seu

MANUCODIATA.

CAPUT PRIMUM

DEFINITIONEM EXHIBENS.

ARGUMENTUM.

1. *Ratio & occasio Autoris ad has meditationes.*
2. *Describitur Paradisi Avis. Indigitatur* patria *ipsius, ubi habitare solet.*
3. *Inqviritur in æstimium*, staturam *ejus ac magnitudinem. Exponitur ornatus, &* extrinseca, *pennarum ratione*, forma. *Adducitur capitis rostriqve* figura.
4. Utrum cælesti rore, aut purô vivant aëre? *disqviritur. Negatur in totum, ac probatur.*
5. An perenni motu vivat, & in aëre continuet volatus suos? *Sistuntur absurditatis hujus & plurimi & maximi Patroni.*
6. *Probatur solidè contrarium.*

§. I.



Cùm vir magnus nuper & Consiliarius excellens, ut, qvid de Paradisi Avibus, earumdemqve judicandum pedibus esset, exponeremus publicè, adhortaretur; ne vel laborem subterfugere viderer; & huic non assurgerem curiositati, vel tanto non velificarer postulato; meâ interesse duxi, ut post Paradisi theoriam, de Ave isthac, ruditer aliqvid proferrem: ac qvod Doctissimus etiam optaverat haud ita pridem SCHOTTUS, lib. IX. Phys. Curios. c. LII. p. 1207. tangerem intereà propiùs, dùm consummatius qvid à genio sperari meliore posset. Agam verò in compendium meletema præsens, & ne aliorum expilare scrinia proclamer, de caussæ capite acturus inprimis sum: *Utrum careant pedibus Manucodiatæ, an verò instructæ illis sint?* Ne tamen omnino nihil de qvidditate Avis hujus videar dixisse (ignoti enim qvæ cupido sciscitandi esse potest?) adducam & descriptionem ejus, & qvantum, pro brevitate licet, dijudicabo.

§. II. Manucodiata igitur *Orientalis Indiæ, propemodùm infra mediocre genus avis est, pennas per longiora filamenta amœnissimè productas, caput pressum ac colores varios cum sufficiente rostro, habens; qvæ vulgò ἄπους & cœlesti rore pasci, perpetuumqve exercere volatum dicitur.* *Patria* intervisenda primùm, qvæ cùm in Europa ignoretur, ad Orientalem Indiam nos ducit. *Moluccæ* Insulæ potissimùm, ac *Java major* eas alit. Qvamqvàm enim Simon Majolus, colloqv. VI. dier. can. de avibus, f. 113. in ora *Africæ*, non longè à *Guinea*, hanc stabulari volucrem affirmet; nos tamen cùm

 expe-

experientias nautarum, tum aliorum etiam seqvuti testimonia, nativum illi locum Orientem fecimus. Audiendus Nobilissimus αὐτόπτης ex lib. III. Itin. Ind. f. 223. MANDESLO: Diese (Moluccische) Insulen, seynd überaus reich von Negelcken, dergleichen keine in gantz Orient ist, dass sie wohl möchten die Nelcken Insulem heissen. Ob zwar andere ümbliegende Insulen (sonderlich Meao) auch eine gute Partey Nelcken geben, ists doch gegen dem Uberflusz auff den Moluccis nichts zu rechnen. Sonst findet man auch allhier, wiewol nicht in grosser Mange, Muscaten-Nüsse, Ingwer, Pfeffer, Zimmet, Mastyx, Coccernüs-Bäume, Paradis-Holtz und Sandel. Auch lassen sich hier am meisten die Paradies-Vögel sehen, welche weil sie keine Füsse haben, in der Lufft schweben, und sich mit etlichen Federn an die Bäume hengen, &c. Consentit post alios multos, Melchior Gvillardinus, * de Monte Regio, Borussus, Medicus.

§. III. Moluccarum Insularum Reguli religiosè admodùm ac reverenter hanc habent avem. Hinc Manucodiatas, h. e. aves Dei adpellârunt: hâc creduli persvasione, non vulneratum iri in prælio eos, etiamsi in prima qvoqve stent aciei, qvi illarum secum pennas portant. Superioribusqve annis, Reges *Marmin* in Moluccis, animarum immortalitatem inde credere cœpisse legimus, qvòd Manucodiatas, pulcherrimas aviculas numqvàm terræ, aut cuipiam alii rei insidere, sed exanimes tantummodò in humum decidere conspicerent. Sed cùm perversissimi Mahummedani, qvi ad illos,

* An vitiô typographicô, an à Cl. auctore ipso *Gvillardinus* per *r* semper vocetur, dicere non possum. verum ejus nomen fuit *Gvillandinus*, inde & emendavi; fortè non ingratiis Dn. Auctoris.

los, commerciorum caussâ, commeabant, Manucodiatas in Paradiso nasci, & Paradisum, locum animarum, qvæ vitâ functæ essent, persvasissent: Regulos illos ad Mahumeti sectam pellexerunt neqviter, qvòd de hoc animarum loco multa illis ac amplissima pollicerentur. Vide Ulyss. Aldrovand. lib. XII. Ornitholog. c. XXI. f. 400. convenit de *patria* proinde.

§. III. *Statura* nunc & magnitudo metienda ejus. Avium aliæ *maximæ*, ut aqvila, Struthiocamelus, grus, ciconia, psittacus, anser, vultur, corvus &c. *mediocres* aliæ, ut columba, pica, turdus, merula &c. qvarum ordini hîc accensemus Monucodiatam, qvæ, licèt pennarum amplitudine qvâdam ac longitate gaudeat, qvoad corpus tamen, nulla major hirundine, ab Aldrovando deprehensa fuit: aliæ verò *minimæ*: ut regulus, philomela, parus, curruca &c. In Java tamen, columbæ magnitudine inveniuntur. Et Scaliger, Exerc. CCXXVIII. aliqvam picâ non minorem vidit. *Tertium* descriptum ab extrinseca *forma & Ornatu* dedimus eamdem. Meruit scitissima avis ideò, ut *Dei*, ut *Paradisi* diceretur volucris. Aldrovand. cit. loc. c. XXI. *pennarum*, inqvit *ambitus discolor est, sed admodùm venustus & visu undiqve jucundissimus.* Alæ cum cauda expansæ, pennæ omnibus, filorum instar tenuissimæ, pavonum ex toto similes, nisi qvòd oculis destituantur: omnes tamen, qvæ vel à ventre, vel dorso enascuntur, propter longitudinem caudatæ velut: & nec dilatari, nec contrahi, pro appetitu animalis possunt, naturâ eumdem semper retinente habitum. Subjicitqve Gvillandinus: *avicula est, corporis magnitudine & pene formâ, coturnici similis, pennarum ambitu discolore, sed venustô admodùm & decorô, visuqve jucundissimô, undiqve exornata, ca-*

 put

put qvale hirundinis, majusculum pro corporis amplitudine. Pennæ superiorem ejus partem, à prima cervicis vertebra, ad rostri usqve initium exornantes, breves sunt, crassæ, duræ, spissæ, coloris lutei, insigniter splendentes, & auri purissimi modô, radiorumvé solarium instar fulgentes: ceteræ, qvæ mentum contegunt, & molliores, & tenuiores, atqve ex cyaneo mirè eqvidem virides deprehenduntur, haud planè colore eis dissimiles, qvas in anatum masculorum capitibus, dum lucidissimè obvertuntur sideri, conspicimus. confer. Majolus, loc. supr. alleg. fol. 113. Qvartum characterem nobis *capitis & rostri* exhibet *figura*. Caput, *ait* Aldrovandus, non rotundum, sed pressum, qvale hirundinis, nucis juglandis fermè magnitudine. Rostrum verò non omnibus æqvè magnum, neqve ejusdem etiam coloris. Gvillandinus addit: *rostrum qvàm sit hirundine prolixius, pedes* NULLI, *pennæ alarum ardeis formâ pares, sed tenuiores longioresqve colore fuscô, inter rufum & nigrum splendentes.* Differt tamen habitudo rostri, nunc majoris qvippe, nunc minoris: pro annorum scilicet ac specierum etiam diversitate. Vidimus nos Dresdæ rostrum, inter alia, qvod non minus erat piceô. Jul. Cæs. Scaliger, Exerc. CCXXVIII. sect. II. Bernardus, inqvit, Orvesanus, regiæ triremi præfectus, studiorum meorum studiosissimus, misit ad me, hæc scripturientem, Manucodiatam unam, maximâ picâ non minorem. Illam metitus à rostro ad uropygium semipedem excedere inveni. CAPUT non rotundum, sed PRESSUM est, qvale HIRUNDINIS: tam grande, qvanta nux juglans est. Cauda longissima bifurcata. Pluma in capitis parte superiore adeò minuta, ut pilo propior, penè visum fallat. Et viriditas, qvæ in feris anatibus: sed ita vegeta, ut Smaragdi splendorem imitetur. *Hæc ille.* Ceterùm *an pedibus instructa avis sit?*

sit? cùm peculiare ideò seqvatur caput: nihil hîc anticipabimus. De *alimento* potiùs agendum.

§. IV. Cælesti rore Paradisi aves pasci, Aldrovandum fortè ac Schottum si excipias, dicunt communiter ac scribunt. Hunc & pro potu illis, & pro cibo, rorem esse, opinantur. Alii purum planè aërem substituunt, ut mendacia amplificent. Dubitat Cardanus tamen, lib. x. subtilit. fol. m. 349. sed ex errore in errorem idem ille truditur. *Vesci autem aëre purô*, scribit, *haud verisimile est, qvòd nimis tenuis sit. Vesci animalculis, neqve id, qvod ibi non fiat congregatio, ad generationem illorum, haud dubiè necessaria: neqve in avium ventribus illa cernuntur, qvalia in hirundinum: sed tamen hoc non cogit, cùm Manucodiatas solô seniô confici, credendum sit, at nec vapore, cùm infra copiosior sit, unde descendentes viderentur: vapor etiam nonnumqvàm perniciosus est; RORE igitur per noctem vesci, verisimile est.* Veruntamen si rore cæli victitant hæ aves, ubi eum captant? an in suprema aëris regione? at hæc purissima, & nullô terrestrium inqvinamentô rerum gaudet. Ros prope terram generatur. Hinc meteororum omnium humillimum. At altum Paradisi volat avis. Ac certis duntaxat anni temporibus destillat ros. Ignorat eum hyems; qvæ licèt remissior intentiorqve, pro regionum qvalitate sit, est tamen hyems. Qvô tum famelica avis (cùm sicci pariter ac calidi temperamenti sit) reficietur pabulô? Qvin nec omni vernali æstivaliqve die, sed sereniore tantùm ros decidit. Adde qvòd solo tempore matutinô. Miseris itaqve illis natura noverca fuerit, qvas deficiente rore emori necessum est. Elementa sola nullum anteà nutrire corpus vivum possunt. Qvid? qvòd occidat potiùs purus aër, qvàm ut conservet. Rectiùs idcircò Aldrovandus; solidiori cibô, inse-

ctis scilicet, tam volucribus, qvàm apteris, pro cibo, illis opus esse, statuit. Potum verò Manucodiatarum, sufficienter Carolus describit Clusius, ex postremis Batavorum, in Indiam navigationibus. Breviter dicam: AQVA est: sed illa tamen limpidissima & saluberrima.

§. V. Nunc deniqve de *motu* & *qviete* Avis, solicitos nos esse, convenit. Majolus: *numqvàm ullo locô considere, semper verò in aëre subsistere*, rescribit. *Id tradidit Maximilianus Transylvan. qvi addit, numqvàm visam fuisse, nisi mortuam, qvòd tunc, deficiente vitali spiritu, labatur in terram.* Et Gvillandinus: *cùm animantia cuncta, qvibus cerebrum suppetit, ex qvorum numero & Manucodiata est, post diuturnas vigilias, longasqve diei excubias, qviescere tandem ac somnum capessere, necesse sit; qværat aliqvis optimè, cùm aviculam istam numqvàm in terram descendere dictum sit, qvis ejus qvietis locus, qvæve naturæ tam admiranda vis ac potentia, qvòd dormientem æqvè ac vigilantem, semper in sublimi æthere consistere voluerit, mortuam autem deorsum ferri, inqve humum decidere, haud vetârit.* Aldrovandus verò erroris hujus castigator justus: *perpetuum volatum exercere eas, existimârunt, & nisi alis in sublimi expansis, tonici nempe motus auxiliô reqviescere.* Cardanus, citatô anteà locô: ut verò, *inqvit*, Manucodiata avis est, ut nullô modô inhabitet terram, ita contrariâ ratione Struthiocamelus sic à terra non discedit umqvàm, ut avem dicere non possis, nisi ad formam respicias. Poterat hoc tamen condonari Cardano adhuc: ut cujus non ignota oris liberalitas esse solet. Scaligero autem, qvi in subtilitatibus eôdem se locô excercere, subdidit, tam pudibundum sphalma detrahit. *Ei, cùm SEMPER in AERE sit agendum, pennarum pinnulas non cohærere.*

§. VI.

§. VI. Nos contra, *motum diuturnum qvidem, sed vicariam subinde etiam qvietem*, per justa temporum spiramenta, tribuimus Manucodiatæ. Principium naturæ est: *nullum corpus mixtum ac vivens, in continuo potest esse motu.* Detur ratio, detur experientia, cur excipienda Avis Paradisi? Manet altâ mente repostum:

Qvod caret alternâ reqvie, durabile non est,

Necessum, dormire Manucodiatas. Animalis enim omnis est, vigilare & capessere somnum posteà. Jam dissonum à sana ratione est, somno intentam avem, in summo æthere pendulam sustineri. Sed nec insomnem prorsus vitam trahere putandum, qvòd id tormentum omnium summa videretur carnificina. Est & arduis, excelsissimus: falconibus ac milvis diu velocissimus: impetuosior aqvilis volatus: reqviescunt nihilominus per intervalla sua, subsistunt, dormiunt. *Omnis avis femella parit ova:* principium naturæ est. Finge nunc in aëre, in perenni motu excludi Manucodiatæ ova. *Omnis species generando se multiplicat.* Generat Manucodiata, parit ova, excludit fœtum. Necesse est, interqviescat. Qvid tum, si viderit nullus? Qvis aqvilam in rupe nidulantem, qvis parturientem observavit? Fugiunt hæc sensus nostros: & fiunt interim constanter. Scio, qvid excipiant nugivenduli: *aviculam hanc præ ceteris admirabili & suspiciendâ prorsus dote Naturam solertissimam dotâsse, ut mas feminam dormientem excipiat dorsô, gestet, sustineat. Dorsum insuper masculi omni ex parte depressum esse; inflexumqve adeò, ut sinum qvemdam foveamqve repræsentet. In eam cavitatem ova feminam deponere: ideoqve feminam cavum obtinere ventrem etiam, ut incubare felicius: pullosqve excludere facilius nimirum qveat.* Breviter respondeo: NON AUDIO DELIRIA. Species interea qvi

desiderat, Aldrovandum, qvi qvinqve earumdem, sed breviter adduxit, adeat. Ego, ut sensa exprimam mea, non tam specie, qvàm exiguis qvibusdam accidentibus differre, qvod observavi, statuam.

CAPUT SECUNDUM
DE
MANUCODIATARUM PEDIBUS.

SYLLOGE.

1. *Adducuntur Autores & maximi & plurimi, sine pedibus Manucodiatas statuentes. Modesta excusatio subjungitur.*
2. *Asseritur contrarium, & probatur rationibus ac principiis Naturæ.*
3. *Provocatur ad testimonia Pigafettæ, Clusii, & ex Batavia Nautarum.*
4. *Ex αὐτοψίᾳ cùm propria, tùm OLEARII demonstrantur pedes Avis Paradisiacæ.*
5. *Ostenditur ansa & occasio, qvâ inducta in errorem tot clarissima ingenia fuerunt hactenus.*

§. I.



Pedibus carere Paradisiacam hanc avem, communis omnium ferè sententia est, & fuit hactenus: adeò ut præter Antonium Pigafettam, Carolum Clusium, & in ancipiti versantem adhuc Gasp. Schottum, tantùm non universa Literatorum cohors vel incerta nobis, vel contraria apertè videatur. Qvòd enim apodes sint Manucodiatæ, statuunt (ut Nobiliores solummodò adducam breviter) Cardanus, lib. x. subtil. Scaliger, Exerc. CCXXVIII. sect. II. Majolus, locô aliqvoties citatô. Gesnerus, lib. III. de Avib. Francisc. Lopetz,

petz, Gvillandinus, Maximilian. Transylv. Nierembergius, Pincier in Ænigm. suis, Jonston. in Hist. nat. de Avib. & qvod molestissimè apparet, ipse, qvi qvinqve tamen earumdem vidit, descripsit, palpavitqve, Aldrovandus, eôqve nomine castigat Pigafettam: qvibus omnibus accedit etiam Mandeslo; ut ex verbis ejus priori capite adductis, claret. Poterat hoc omne qvidem, qvantum est, vel excusari, vel tolerari qvoqve: si inter minorum gentium auctores præjudicium stetisset. Nunc cùm Eruditorum Lumina, testésqve non auriti duntaxat, sed αὐτόπται etiam in erroris adducti fuerint societatem: & admiratio animum, & modestus subit timor. Qvando tamen licitum honestúmqve semper habitum est, magnæ auctoritatis sapientiæqve Viros venerari ita, ut potiorem ubiqve locum veritati relinqvamus: non possumus non divortium ab illis aliisqve facere intereà, cùm præter rationes vegetas, qvas allaturi paullò pòst sumus, ipsamet fides ocularis & experientia seqvestra dubiorum, caussam pro nobis hîc peroret. Adducam succinctè rationes primò, dabo αὐτοψίαν inde, & si potero, erroris ansam, qvæ tot summis imposuit ingeniis, denudabo.

§. II. Statuo igitur, dicóqve: *gaudere pedibus Manucodiatas.* Provoco non ad Aristotelem qvidem, qvem in Physicis aberrantem communiter, nec seqvor nec adoro; sed ad Naturæ, (qvæ sola controversiarum harum norma est) principium juxta atqve testimonium. *Natura*, inqvam, *non deficit in necessariis.* Sed necessarios Manucodiatis pedes esse, demonstro inde. Victum scilicet non tam in aëre, qvàm terra, ut suprà probabatur, qværunt aves illæ. Hunc, sine pedibus sibi comparare pastum posse Manucodiatam avem,

avem inqvam: ne cæcus qvidem credat. Dormiunt insuper, ac (ut stabilitum idem est) per intervalla reqviescunt sua, Aves nostræ, nidulantur, generant, pariunt ova, excludunt pullos. Pedes assint, necessum est. Principium naturæ est: *Deus & natura nihil faciunt frustra.* Obtinet Manucodiata scilicet, robustum satis, aduncum qvodammodò & grandiusculum qvoddam rostrum. Qvorsum hoc verò? ut, inqvam, pedum beneficiô inprimis, victum in terra arboribusqve sibi comparare possit. Organa qvoqve ambulandi & nervos gressiles inesse circa exteriorem ac primam pedum regionem, docuit anatomia. Cui fini iterum? ut, inqvam, stent ac ambulent. Breviter dicam: AMBULANT ἐπαυτοφώρῳ. Habent ergo pedes. Qvid clarius?

§. III. Jam cùm hæc omnia probanda ad amussim sint; faxo, ne qvid hîc desiderare possit mens veritatis avida. Nitar verò non solùm Pigafettæ, Clusiiqve atqve aliorum testimoniis inpræsens; sed ad ocularem demonstrationem potissimùm recurram. *Ac Pigafetta qvidem, qvi cum Magellano, Victoriâ nave vectus, totum circuivit orbem, & è longinqva navigatione redux, primus notitiam Europæ de Manucodiatis intulit, in diario navigationis suæ, pedes eis tribuit. Clusius qvoqve, qvi & ipse anteà contrarium defenderat, cùm informaretur meliùs ex Batavorum postremis in Indiam navigationibus, mutavit sententiam, postqvàm Amstelodamum qvædam integræ adhuc, crura pedesqve retinentes, allatæ sunt à Nautis. Qvæ, utut infirmiora crura fuerint, crura tamen erant, colorem atrum & ad castaneum tendentem obtinentia. Sed & incolæ Moluccarum Insularum, interrogantibus aperte testabantur, omnes pedibus instructas esse, incedere, volare, versari in sylvis, incedere non sine ordine tamen,*

men, *catervatim*; *bibere salubriores aqvas*, *capi ab Insulanis*, *truncari pedibus*, *vendi ac distrahi*. Qvæ, & plura alia apud Clusium deprehendes.

§. IV. Ne diu suspendaris, bone Lector, in Dresdensi Ἐξωτικοθαυματουργηματοφυλακείῳ (qvæ Vechneri in Germaniæ breviario vox est) cum pedibus suis, veris, naturalibus, nec parvis adeò habentur Manucodiatæ. Qvam cùm ignoraremus raritatem, ut præmoniti à Viro magno sumus, posteà ipsimet observavimus, vidimus, tetigimus. Contrarium ne jurantibus credam amplius. Sensum enim dimittere in iis, qvæ sensibus tamen manifesta sunt; qvid, nisi ἀρρωστία διανοίας est? Et qvid aliud efficiunt, qvi, cùm lucium fortè ceperit Piscator, syllogismô ex primæ etiam figuræ modo Barbara, persvasum illi eunt, non lucium, sed cancrum ab eo captum esse. Deprehendo insuper ὁμόψηφον mihi, Clarissimum & virtute suâ nobilem Dn. OLEARIUM, qvi ad notatum supra locum Mandeslovianum, lib. III. Itiner. Ind. fol. 227. hæc addit: Dieses schreibet der von Mandeslo, nach der gemeinen Rede, mit welcher es auch Jonstonius, lib. VI. de avib. hält, wenn er spricht: omnibus, scil. avibus Paradisi peculiare est, ut pedibus careant, ist aber unrecht, und kan nicht von allen gesaget werden, dann wir haben in der Gottorffischen Kunstkammer etliche, welche zweene vollkommene Beine und Füsse haben, der Regulus aber oder König der Paradies-Vögel hat von Natur keine Füsse, sondern am Schwantz zwo lange Strahlen, als Pferde-Haar, an derer Ende schöne ümbgekrümte grüne Federn, mit welchen er sich an die Bäume anhängen kan. Solum inde Regulum excipit, cui analogum qvid interim non denegârit Physis. Mallemus de Regulo qvoqve scrutinium exactius, tutius, freqventius. Sed plura dies dabit.

§. V.

§. V. Paucissimis adhuc edisseram, qvæ occasio erroris diuturni, penes tot fortè fuerit. Narrârunt ipsi ex Moluccis Insulani, Europæis nostris: se, *simulatqve ceperunt Manucodiatas, intestina illis, pedesqve adimere, abjicere; exponere deinde Soli, ut arescant maturiùs; reservare aridas, ut exponant venum, aut cassidibus pennarum locô aptent. Inde apodes ad nos delatæ diu, ad absurda adegerunt homines. Accessit fraus nova Nautarum partim, partim Mercatorum, qvæ allatas qvandoqve integras, sine dubio truncare svasit, ut rei haberetur fides. Qvamqvàm non omnes, omni tempore, ceu vidimus, latuerit. Autores alii alios, nunc citra indaginem seqvuntur; nunc turpiter expilant. Sic eundo crescit rumor, crescunt mendacia. Nec patrocinium errori, errantium parit multitudo. Latet in alto veritas, nec eâdem, qvâ sata est, luce, prodiit. Multa post nos serus edocebit vesper, qvæ cognoscere haud potuit aurora.* Deus magnus & admirabilis, in omnem nos ducat veritatem!

EXER-

EXERCITATIO TERTIA.

DE

IMPERIO ANTEDILUVIANO.

CAPUT UNICUM.

Σκιαγραφία tractandorum.

1. *Transitio ad materiam præsentem: cum prooemiali Sermone.*
2. *Arcessitur à fontibus suis imperium Antediluvianum: notaturqve Scherlogus.*
3. *Sententia ejus, ut & Svarezii, atqve Arriagæ, nec non Gregorii Tholosani, sistitur.*
4. *Refutatur sententia*, qvòd Adamus in Paradiso constitutus fuerit Monarcha.
5. *Demonstratur*, nullum, ante generis humani lapsum, Reipublicæ potuisse esse locum.
6. *Respondetur porrò ad contraria argumenta.*
7. *Dantur etiam instantiæ, & conseqventiæ negantur.*
8. *Laudatur Arumæus, adduciturqve Auctorum plurium consensus.*
9. *Probatur:* imperium Antediluvianorum Politicâ caruisse Majestate.
10. *Jus ferendarum legum, soli immediatè Deo competebat.*
11. *Jus mandandorum Magistratuum nulli hominum ἐξοχικῶς committebatur.*
12. *Sed nec belligerandi jus mandatum concessumve legitur.*
13. *Ventilatur qvæstio:* Utrum Parentes habeant jus vitæ & necis in liberos? *Negatur.*

14. Im-

14. *Improbantur exempla Romanorum.*
15. *Stabilitur verior ſententia.*
16. *Solvuntur objectiones qvædam.*
17. *Docetur per inductionem, nullam ex communi Rerumpublicarum diviſione, tum temporis obtinuiſſe formam. Non Democratia fuit.*
18. *Non Ariſtocratia aut Democratia. Sed Theocratia.*
19. *Concluditur Diſcurſus.*

§. I.

POſtqvàm auſpicia generis humani, in *Paradiſo* contemplati ſuprà fuimus; *qvodnam in Politia qvoqve moderamen*, à primis mundi incunabulis, per ſecula Patriarcharum, *ad diluvium uſqve obtinuerit*? non citra vel jucunditatem, vel utilitatem liceat inqvirere. Ne tamen, dum ſingularia, veritati conſona, ſectamur hîc fortaſſis, benignus ſtomachetur anagnoſtes; per eam, qvæ conceſſa omnibus eſt, philoſophandi libertatem etiam etiamqve contendemus. Succinctas admodùm, de negotio præſenti, lineas Hiſtoricus reliqvit ſacer. Qvot verò res intereà geſtas eſſe, putaverimus? Qvid aliud illud eſt, qvàm ſi qvis de Luthero qvædam interſpergens Hiſtoricus dicat: *Lutherus inſignis præco, divini repurgator verbi, vixit poſt annum Chriſti* 1500. *docuit Wittebergæ, annis plus triginta.* Annis iſtis licèt paucis (*verba ſunt Wolfgangi Franzii* in Schol. Sacrif. diſp. 11. θ. 120.) tamen Divus Lutherus tot rebus piè præclaréqve geſtis, totqve ſcriptis editis, erga omnem Germaniam, & plurima Europæ extera regna, optimè meritus fuit, & famâ

ſuâ

suâ complevit totam Europam. Fac ergo, pie Lector, applicationem. Adam vixit 930. annos: Seth 900. Millecuplô, sine dubio, plus rerum gesserunt præclarissimarum, etsi de illis in Genesi, præter nomen auctoris, nihil qvidqvam ampliùs habemus. In historia Scriptorum profanorum, nihil anteà de rebus, à mundi incunabulis reverà gestis, legere est. Premenda tamen vestigia sunt, & canum instar indagandum, qvæ, qvalisvé fera, eam olim calcârit fortè viam. Pondera hîc sunt, qvæ alibi vix paleæ, argumenta. Sed nunc videamus.

§. II. Anni, à mundi conditu, ad universalem illum orbis cataclysmum, omnium consensu, effluxêre *mille, sexcenti* & *qvinqvaginta sex*. Deus verò rerum arbiter ac plastes, cælô, terrâ, luce, plantis animantibusqve &c. ordine creatis; simile ferè post semet in terris dominium constituturus, hominem formavit. Hunc imperare brutis, ut egregium Dynasten, imperiô splendidissimô inaugurabat. *Crescite*, dicebat, Gen. 1. 28. *& multiplicaminor, & replete terram, & subjicite vobis eam.* Exsculpsit haud ita pridem inde Hiberniensis Jesuita, Paulus Scherlogus, lib. II. Antiqvit. Hebr. dissert. III. sect. IV. f. 328. politicum qvoddam, jam inde ab Adamo orsa capiens imperium, statuitqve: Respublicas & Politicum Magistratum, cum Adamo suas illicò origines traxisse, dispositis per suos qvosqve ordines, ministris.

§. III. Ut ne sine socio id dixisse videatur; Svarezium ac Arriagam, pro caussa sua citat: *ac qvidem*, inqviens, *non immeritò conjectatur P. Svarez, si status innocentiæ diu stetisset, & usqve in generis humani, magnum, per progagationem, incrementum durâsset, fore, ut homines civitatibus, per varias regiones distributi, cum SUBJECTIONE ad Principem*

cipem degenerarent, Magistratumqve haberent Ecclesiasticum & Politicum: famulatus autem strictè concepti, alligatâ servili conditione, & tyrannidis vitatâ specie omni, Monarcha paternè gubernaret, adscitis in adjumentum Consiliariis, missis Pro-Regibus, *qvi, distantes nationes moderarentur cum omni humanitate; & à qvibus, si aliqvis statum innocentiæ peccando violaret, coërceri posset.* Arriaga verò cum ratiunculis suis, videatur Tom. II. in part. I. disp. XLIII. sect. II. num. 16. qvæst. LXIX. art. 4. Sed & in Petro Gregorio Tholosano, Πρωτοπάτορα Adamum, Politicum à Deo constitutum Monarcham, super reliqvos fuisse, deprehendebamus. Prætensiones ejus, hæ sunt inprimis: *Qvia* (1) *ad imaginem divinam conditus Adamus fuit.* (2) *Qvia jubetur homo primus præesse piscibus maris, volatilibus cœli, adeóqve universis super terram animantibus.*

§. IV. Verumtamen ne ulla, sibi, qvâ par erat, ratione constat ratio. *Non prima*: qvam enim vix accepit, amisit iterum imaginem divinam Adam. Et si retinuisset etiam; posteris ipsius universis, ex eodem fundamento, jus idem ac dominium competiturum erat. Invertatur potiùs seqvela: fuit ad imaginem divinam creatus homo. Subjectio igitur servilis (qvæ Politicæ debetur Majestati) inter similes haud obtinere unqvàm poterat. *Nec secunda.* Confundit qvippe dominium super bruta, cum dominio super homines. Primum concessum, primum memoratum. De altero silentium altissimum. Finge tamen de hominibus id intelligi oportere. Qvis mihi Tullius persvaserit? de *imperio Politico* ibi, & non potiùs de *Paterno* agi *moderamine*. Dicam amplius qvid: Ethicorum scilicet præceptis & ab eis describi alioqvin solitis virtutibus locum

in

in Paradiso futurum minimè fuisse. Morale generale est: *frænis injectis, coërcendos ratione esse affectus seqviores, moderandúmqve tam irascibilem, qvàm concupiscibilem appetitum; ne vel in excessum, vel in defectum, extra auream divagetur mediocritatem.* Nihil tale metuendum suspicandúmve erat; homo nisi peccavisset. Sic nec fortitudo obtinere ulla potuisset. Nullô scilicet tum præsente objectô formidabili, uti non ineruditè observat D. Christian. Matth. lib. III Syst. Eth. p. 147.

§ V. Intelligo igitur rem optimè salvari posse, si hîc edoctum generatim fuerit: *nullum, ante generis humani lapsum, Reipublicæ potuisse esse locum.* Qvamqvàm, si Angelicum Doctorem illum, Thomam, Scotum, Pererium ac Molinam cum Arnisæo nostro admittere velimus, parùm absit, ut ab illis gravissimè reprehendamur. Politiam etenim, in integritatis statu si perstitissent Protoplasti, fuisse obtenturam, unô affirmabunt ore. Arietes, qvos hîc intorqvent, tales sunt. *Qvia,* inqviunt, *ordo aliqvis locum omninò fuisset habiturus inter homines, qvippe non victuros* ἀκεφάλως. Sed *& homo naturâ suâ,* ζῶον πολιτικὸν *& dicitur, & est.* Præterea, *res in sese bona, qvin imò optima, Politia.* Adde, qvod *inter ipsos ordo aliqvis sit, Angelos.* Urget deniqve Arnisæus, inde seqvi: *universam moralem disciplinam, cunctáqve virtutum præcepta, ex accidenti duntaxat, & eventu orta esse.* Hæ illorum rationes. Ac temerarius omninò fuerit, qvi ultra modestiam licentiosus in bonorum impune grassetur opiniones. Sed & servile pecus eos cordati interpretabuntur, qvi nullô veritatis falsitatísqve habitô discrimine, promiscua qvæqve credunt liberaliter. Danda opera est, ut vitii neutrius incurramus reatum. Negamus modestè,

deſtè, qvod aſſeruêre primi. Prodeat argumentatio prima. *Ubicumqve nec majeſtas nec ſubditi propriè dicti ſunt, ibi Reſpublica, ſeu Politia nulla.* Extra litem propoſitio *Atqvi in integritatis ſtatu nec Majeſtas, nec ſubditi propriè dicti futuri erant.* E. Minor corroboratur. Qvoniam in innocentiæ ſtatu homines, ſponte ſuâ feciſſent, ſuum qviſqve officium: nec imperiô opus: ſed nec formidini, aut pediſſeqvæ locus ullus erat pœnæ. Nemo tum fuiſſet, qvi præ impotentia mentis, vel proſpicere ſibi, vel familiam alere, & ſe gubernare neqviviſſet. Plena tum ſapientia in intellectu, in voluntate rectitudo, felicitas ab omni parte. Nulla affectuum in divino animali, rebellio. *Odiſſent peccare boni, virtutis amore.* Qvemadmodum proh dolor nunc *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

§. VI. Nobis (ut ad ſecundum accedamus) animô ſedet certiſſimè: *Deum in integritatis ſtatu, totum genus humanum, ſi in concreata bonitate perſtitiſſet, immediatè gubernaturum, & ſine legibus humanis recturum, familiariſſimô conſortiô fuiſſe.* Imò verò qvod fuit aliud mortalium moderamen, qvô ante diluvium adhuc uſum erat glorioſum Numen? Nunc verbis enim, nunc factis exempliſqve, & illis, partim pœnalibus, partim præmialibus rexit Adamigenas. Nullus ſuper univerſos poſitus, exſtiterat, diluvium ante, Magiſtratus. Sed nec gladii jus uſurpandum ulli tradebatur. Ceu ex Gen. IX.5.6. demum liqvet. Diſtingvatur ſaltem, inter εὐταξίαν qvamdam, & in ſpecie inter πολιτείαν. Politia qvippe, ſive nomen ſpectes, ſive rem ſub nomine notatam ponderes, ſtatui illi vendicari neqvit. Vi nominis, Rempublicam importat. Vi ſignificationis verò, Ariſtotele definitore eſt: ὅπȣ οἱ νόμοι ἄρχȣσι. At in Paradiſiaco illo ſtatu, nullis humanis opus erat legibus. *Juſto lex poſita*

nulla.

nulla. Et cùm ſocietas alia naturalis, civilis alia ſit; propter illam magis, qvàm hanc, *animal ſociabile*, hominem ut ſic, vocavero. Regimen ipſum, ſi qvis juſtô rigoroſius aſſignare Adamo, Patriarchis, Senioribuſqve ac Primogenitis velit; Paternum & Eccleſiaſticum, civile verò propriè ſic dictum largiar haud unqvam.

§. VII. Sed & parum lucrabuntur, qvi intrinſecam Reipublicæ urgebunt bonitatem: ut qvæ cum reliqvis bonis aliis, à Deo primitus ſit introducta. Ut enim de eo nunc nihil moveamus, qvàm incongruè bonitas, ad intrinſecam Reipublicæ, ut ſic conſtitutionem pertrahatur; (res enim & illa publica verè eſt, qvæ mala, qvæ corruptiſſima exiſtit) id ſaltem dicimus, qvòd & *Politicus* ipſe *Magiſtratus*, qvòd *ſeria peccatorum pœnitentia*, qvòd *Converſio hominum, per ſe & in ſe res optimæ & ſint, & dicantur*: atqve tamen in Paradiſiaca felicitate exulâſſent penitus. Inter Angelos, bonos potiſſimùm illos, fatebimur obtinere ἐταξίαν. Sed hìc de Politia propriè accepta qværitur. Et qvis nos Oedipus edocuit, Angeli in Angelum, tale qvoddam vel imperium, vel dominium ἀνθρωποκρατορικὸν eſſe, aut fuiſſe?

§. VIII. Oſfecerat hæc adactus veritate Dominicus Arumæus, in diſcurſ. Academ. de Jur. Publ. Tom. 1. p. 375. cujus ſi qva defrices, placebit poſtmodò judicium: *intra Paradiſiacæ*, inqvit, *amœnitatis vireta, nullus unqvam hujuſmodi vel deſpoticus Principatus fuiſſet ſubſecutus, cùm ibi omnium hominum ſumma libertas, animorum conſenſio fuiſſet futura; licet politicô qvôdam ordine, & ibi prælatio ſubjectioqve* (hoc qvodammodò duriuſculum eſt) *in diſponenda & gubernanda multitudine fuiſſet eventura, non qvidem dominandi libidine, ſed officiô qvôdam conſulendi dirigendiqve*. Adſtipulantur ſenten-

tiæ noſtrati B. Megalotheander ſuper Gen. Cap. 11. Hunnius, aliiqve. Accommodè etiam ad Heſiodi ſenſa cecinit 1. Transformat. Ovidius, v. 89.

Aurea prima ſata eſt ætas, qvæ vindice nullô,
Sponte ſuâ ſine lege fidem, rectumqve colebat.
Pœna metuſqve aberat: nec vincla minantia fixô
Ære ligabantur; nec ſupplex turba timebat
Judicis ora ſui, ſederant, ſine judice, tuti.

Non Regibus ibi, non Conſulibus opus; ſed nec ſecuri faſcibuſqve locus fuit. Cùm ingeniô ſuôpte honeſtiora ſectaretur qvivis: aut ſi qvid vitii obreperet, tolleret illicò ac emendaret Patrum ſuffectura omnibus auctoritas.

§. IX. Ne in prolixitates abeamus, docendum firmiter: *imperium Antediluvianòrum Politicâ caruiſſe Majeſtate.* Argumentamur: *ubi nulla jura Majeſtatis, ibi Majeſtas propriè dicta & Politica haud eſt. Penes Antediluvianos* &c. E. *Major* per ſe nota. Majeſtas etenim totum qvoddam poteſtativum, uti aliàs loqvuntur, eſt; partes conſtitutivæ Majeſtatis, jura ſunt. *Aſſumptio* corroboratur. Tria qvippe potiſſima & infallibiliter conſtitutiva Majeſtatis jura: (1) *condendarum legum: jus* (2.) *mandandorum Magiſtratuum, jus* (3.) *belli ac pacis.* Inde priſca illa Romanorum formula: *populus Magiſtratûs creanto, leges ſciſcunto, bella decernunto.* Hæc Patriarchis diluvium ante, non competiiſſe, actutùm ſumus edocturi. Reliqva enim jura, ut jus *nummi, vectigalium, tributorum* & ſimilia, non conveniſſe iſtis, conceditur ab omnibus.

§ X. Legum lator Antediluvianorum ſeculis, ſolus, & immediatè qvidem, Deus erat. Hic eas, qvas homini primævo inſculpſerat naturæ leges, per lapſum qvadantenus obliteratas, conſervavit

tamen,

tamen, ſuſcitavit, applicavit. Secundùm tenorem rigorémqve harum, incedere qvemvis oportebat. Nullus tum temporis ſive Adam, ſive Enoch, ſive etiam Methuſalah, poteſtate qvâdam αὐτοκρατορικῇ, & poſt DEUM, inter mortales, ſummâ, leges legitur tuliſſe. Nunc immediatô qvôdam & divinô mali modô plectebantur: boni præmiis â Numine decorabantur. Nunc mediatè tamen paterna filios, nepotes abnepotéſqve caſtigaverat auctoritas, ſuos interim non exceſſura limites præſcriptos. *Et qvid aliud ſibi vult illa Numinis qverela? nolunt ſe homines ampliùs â meo regi ſpiritu* Sive, ut Gen. VI. 2. originalis textus innuit: *non contendet* (ultra) *ſpiritus meus cum homine*. Niſi qvòd leniſſimum Dei moderamen, atrocius mox fatum, diluvii primò, pòſt Tyrannorum interventu, conſecuturum eſſet. *Petrus Galatinus*, lib. IV. c. XX. priora illa tempora, INANITATIS, ex ſententia Eliæ vocat. *Duo millia inanitatis*, inqvit, *duo millia legis*, *duo millia dierum Meſſiæ* Ad qvæ verba, ſolidiſſimus noſter FRANZIUS, (in Schol. ſacrif. diſp. II. th. 123. p. 39.) addit: *adpellantur tempora* inanitatis vel vacuitatis; *ab Adam ad Abrahami tempora, qvòd humanum genus* NULLAM ALIAM, PRÆTER NATURÆ LEGEM, *habens*, *inane & vacuum* ab OMNI ALIA LEGE, *per ea tempora vixerit &c.* Recta ratio pro lege, pro Rege Deus immediatè adfuit.

§. XI. Magiſtratum verò ſupremum, munitum juribus, pro more, ſuis, nullum tum obtinuiſſe, probare in proclivi eſt, Nullus enim inſtitutus, ante gladii uſurpationem, & noviſſima Nimrodi auſpicia, ullo deprehendi modô poteſt. Sed nec ullum merè politicum officium ἐξοχικῶς à qvoqvam adminiſtrabatur. Intra domum familiamqve co-

arctabatur regimen. Boni ad bonos, perversi ad perversos & distorti genii colligebantur. Ac parum abfuit, qvin universa superstitum bonorum soboles, pravorum immista consortio, corrumperetur omninò ac exstirparetur. *Ingressi enim filii Dei sunt* (Gen. VI. 4.) *ad filias hominum*: conqverente ipsômet Dei spiritu. Patres eqvidem familias ac primogeniti qviqve, singulari, præ ceteris gavisi fuerant prærogativâ. Commune illis fuit cognoscere de rebus publicis, spectantibus ad divinum cultum: de privatis verò, intra familiam, sive contractibus, sive delictis forsitan patratis. Unde etiam post latam legem, Primogeniti, *Levitæ* à Domino dicuntur. Regum qvoqve INSTAR erant; qvoniam in domesticis actionibus, seu præmia suppliciáve spectes, alium neminem, præter Deum, & Parentes, superiorem recognovêre. Sacrorum intuitu, Prophetæ Sacerdotésqve appellari poterant; utpote à qvibus sacer Dei, qvisqvis tunc fuit, instaurabatur cultus. Adde & herilia jussa, qvibus œconomiæ habitô respectu, suos inter eminebant primogeniti ac Seniores. His stantibus tamen universis, nondum publicatus Magistratus, solemnitérqve à Deo institutus fuit. Placet *Joachimi Ludovici Reimeri* sect. I. §. 2. de Republ. Ebræor. judicium: *Hic autem sciendum est, eam* INDEPENDENTER *penes solum Deum resedisse: & penes* PATRIARCHAS *tantùm* DEPENDENTER. *De Deo liqvidò constat, qvod summam semper potestatem, qvâ populus suus priscô ævô est gubernatus, apertè sibi reservârit: cùm Magistratum* (intelliges tamen non supremum) *constituerit* Gen. III. 16. *leges etiam fundamentales à se conditas oretenùs ei tradiderit*, Genes. XXVI. 6. *aliáqve sibi vindicârit Majestatis jura, qvæ in regenda ac tuenda Republica hodiè usum suum habent* &c. Per viam

viam facti qvidem, peculiarem videri sibi poterant super alios vendicare potestatem, de qvibus versio Theandri loqvitur: Es waren auch zu den Zeiten Tyrannen auff Erden &c. und wurden daraus Gewaltige in der Welt und berühmte Leute. Per viam facti, inqvam. De via juris enim, & agitur hìc, & qværitur à nobis. Qvamqvàm de Tyrannis, nulla, in originali mentio. Gigantes memorantur; sed hi cum Tyrannis non ἰσοδυναμοῦσι. Potentes & famigeratos exstitisse tales, ex immani corporum vastitate, & immensitate roboris, adde & auctoritatem, severitatem, rapacitatem (*clarissimi enim nebulones erant*) facilè adducimur ad credendum. Qvidqvid sit: divinâ ordinatione instituti, legitimâqve potestate instructi haud erant. Hinc tacitè reprehendebantur: pòst, sceleribus condignas pœnas Numini dedêre.

§. XII. Belli autem armorúmqve, publico unius pluriúmve auctoramentô, usus nullus sancitus reperitur. Neqve enim ad id tempus, gladii concessa usurpatio fuit: ut qvæ post diluvium promulgata demum legitur. Coërcitio qvædam eqvidem, intra suas, immorigeros continuerat vacerras. Pœnâ potiùs spirituali, *maledictionis* puta & *excommunicationis à sacro fidelium cœtu*, Antediluvianorum refractarii affligebantur. Excommunicatio isthæc duplex fuit; simplex una ac remissior; altera atrocior, seu anathema. Utriúsqve praxis in rebelles exstat, Gen. IV. 14. 16. & Epist. Jud. v. 14. 15. Exemplo scilicet Cainus est: *nunc igitur*, inqviens, *expellis me è regione hac, ut à facie tua abscondi me oporteat, ut sim vagus ac fugitivus in terra &c.* Ac Enochus ille cælô suscipi dignissimus præco, solemni suô, & à *Paulo* qvoqve freqventato anathematis fulmine, MARANATHA, in rebelles detonans. Vitâ spoliare al-

ter alterum, ex jure nec poterat, nec debebat. Nec concedam ulli hactenus, ex loco Gen. III. 16 supremum jus vitæ etiam & necis, cùm in uxorem, tum in liberos, si promererentur mortis aliqvod supplicium, Adamo forsitan indultum, probari evincíqve posse. Qvid enim sibi volunt hæc? *voluntas tua subjecta viro esto, & ille tibi dominabitur.* An ut pro criminum ratione, capitales decerneret qvoqve pœnas Adam? Minimè. Non id dominium virile connotat actutùm. Situm in *domestica gubernatione, autoritate, increpatione* ac *moderata castigatione* in mulierem liberósqve est nimirum. Fingamus interim competiisse insuper Adamo de capitalibus cognoscere criminibus. Eccur, si justitiæ debuit esse exsecutor, fratricidium in Caino, filio neqvissimo, pro ea, qvâ pollebat potestate, non puniit? Cur Lamechum qvoqve homicidam dimisit impune? Deus, Deus scilicet hæc sibi reservârat supplicia: nec ignoraverat Adamus. Anomalia verò si qva contigit in aliis; licentiam neqvitiámqve, non libertatem, non justitiam redolebat. Numini enim vitæ necísqve relinqvenda arbitria fuerunt.

§. XIII. Hîc cùm sponte se nobis qvæstio illa, vexata admodùm ac involuta sistat: *utrum jus vitæ & necis Patriarchis in liberos competierit, aut adhuc aliis competat ex æqvo?* non potest sine disqvisitionis pignore dimitti. *Negamus* qvæsitum. *Bodinus* qvidem, lib. I. de Rep. c. IV. de omnibus indistinctim pronuntiat parentibus, qvòd jus vitæ necísqve ademptum iniqvè, atqvè ideò de jure restituendum illis sit. *Albericus* qvoqve *Gentilis*, lib. IV. nupt. c. I. pietati hoc jus consonum esse ait. *Celtæ* olim, non tantùm parentibus in liberos, sed maritis etiam in uxores, vitæ pariter ac necis attribuerunt potestatem, teste *Cæsare*. Persas eâdem

su-

ſuper & filios & ſervos, crudelitate uſos; Cœlius Rhodigin. lib. XI. lect. antiqv. c. XVII. refert. *Brutus Conſul* ille, & Collega Collatini, faventes dominationi Tarqviniorum filios, pro tribunali, virgis cædi, cæſos ad palum religari, religatos ſecuri percuti dedit in mandatis. Sed qvanto mitior in natum, Capitolinæ arcis defenſor *Manlius* exſtiterat? *Publiúſqve Horatius* tergeminorum pater filiorum, occiſis in duello publico duobus; cùm à tertio ſuperſtite transfixam filiam experiretur qvoqve, pro defendendo eo, ad populum proclamat: *ſe filiam, jure cæſam judicàre: nî ita eſſet*, PATRIO JURE *in filium animadverſurum fuiſſe.* Livius, lib. I. c. XXVI.

§. XIV. Vim arguunt & iniqvitatis uſurpationem, non probant legem, (niſi ſub reſpectu Magiſtratûs publici) exempla iſthæc. Tametſi qvoqve Romulus, ſangvinolentus fratricida, *Halicarnaſseô* memorante, lege caverit: *ut cùm venundandi, tum necandi filium, jus patri cederetur.* Non hîc enim attendendum, qvis dixerit, ſed qvàm benè cordatéqve dixerit, reſpiciendum. Norma rerum pariter & actionum virtuosè laudabilitérqve gerendarum, nec Romulus, nec Remus; ſed rectitudo incorruptæ rationis. At hæc iſtam vetat rigoroſitatem. Ipſe certè conqveritur Halicarnaſſenſis (lib. II. Antiqv. Rom. n. 27.) ſcribens: *Romanorum Legiſlator omnem* (ut breviter dicam) *poteſtatem patri dedit in filium, idqve toto vitæ tempore, ſive in carcerem eum detrudere, ſive flagris cædere, ſive vinctum ablegare ad ruſtica opera, ſive necare libeat; etiamſi filius tractet rempublicam, etiamſi magiſtratûs geſſerit maximos, etiamſi ſtudii erga Rempublicam, laudem ſit promeritus.* Et mox ſubdit: *nec contentus hanc poteſtatêm Parentibus dediſſe legiſlator Romanus, permiſit etiam vendere filium;*

 nil

nil deterritus crudelitatis specie, qvòd res gravior videri posset, qvàm pro affectu domestico; qvódqve maximè aliqvis miretur, in dissoluta Græcorum disciplina educatus, qvasi durum & Tyrannicum hoc qvoqve Patri concessit, licere illi ternâ venditione pecuniam qværere, &c. Ne qvis mihi igitur humanis obstrepet ampliùs sive consvetudinibus, sive etiam indultis. Esto: fecerint hoc *Romani*, *Celtæ*, *Persæ*, *Galli*, *Indi*, ac complures populi: statuerint etiam XII. Tabularum leges; *alia Dei, alia hominum judicia. Nec, qvod Romæ peccatum est, Amstelodami rectum esse potest. Errantium multitudo, errori patrocinium haud parit.* Ut ob id, admiratio subeat, cur inductus *Ludovicus Capellus* fuerit, ut in sua, de voto Jephtæo, Diatribe, jus vitæ necisqve non in servos duntaxat, sed liberos etiam Parentibus competiisse, nullus erubesceret asseverare. Nostrum est, *non Patriarchis solummodò, sed omnibus in universum parentibus* (ut Parentibus) *crudelissima vitæ necisqve arbitria adimere penitus ac denegare.*

§. XV. Confirmari hoc â jure divino & inscripto & præscripto potest. *Inscripto* qvidem: qvandoqvidem suam qvisqve intendere conservationem, & fugere destructionem, naturâ dictitante, ut debet, sic solet qvoqve. Liberi verò Parentum, *dependentiæ ratione*, partes, caro de carne, ossa de ossibus & sunt, & qvâdem non juris civilis tantùm fictione, sed ipsâmet rei veritate æstimantur. *Præscripto* autem, tam generali illo, *Non occides*, *temerè* nimirum, *auctoritatéqve privatâ*: qvàm *speciali* Prov. XIX. 18. ubi expressè hoc illis jus interdicitur. Adde *paternum maternumqve Parentum erga liberos, affectum*: consistentem scilicet in pietate, ac moderata castigatione: non atrocitate, non infanticidiorum perpetratione. Hinc & legi-

gibus civilibus ſub pœna parricidii, qvi id faciunt, tenentur. lib. v. D. ad L. Pomp. de parricid. lib. II. D ad L. Corn. de ſic. *Conſtit. Elect.* III. part. IV. *D. Ægid Strauch.* cent. II. qq. Eth. dec. V. Q. VII. *Cluten.* in faſcic. paradox. *Velſten.* dec. III. Polit. Q. VI. Fallitur *Bodinus* autem, dum ex divina lege (Deut. xxI. 18. 22) conceſſam parentibus poteſtatem, qvà filium rebellem obruere lapidibus poſſint, exſculpere conatur. Non enim parentibus, ſed *Judicibus* locorum, id injungitur. Privatim enecare filium, non parentis, ſed latronis eſt, d. l. 5. Qvandoqvidem, ſi qvid gravius deliqverit filius, poterit eum pater caſtigandum afferre judici, l. *Si filius* 3. c. *de patr. poteſt*: Caſtigatio interim & coërcitio (etiam per piſtrina) libera patri permiſſa eſt, ut, qvidqvid hîc privatim ſtatuerit adversùs filium, dummodò in ſævitiam intolerabilem non abeat, ſit extra omnem noxam. d. l. 3. Sed de his ὡς ἐν παρόδῳ.

§. XVI. Nos ad propoſitum redimus, dicimuſqve: nullum, ex indultu, aut alio qvòvis modô, competente jure, gladio locum, ante diluvium fuiſſe. Nec volam enim, nec veſtigium; qvin contrarium potiùs in ſacra deprehendere hiſtoria poſſis. Stultitiæ verò fuerit, temerariè hîc qvid, & ſine fundamento ponere. Ac ſuprà qvoqve dictùm fuit, qvomodo non tantùm peculiare, capitis ſupplicium ſoli ſibi, tum temporis reſervârit vindex Deus; ſed & à poſteriori tantumdem liceat colligere: qvando à diluvii demum tempeſtate, inſtitutus publicè ac conceſſus, licèt non actutum de præſenti, ſed proximè futuro haut dubiè intelligendus gladii uſus fuerit. Neqve eſt, ut in diverſum nos abripiat, ſpontanea improbi *Lamechi* confeſſio, Geneſ. IV. 23. *audite vocem meam uxores Lamech, auſcultate eloqvium meum! qvoniam*

virum occidi ipse, in vulnus meum, & puerum, in livorem meum. Qvidqvid enim sit de iis, qvos occisos à se esse confitetur Lamech; (neqve enim determinare ausim, inter interemptos Lamechi, ATAVUM CAINUM etiam fuisse, ut post alios, nuper asseruit Autor Histor. Universſ. in 8. à qvo longissimè recedit Weigelianizans *Jacobus Böhmius* in Myster. suo magno, c. 11. p. 194. n. 48. allegoriis suis monstrosissimè confictis) manet altâ mente repostum tamen, eâdem crudelitatis homicidiíqve specie [nisi per imprudentiam fortè contigit] patratum id facinoris fuisse à Lamecho, qvâ fratricida primus Cain, suum è medio violenter sustulerat Abelem. Ac Cainus ipse etiam, in suas non elingvis est pœnas promeritas, exclamans: *majora mea sunt, qvàm qvæ remitti possint ampliùs, peccata.* Sed nec Lamechus dissimulaverat flagitium: *dum sibi se & vulneri, & livori, & ultioni homicidium patrâsse, liberaliter profitebatur.* Unicus tamen impedimento justo esse locus poterat: Gen. IV. 14 scilicet conqveritur Cainus: *abscondam me, & ero* vagus & profugus in terra, & fiet, ut OMNIS INVENIENS ME, OCCIDAT ME. Ubi interim non est, ut *Isaaci Peyreræ*, portentosi nuper *Præ-Adamitarum Plastis*, auscultemus sive deliriis, sive cum blasphemia conjunctis somniis. Fingit qvippe, ut notum est, & nescio, qvod Herculeum inde, pro suis, si Diis placet, Præ-Adamitis, munimentum architectatur. *Qvem*, inqvit, *reverebatur occisorem Cain? patrémne an matrem? plures certè jam ante hos exstitisse homines, necesse est.* Diluta hæc Logica est, & collectio cariosa perqvàm. Reformidavit nimirum non de præsenti tantùm, sed de futuro qvoqve, suos fratricida justissimos ultores. Conscientia mille testis & infortuniorum meritorum augur,

gur, objectum qvodcumqve non expavescit modò, sed desperat propè. Et putabimúsne duos aut tres duntaxat, Caini temporibus, superstites fuisse homines? licèt plures à Scriptore sacro non sint memorati.

§. XVII. Novissimè rem plenè planéqve confecturi omnem sumus, si *à remotione omnium reipublicæ specierum, instituerimus processum.* Respublica nimirum genus est. Species sunt, *Monarchia, Aristocratia, Democratia, & Respublica mixta.* In Monarchia, penes unum: in Aristocratia, penes plures indivisim: in Democratia, penes omnes indivisim: in Mixta, penes uno plures, sed divisim residet τὸ κύριον. Argumentamur inde, *Remotis & sublatis omnibus speciebus, tollitur ac removetur qvoqve Genus. Atqvi remotâ* (tempore Antediluvianorum) *Monarchiâ, Aristocratiâ, Democratiâ, & Republica mixtâ, tolluntur ac removentur omnes species. Ipsa igitur Respublica removebitur etiam, ac tolletur.* Majorem si probare coner, otiô abutar meô, & judiciô sapientum. *Minor*, per partes demonstranda venit. Nego itaqve tunc obtinuisse Monarchiam. Qvippe Monarcha nullus. Sed nec Politica Majestas. Hæc verò summa, in civitate ubiqve potestas: nec parem, nec superiorem in suo territorio, post Deum gloriosum recognoscens. Nulla talis, inter Antediluvianos, persona Majestatica. Vel, si ulla, præ omnibus Adamus fuerit. Sed ne hic qvidem. Majestas immediatè omnis à Deo confertur & dependet. Adamo isthæc super universos, nunqvàm nuspiámqve legitur collata. Jura Majestatis etiam tum viguisse nulla, supra docebamus. Singularem, præ reliqvis mortalibus, autoritatem, sanctissimámqve ab omnibus Adamo, ceu *hominum radici*, præstandam venerationem: non Majestatem, non

jura

jura ejus, non faſces ſupremos poſſumus deferre. Inde ratiocinatio conſurgit. *Ubi nulla, penes unum Majeſtas; ibi Monarchia nulla. Apud Antediluvianos* &c. Minor probata eſt. Appone ſis concluſionem.

§. XVIII. Sed nec *Ariſtocratia*, tantô minus *Democratia*, vel *mixta* aliqva Reſpublica tunc qvidem obtinere potuit. Non illa; neqve enim penes plures, h. e. Optimates, ſumma, in Politicis, reſederat Poteſtas. Aut, ſi vir es, *qvi, qvales, qvantíqve* iſti fuerint, demonſtra! Pro Democratia mixtáve Republica, nemo anteà vel pugnârit, vel concluſerit. Neutrius enim veſtigium vel minimum, in tota Antediluvianorum hiſtoria deprehendas. Ex abundanti interim colligimus: *Qvicumqve nulla Majeſtatis exercere jura poterant, penes iſtos Majeſtas reſedit nulla. Antediluviani ſive diviſim, ſive indiviſim ſpectati, Majeſtatis jura nulla exercere poterant.* E. Propoſitio, inter Politicos, clariſſima. Aſſumptio in ſuperioribus conſolidata. *Theocratiam* ſi qvis adjudicare primis illis ſeculis voluerit (ne confuſum qvoddam chaos, ubi οὐδεὶς οὐδενὸς ἀκούει, ſolummodò viguiſſe qvis opinetur) per nos non ſtabit difficulter. Qvid? qvòd Moſis adhuc temporibus, in populo Iſraëlitico, qvædam Theocratiæ ſpecies floruerit. Rectè *Petrus Cunæus*: (lib. 1. de Republ. Hebr. cap. 1.) *regiminis qvemdam modum conſtituit, qvem perſignificanter Flavius, adverſus Apionem vocari poſſe* Θεοκρατίαν, *ait: qvaſi tu ejuſmodi civitatem dixeris, cujus præſes rectórqve ſolus* DEUS *ſit. Qvæ-enimcumqve gerebantur, hujus geri judiciô ac Numine profeſſus eſt Moſes.* Sic igitur à Deo, ſingulari qvôdam & extraordinario regimine, non excluſâ interim domeſticâ correctione, gubernatos tum fuiſſe mortales, jam ſumus aliqvoties profeſſi. Voluerat

luerat nimirum gloriosus Conditor, lapsum qvoqve genus hominum, pro ea, qvâ est, misericordiâ immensâ, non unius pluriúmve libidini illimitatæ ac dominationi serviliter addicere; sed experiri primùm, utrum ex *pòst-facto* etiam mercaturi cautiùs essent, & ab ipsius Dei spiritu se regi paterentur? jugem Creatori & Conservatori optimo præstituri observantiam. Veruntamen medullitùs corrupti, radicitusqve depravati mortales, ne hîc qvidem divino se submisêre beneplacito. Hinc illa superiùs adducta Numinis qverela: *nolunt se homines à meo ampliùs gubernari spiritu.* Excitandus, post intervallum qvoddam, *Nimrodus* erat, qvi Noachidas licentiosiores justô, constringeret arctiùs, & pro suo dein arbitratu compesceret maleferiatos.

§ XIX. Finitô itaqve catholicô illô orbis cataclysmô, cùm de novo se, benedictionis divinæ accessu, incredibiliter multiplicâssent homines (qvid enim vetat statuere, binos, ternos utplurimùm, uno eôdémqve partu editos fuisse foetus, longævos postmodùm, ac foecundioris generis?) poenarúmqve immemores avitarum, ad genium iterum divertissent suum; cunctos supereminere coeperat, dilataverátqve imperium, *Fortis coram Domino Venator* NIMROD. Cujus dominatio licèt sine violentiæ admixtione haud introducta fuerit; ipsa tamen, qvâ gavisus erat, Majestas, à solo, & immediatè qvidem dependebat Deo. Neqve enim est potestas talis, nisi ab eo. Cùm proinde nullum vel memorabile, vel potens, vel continuatum, extra Nimrodi legatur exstitisse imperium; ab ejus ævo auspicanda fuerit Respublica. Hactenus enim civitatem duntaxat vestigare & offendere poteramus. Placet hîc Mussipontanus Pater Nicolaus Abramus, dum in Phar. Vet. Test. libr.

libr. v. §. v. num. 13. fol. 127. de Nimrodo scribit: *hic igitur post diluvium cœpit esse potens, aut etiam gigas* (ut LXX. habent: *γίγας κυνηγὸς ἐναντίον κυρίου τοῦ Θεοῦ*) *in terra, primusqve Tyrannidem* (hoc ego non ita simpliciter *Abramo* concedendum dixerim) *invasit, cùm ante ipsum mortales, patrum natúqve majorum authoritate potiùs, qvàm potentiâ regerentur.* Specierum qvoqve Rer. publ. prima omnium & antiqvissima Monarchia introducta pariter ac instituta fuit. Patet hinc, qvàm verè Trogi Epitomator Justinus referat, l. I. I. *principiô rerum, gentium nationúmqve, imperium penes Reges erat, qvos ad fastigium hujus Majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat.*

T. Θ. Δ.



EXER-

EXERCITATIO QUARTA.

DE

ARCA NOÆ.

CAPUT PRIMUM

DE

Cauſſis Arcæ Noachicæ.

ELENCHUS.

1. *Tria in Pandectis ſacris celebria artificia aperiuntur.*
2. *Numinis qverela & commiſeratio humana exprimitur.*
3. *Qvid de Arca olim ſtatuerint* Marcion, Valentinus, Gnoſtici? *Monetur qvid in anteceſſum.*
4. *Expenditur Etymologus, Homonymia, & Synonymia Arcæ.*
5. *Varietas efficientis cauſſæ, in conſtruenda arca ſiſtitur, cum fine ſuo.*
6. *Circa materiam Arcæ, judicia Variorum. Definitur pro picea vel pinu. Dantur rationes cum teſtimoniis.*
7. *Forma ac figura Arcæ non fuit Pyramidalis: non ad modum trigoni priſmatis. Sed nec inſtar navis.*
8. *Adducuntur verba Dei, ob conſtruendam Arcam, imperativa. Probatur, nec intelligi poſſe Navim. Schotti locus adducitur.*

H 9. Non

9. *Non potuit per omnia qvadratæ arcæ ciſtævè figuram obtinere.*
10. *Habuit tamen formam parallelepipedam, exceptô fundô atqve tectô.*

§. I.



Rium in Hiſtoria ſacra ædificiorum, ſive erigendi artem, ſive curam conſervandi, ſive Architecti majeſtatem æſtimes, admirandorum celebratur mentio. Primum eſt *Noachi Arca*: ſecundum, Moſis cum ciſta fœderis *Tabernaculum*: tertium, *Salomonis Templum*. Autor omnium ac inventor DEUS. Neqve enim ſine Numinis inſtinctu, qvod fecit Salomon, effecit. Illud antiqviſſimum: iſtud ſanctiſſimum: hoc ſplendidiſſimum. In eo ſeminarium generis humani compendiúmqve orbis latuit. Super iſto divinæ Majeſtatis apparebat fulgor. Ad hoc Judæorum omnis natio confluxit. Eant nunc Gentiles, & ſua ſibi ſolis ſeptem mundi miracula retineant. Plus in una Nöemi arca theſaurorum pariter ac raritatum, qvàm in univerſis iſtis delitefcit: MUNDI TOTIUS ſcilicet EPITOME. Inde per ænigma canens ingenioſiſſimus poëta qværit:

Dic mihi qvæ fuerit qvondam ditiſſima navis?
Unica qvæ vexit totius orbis opes.

Hanc nunc luſtrabimus, non citra jucunditatem, non citra admirationem, ſed nec citra commiſerationem etiam, ſtructuram. Commiſerationem dixi. Qvotus qviſqve enim, ſi vel extremam ſeveri Numinis attendat indignationem, vel ſupplicii atrocitatem ponderet: vel miſerrimè extra arcam pereuntium hominum æqvè ac brutorum my-

riadas adſpiciat; non ad doloris juſtiſſimi compunctionem adigatur?

§. II. Hîc nimirum pœnitentem ipſummet DEUM qverulantémqve deprehendas: *pœnitet me formâſſe homines, & angor animi, qvòd à mea nolunt ſe regi ampliùs ſpiritu!* (Gen. VI. 5. 6.) Iſthîc ad pœnas ultimas indignabundum obſerves: *exſtirpabo, qvos feci homines, delebo terrigenas, pecudes, ſerpentes, aves: pœnitet feciſſe.* (c. VI. 7) Illîc *carnem omnem, vitâ nuper præditam, altiſſimis immerſam aqvis videas.* c. VII. 22. Efferbuerat atrociſſimas in iras Numen admirabile, propter intolerabilia mortalium flagitia: ultricibúſqve aqvis ſcelera eluituris, decreverat facinoroſos perdere. Solus cum familia arctiore Noach, juſtus adinventus, gratiam ejus ac miſericordiam conſeqvebatur. Conſervandus qvoqve per ſeminarium duntaxat mundus videbatur. Procuratore igitur ſupremô, multa animalium (piſcibus enim & amphibiis haud erat opus) convocabantur paria, inqve arcam noviſſimè exſtructam, ut ſarta tecta eſſent, recipiebantur. Spacium pœnitendi (ne ſe obrutos ex improviſo homines conqvererentur) ad c. & xx. extenſum annos fuit: an emendaturi neqvitiam fortaſſis eſſent? Fruſtrà. Conjurabatur: NEMO NOSTRUM FRUGI ESTO. Qvid ageret cum conclamatis peccatoribus Jehova? aqvas in vindictam advocavit, clauſtra marium, & abyſſi relaxavit fontes: exſtinxit diluvio feroces impetûs; & indignos elementis, per ipſa etiam punivit elementa rerum. Hinc cadaveroſa fluitantium hominum belluarumqve ſtrages: fluctúſqve decumani præſentem minabantur mortem.

§. III. Arcam hanc animalium ſervatricem, impius nefandi dogmatis aſſertor Marcion *vix qva-*

tuor elephantorum ſtatuit capacem. Valentinus verò ſupra Deucalionis fabulas, ſannis ſibilíſqve puerorum exponebat. Spurca Gnoſticorum ſecta ad ſacrarum literarum auctoritatem convellendam, jugi cavillationum morſu impetebat. Aliiqve extra limites digreſſi, tantam illi laxitatem vendicârunt, qvam nec rei poſtulaverat neceſſitudo, nec ſcripturæ litera delineavit. Nobis & ſcrutandum in præſenti & demonſtrandum eſt: an, & qvâ ratione tot greſſilium, reptilium ac volatilium ſpecierum individua, intra unam Noachi arcam recipi, receptáqve per integrum anni ſpacium ſuſtentari etiam potuerint. Qvod dum molimur, *inſpectô primùm nomine*, *ad conſtitutivas Arcæ cauſſas*, nos illicò vertemus. Teſtamur tamen δὶς διὰ πασῶν, miraculoſi qvid in animalium tum congregatione, tum ſuſceptione, tum nutrimento ac præſervatione concurriſſe. Fundamenta interim naturæ pariter & Geometriæ, difficultates enodabunt numerô plurimas, pondere graviſſimas.

§. IV. Nomen Arcæ igitur qvod ſpectat, תבה in Originali textu illa ſalutatur. Interpreti Latino Arca, nec ſine ratione, dicitur: ab *arcendo* ſcilicet. Neqve enim *arcere* propulſare ſolummodò ſignificat, ſed Veteribus etiam, ac propriè qvidem colligere ac continere denotabat. Sumitur pro *divitiis* qvandoqve, per *metonymiam*. Unde arcam olim habere dicebatur, qvi benè erat nummatus: pauper verò, qvi deſtitutus arcâ. *Catullus* de egeno inqvit, Epigr. XXIV. v. 10.

Nec ſervum tamen ille habet: neqve arcam

Et Cicero alicubi (lib. I. Epiſt. ad Att. IX.) *arcæ noſtræ confidito*. Sic & (2) *loculum* ſeu *ſepulchrum* ac *monumentum*, arca, qvâ mortui aliàs conduntur, conſignificat. Non enim humô duntaxat, ſed

ſed arcâ etiam lapideâ, ſupra terram poſitâ, corpus ſepulturæ tradendum recondi ſolebat inprimis, magniqve à nobiliſſimis qvoqve viris æſtimabatur. Teſte *Kirchmannô*, lib. III. de fun. Rom. p. 442. Hôc locô tamen *ædificium, pro ſervandis à Diluvio, animalibus, juſſu Numinis conſtructum*, & *aſylum* (ſic enim loqvi placet) *renaſcentis mundi* dicitur. Græcis κιβωτὸς audit. Paraphraſis Chaldaica *Thebuta*, Syriaca verſio, *Kabutho*, Æthiopica *taft* vocat. Omnibus interim nihil aliud, qvàm *reconditorium, ciſtam, arcam* &c. ſubinfert.

§. V. Poſteaqvàm igitur in arcano glorioſæ Triadis conſilio, excidium prioris mundi, propter conclamata ſcelera, decretum eſſet; Noachus *integer vitæ, ſceleriſqve purus*, gratiam coram Numine invenit. Demiſſa è cœlis vox eſt, qvæ arcæ fabricam, ad conſervandum humani generis brutorumqve reliqvias, his imperavit verbis: עשה לך תבה *fac tibi arcam*. Habemus igitur efficientem Arcæ cauſſam *principalem*, DEUM: *Impulſivam*, cataclyſmô puniendum mundi nefas: *Miniſterialem*, Noachum. Hic enim (ſive filiorum, ſive fabrorum, ſive utrorúmqve uſus adjutoriô) κατεσκεύασε κιβωτὸν εἰς σωτηρίαν τοῦ οἴκου αὐτοῦ; Ebr. XI. 7. Ex qvo loco etiam deſumi *Finis* poteſt; ſalus nempe ac conſervatio κατ' ἐξοχὴν hominum ſuperſtitum in familia Noachi: ſecundariò verò animalium brutorum; ut qvæ propter hominem facta, conſervanda porrò videbantur. Qvem finem latiùs ipſemet Deus perſecutus eſt Gen. VI. 18. 19. 20.

§. VI. *Materia* Arcæ qvaliſnam fuerit? dubium haud leve eſt. *Fac tibi arcam*, inqvit Dominus, עצי־גפר è lignis *Gopher*. LXX. verterunt ἐκ ξύλων τετραγώνων, ex *lignis qvadratis*, qvæ jungi aptariqve commodiùs alioqvi poſſunt. Vulgata, de *lignis*

lævigatis, *insolubilibus*, ac *probè coarctatis*, Alcuinô interprete, exponit. Sunt qvi *Abietum*, & ex hujus speciebus *Cedrum* aliqvam, lignum videlicet leviusculum, & ad fluitandum super aqvas aptius, intelligunt. Unde Chaldæus paraphrastes: *fac arcam de lignis Cedri*. Videas etiam qvi per *Terebinthum*, lignum nempe resinosum, sulphureásqve baccas ferens, freqvens & procerum in Oriente, reddunt. Hieronymus, *ligna* bituminata, Augustinus, *imputribilia*, Oleaster, *pinea* indigitat. Ego si qvod ferre debeam judicium, illis calculum appono, qvi pro PINU, PICEA vel PINASTRO militant. Urgeo primùm *significationem*, qvâ præter Cedrum, *pinum* qvoqve notat גפר. Vid. *Schindl.* in lex. sup. hanc voc. (2) *officium* & *qvalitatem* ligni. Debuit hanc enim naturam obtinere arbor, ut resinosam sulphureámqve materiem, in aqvis consolidari indurarìqve aptam, possideret. Nunc qvotusqvisqve id præstare pinum, non novit? *Plinius*, lib. XVI. Hist. Nat. c. X. *Pinaster nihil aliud est, qvàm pinus sylvestris, mirâ altitudine, & à medio ramosa, sicut pinus in vertice. Copiosiorem dat hæc resinam.* Et verè idem, ubi de materiis Architecti, qvæqve materia utilior firmiorqve ad tecta sit, lib. cit. c. XLII. scribit: *Pinus, piceæ, alni ad aqvarum ductus, in tubos cavantur. Obrutæ terrâ, plurimis durant annis.* His adde (3.) *analogiam vocum.* A גפר oritur גפרית sulphur. Convenit hoc etiam cum Pinastro. Qvin & elegans *paronomasia* inter nomen גפר & subjectum in textu verbum כפרת *bituminabis eam* prostat. Qvanta verò differentia inter *Gofer* & *Cofer*? Bituminosa præ omnibus *pinus est*; est & *Picea*. Nec abludit Germanorum vox kyfer vel kufer. Et qvàm freqvens in Oriente sit hoc genus arboris, qvis in Historiis cùm sacris tum profanis non observavit? Pla-

cet

cet igitur *Lutheri* versio: Mache dir einen Kasten von Tännen Holtz.

§. VII. Sed nunc ad *formam* arcæ ac *figuram*, totius hujus rei cardinem nimirum ferimur. Rejiciendi hîc à limine sunt, qvi *Pyramidalem* arcæ formam, omnibus qvatuor à basi, ad summitatem ejus paulatim coëuntibus Lateribus, donec ad extremum, non plus unô cubitô distarent inter se, attribuerunt: *Origenes* videlicet, *Beda*, *Rupertus*, *Abulensis* apud *Pererium* ac *Torniellum*. Qvandoqvidem ad natandum non solùm penitus inepta, sed & ob laterum convergentiam, minùs concinna, utilis, capax exstitisset. Nec audiendi, qvi *trigoni prismatis*, longioribus tantummodò lateribus, paullatim à basi coëuntibus, donec uno tantùm cubitô distarent inter se, figuram illi vendicant. Ut apud Torniellum *Cajetanus*. Manent hanc eædem enim, qvas suprà recensuimus, difficultates. Communior pro NAVI stat sententia. Unde *Bibliorum Vinmariensium Glossatores*, verba capitis VI. Gen. vers. 14. sic interpretantur: Mache dir einen Kasten, i. e. ein grosses schiff, welches gestalt wie ein Kasten. Foliôqve versô: *formâ navis*, aliqvot exhibent arcæ typos. *Philippus* † qvoqve *Cluverius* in Epit. Hist. totius Mundi p. 4. *mandatô Dei, arcam* ad instar navis *structam; in qva ipse cum uxore, tribusqve filiis ac nuribus servaretur*, de Noacho scribit. Et clarissimus ex Uratisslav. *Andreas Senftlebenius*, in sua Ἀ'ργοῖ: *solidissimam omnium ac splendidissimam tricameratam Navim* hancce statuit. Cur verò arca vocitetur, subdit: *arca potiùs qvàm navis appellari debuit, ex ligno ut, qvidam volunt, levigato, dedolato, qvadrato, seu bituminato &c.* Hi & plures alii, figuram Navis asserunt.

§. VIII. Nobis contra, certum est, non Na-

† malè, *Ioannes* enim vocatur *Cluverus* is

vim falcatâ ſpectabilem carinâ, puppiqve ac prorâ præditam; ſed verò ciſtæ inſtar (fundum duntaxat & modicè faſtigiatum tectum ſi excipias) arcam fabricari juſſam â Numine fuiſſe. Verba imperantis ſunt: *fac tibi arcam, de bituminoſa picea.* (vel pinu) *Cameras in arca facies, & bitumine oblines intrinſecus. Sic verò eam adornabis. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ; qvingentorum cubitorum, latitudo, & triginta cubitorum altitudo. Feneſtram in arca facies, cubitóqve conſummabis ſummitatem ejus: oſtium arcæ in medio lateris pones. Tria tabulata ſunto: unum ex ima, alterum in media; tertium in ſuperiori contignatione.* Ex his inqvam verbis nihil minùs colligi, qvàm navis poteſt. Ac *primò* qvidem non jubetur conſtrui אני navis, ſed תבה arca. Unde, qvod ſupra etiam monebamus, ab omni Orientis lingva nihil aliud, qvàm arca, ciſta, aut reconditorium indigitatur. *Secundò* meretur annotationem, qvòd in Novo qvoqve Inſtrumento, non ναῦς (navis) ſed κιβωτὸς (arca) Luc. XVII. 27. Ebr. XI. 7. ſalutetur, & vox eadem ad fœderis arcam. Ebr. IX. 4. Deut. X. 5. applicetur. *Ideò autem arcæ ſeu ciſtæ formam potiùs, qvàm navis, eam habere voluit Deus, qvia* (verba ſunt Clariſſimi *Gaſparis Schotti*, Tom. III. Mag. Univerſ. Nat. lib. IX. de Magia Geometric. ſyntagm. IV. p. 786.) *illius, non hujus uſum habere debebat: nimirum qvia arcere debebat aqvas inferiores & ſuperiores è cælo, per qvadraginta continuos dies, incredibili copiâ & impetu præcipitatas; idcircò eam omni ex parte clauſam & benè munitam eſſe, neceſſe fuit:* & qvia tot tantorúmqve animalium, & commeatus ad annum integrum iiſdem ſuffecturi capax eſſe debebat, propterea oportuit eam eſſe uſqveqvaqve latam ab imo, uſqve ad ſummum. *Hæc ille.* Nos infra de materia hac peculiarem mo-

turi

turi qvæstionem ; solidéqve demonstraturi porrò sumus, qvomodo neqvaqvam navis nomine aut munere venire, arca Noëmi possit.

§. IX. Commodior ac verior etiam sententia eorum est, qvi qvadrangularem Arcæ vendicant figuram. Sic qvidem B. BALTHASAR MEISNERUS in Orat. qvadam Cal. Maji A. 1615. Wittebergæ, cùm abiret Rectoratu, habitâ solenniter, in Æde Arcis p. 39. *maximè rationi*, inqvit, *consentaneum veróqve simillimum reor, qvòd Arcæ figura* qvadrangularis *fuerit, fundus planus, non recurvus in proram & puppim, latera recta, tectum curvum in arcus formam; ut feretrum sive corpus hominis jacens referret*, &c. Ac nuper etiam laboriosissimus Vir *Gaspar Schottus*, Tom. III. Mag. Geometr. syntagm. IV. p. 787. eodem ferè collimavit, ita tamen, ut nullam aliam, præter parallelepipedam figuram, anisoëdram qvidem, qvæ duobus qvadratis æqvalibus, qvatuorqve oblongis comprehenditur, admittat. Sic insuper ut superimpositum tectum modicè statuatur arcuatum, & declivitas sufficiens, ut defluerent aqvæ pluviales. Qvod, qvemadmodùm nec à veritate alienum, nec divinæ dissentaneum Architectonicæ videtur; qvippe qvæ longitudinem 300 cubitorum, latitudinem 50, altitudinémqve 30. facit: ita se tamen adhuc habet, ut curioso nondum per omnia satisfaciat lectori. *Primò* enim, si ex fundamento suo per omnia qvadrangularis extitisset arca, nunc huc, nunc illuc, pondere prægravata suô, jugiter ruisset: qvod probabilitati consonum haudqvaqvàm est. Finge enim errantem inter decumanos pelagi assultus fluctusqve, ac dominio ventorum agitatam ingentis molis qvadrangularem arcam; huc illúcqve lapsabit & allidet. *Secundò*, si allisa fortè montibus esset arca, citra præsentissimum periculum fracturæ aut hia-

hiatûs, fieri id non potuisset. Qvod verisimile de tam solertissima structura haud apparet. Ac *tertiò* cùm in Montibus altissimis *Ararat*, *Armeniæ*, reqvievit arca; dimoveri inde, si qvadratum fundamentum fuit, iterum non potuit.

§. X. Hæc & alia me movent, ut parallelepipedam largiar figuram qvidem, sedile tamen sive fundum, super qvo qvadrata in se arca steterat, excipiam cum tecto. Hæc enim, qvæ inficias ire nemo saniorum possit, præsuppono. *Primùm*: OPTIMA COMMODITATE ET CAPACITATE à DEO CONFIGURATAM ARCAM ESSE. Utraqve nimirum absolutè erat necessaria. Abesse igitur neutra potuit. Conjunctim tamen veniunt intelligendæ: seorsim qvippe capacior figura rotunda. Sed hæc hîc inepta incommodáqve. *Secundùm*: EAM COMMODITATEM AC CAPACITATEM EXSTITISSE, QVA MELIOREM, EXQUISITA RATIO PRUDENTIS ADINVENIRE NEQVEAT. Optimus enim qvid nisi optimum commodissimúmqve formet? Ob singularissimum constructa finem arca fuit. Accuratissimæ verò bonitatis, finis ille, citra dubium qvidem exstitit. Dabimus operam, ut seqvamur hanc ac vestigemus qvoqve figuram. *Tertiò*: PRO EA DEMONSTRANDA, CONCEDI QVÆDAM OPORTERE, QVÆ Gen. VI. MEMORATA NON SUNT. Tectum scilicet ac fundum: Præter multa adhuc alia, qvorum infra faciemus mentionem. Vix principalia his insunt verbis capita: *Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, qvingentorum cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in arca facies, & cubitô consummabis summitatem ejus: ostium autem arcæ, in medio, ad latus pones: tria tabulata sunto* &c. Qvot interim sta-

ſtabula nidos, foros, cameras, promptuaria, reſpiracula, canales, præſepia, trullas, & id genus complura ſive vaſa, ſive animalium conſervandorum media fuiſſe, putabimus? Sic igitur incedo. Simpliciter neceſſarium tectum, munimen ſcilicet à ſuperiori aqva fuit. Tectum hoc planum neqvaqvam eſſe potuit; ſed arcuatum & faſtigiatum modicè. Sufficiens ergo adfuit declivitas, ut defluerent aqvæ pluviales. Sub hoc tecto, plana arcæ ſummitas deinde ſeqvebatur. Hæc tertium abſolvebat tabulatum. Inde medium; pòſt, infimum ac primum. Plana undiqve idcircò arca. Longitudo cubitorum 300, latitudo ſextuplam proportionem habens, 50: altitudo decimam, 30 nempè. Enimverò, ut ſe habent 50 ad 300; ita ſe habet latitudo arcæ, ad ejus longitudinem. Et, ut ſe habent 30 ad 300; ita ſe habet altitudo ad eamdem. Clarum hoc. Prodit parallelepipeda figura, aniſoëdra. Hæc imago arcæ. Sed nunc ſub carina ejus, adædificatum κυμβοειδὲς, & vel ex lintribus, vel aliis permultis trabibus compoſitum ſedile fundamentumqve fuit. Hoc ſive ſublicium, majoris & longitudinis & latitudinis appellare pontem, arcuatum nonnihil tamen, ab antica & poſticâ parte, ſive aliô ſalutes nomine, perinde eſt; modò rei nihil mutes. Tutiſſimum hoc ac commodiſſimum, ab inferioci àqva munimentum. Sic à fluctibus ſecurior arca, ſic ab alliſionibus munita ſatis fuit. Sic æqvô, ſuper colles, ſuper montes ferebatur pondere. Sic exonerari deſuper per ponticulos qvoſdam penſiles, vel foramina qvæcumqve, in ſubſtratum fundum, brutorum excrementa citra irruptionem aqvæ tutò potuerunt. Sic ab ima & ſuprema aqva, involucrô geminô munita arca erat.

CAPUT SECUNDUM

DE

AFFECTIONIBUS ARCÆ nobilioribus ac notabilioribus.

1. *Explicatur qvantitas arcæ, juxta tres dimensiones. Cubitus qvalis & qvantus? Qvædam de structura hominis.*
2. *Duplex cubiti genus. Definitur pro cubito communi.*
3. *Longitudo, latitudo ac altitudo, singulæ secundùm capacitatem æstimantur. Mensuratur totius arcæ spacium & cujusvis tabulati.*
4. *Describitur interna arcæ qvalitas, sub prima contignatione, sentina pro reptilibus & insectis aliis, est concedenda. Inspiciuntur generatim tabulata cum suis interstitiis & reqvisitis plurimis.*
5. *Datur ratio distinctorum stabulorum. Sed ne qvid nimis. Locus B. Meisneri sistitur.*
6. *De scalis, cellulis, nidis ac promptuariis ciborum, qvædam. Ostium depingitur. Schottus ὁμόψηφος adducitur.*
7. *Materia & magnitudo fenestræ qvalisnam.*
8. *De situatione animalium & commeatûs agitur in genere: ac præsupponuntur qvædam.*
9. *Continuatur idem argumentum.*
10. *Explicatur situatio in specie.*
11. *Fit idem.*

§. I.

§. I.



Idimus caussas: has ut naturâ, sic ordine qvôdam suô, nunc affectiones in, seqvuntur. Præ omnibus meretur disqvisitionem, *qvantitas*, interior arcæ *qvalitas*, & *situatio* pro animalium commoditate. Ac *qvantitatem* qvidem qvod concernit, triplex ejus alioqvi dimensio numerari solet. *Longitudo*, *Latitudo* & *Profunditas*. Illa cubitorum trecentorum, ista qvinqvaginta, hæc triginta fuit. Sed nisi de norma & mensura, qvæ hîc cubitus vocatur, certò nobis constet, mensuratum frustra indagabitur. Cùm autem pro diversitate loci, temporis, aliarumqve circumstantiarum, variet & ulnæ (nunc longioris, nunc brevioris) qvantitas: ne in æterno hæreremus errore, ad cubitum humanum, mensuram naturalem nempè, Sapientissimum attemperavit sese Numen. Cubitus proinde intervallum istud sesqvipedale, à flexu, seu articulo brachii medio, ad extremum medii digiti excurrens, notat. Hic mensuræ modus. Dubium nihilominus suboritur id propter, qvòd tempore Antediluvianô, longius fortassis cubitale illud intervallum, ob majora tunc corpora humana fuit. Ad qvod notandum tamen: (1) nondum probatum concessúmqve esse, omnes Antediluvianò tempore homines, tam grandis fuisse eqvidem staturæ, ut tantoperè communem nostram supergrederentur. Illa hominis perfectissima statura est, qvæ mediocris, neç curta nimiùm, nec nimis est prolixa. Semper enim mediocritatis amans perfectio: ut refugit defectum, sic nec excessum, extra errorem, seqvitur. Qvod commune in natura est, rectum est. Sed pedum

Geometricorum longitudo, seu spacium ulnarum trium, legitimæ staturæ possessorem arguit. Qvisqvis vel superat, vel non asseqvitur mensuram hanc, magnus inde parvusve dicitur. Hunc si retineamus cubitum; erit sufficiens pro tot recipiendis brutis spacium: Sin extendamus ampliùs; jam melius nobiscum etiam agetur: & erit spacium abundans.

§. II. Nec multum operæ facessent, qvi duplex genus cubiti, apud Hebræos usitati, hîc urgebunt. Qvorum unum singulare, alterum vulgare exstitisse creditur. Illud majus & perfectius, hoc brevius minusqve vocant. Nolo recensere hîc, qvas speculationes olim Origenes ac Villalpandus ex lacunis Rabbinorum partim suxerint. Laudo potius ac seqvor SCHOTTI judicium subactius. *Mihi* (inqvit cit. supr. loc. p. 794.) *certum videtur inprimis, Noemo non alium à DEO præscriptum cubitum, nec alium ab ipso adhibitum, qvàm qvi tunc in usu erat. Deinde omninò probabile est, non fuisse tunc in usu cubitum illum perfectum Ezechielis,* (c. XLIII. 13.) *nec sacrum Villalpandi, nec sexcubitalem Origenis, nec alium qvempiam: qvoniam hi vel ficti sunt, vel longè post diluvium excogitati. Tertiò probabilissimum etiam videtur, solum vulgarem tunc in usu fuisse, desumtum ex corpore humano, tametsi major fuerit, qvam nunc, qvia majora erant humana corpora, & conseqventer pedes majores erant. Sesqvipedali igitur cubitô usus fuit Noë.* Deprehendimus igitur mensuram: nunc ad regulam ducendum qvoqve mensuratum. Prodeant dimensiones ejus, *longitudo, latitudo* & *profunditas.*

§. III. *Longitudo* qvidem cubitos trecentos adæqvavit: pedes scilicet ad minimum 450. Ad minimum, dixi. Si enim, qvod non pauci volunt, extenderemus seculorum antiqvorum cubitos, jam pro-

prolixior arcæ longitudo tribuenda foret. Sed ne desperare forsitan de sufficienti arcæ spacio videamur, mensuram retinebimus minorem. Id præterea sciendum; cùm parallelepipedâ figurâ fuerit, eamdem longitudinis habitudinem in ima, media ac suprema contignatione exstitisse. Ut ideò sint frustrà; qvi ex arca navem fabricare studeut. Rectis lineis, à basi ad cuspidem, absolvebatur opus. *Latitudo* autem cubitos continuit 50. pedes Geometricos, ad minimum 75. Latitudo hæc cum longitudine si conferatur, pars sextupla evadet. Nunc juxta præscriptum artis Geometricæ, longitudo in latitudinem ducatur, 300. scilicet in 50. Dabit producta summa 15000. cubitos qvadratos. Hæc citra intuitum profunditatis, totius arcæ est capacitas. *Altitudo* cubitis 30. constitit: pedibus Geometricis, ad minimum, 45. parte decimâ, ad proportionem longitudinis relatâ. Nunc sumatur summa longitudinis latitudinisqve in se ducta ante, per cubitos qvadratos 15000. & ducatur in hanc superficiem altitudo arcæ 30. cubitorum: prodibunt 450000. cubiti cubici, seu solidi. Tabulata tria interim cùm fuerint, unicuiqve horum, (si qvidem distantiæ æqvalis singula exstiterunt) 150000. cubitorum qvadratorum intercapedo conveniret. Nunc qvando capacitas hæc impedimentis plurimis, ut ecce: scalis, cameris, nidis, forulis, stabulis, tabulis aliisqve trabibus ac assamentis sat longis crassisqve occupabatur: compensabimus eamdem, si subtrahamus pro iisdem 50000. cubitos, qvod certè spacium ab illis nullatenus fuit interceptum. Ponamus tamen: supersunt adhuc nobis, (præter intervallum sub tecto, ultra summitatem arcæ comprehensum) 400000. cubita qvadrata. Qvantus verò straminis, fœni, oleiumqve omnis generis apparatus, non potuit recondi

condi ſub eodem, inter arcam tectúmqve intercepto ſpaciô arcuatô? Tantam igitur capacitatem arcæ, cubitorum nempe 400000. ad minimum: pro volatilibus, reptilibus greſſilibúſqve, ac Hominibus VIII. capiendis, ſuffeciſſe, citra tergiverſationem conabor affirmare. Ac fiet, ſi ad *ſituationem* pervenerimus deinceps.

§. IV. Nunc priùs perluſtranda admirabilis arcæ interior conſtitutio & *qvalitas.* Verba cæleſtis Architecti ſunt: *manſiunculas in arca facies, & bitumine oblines intrinſecus* &c. *Feneſtram, magnitudine cubitali, in ſuperiori parte facies. In medio lateris pones oſtium: tres contignationes obtinebit arca: unam infimam, alteram mediam, tertiam ſupremam.* Generalis hæc idea arcæ. Sat dictum ſapienti. Reliqva exinde colliget cordatus. Ut ad interiora citiùs nos penetremus: de tecto arcæ & ſedili ejus ſeu fundo, nihil ampliùs dicemus. Sed nec de juncturarum, fiſſurarúmqve ac commiſſurarum, illito bitumine, cuſtodiâ monendum qvid. Pergendum potiùs ad inſpectionem primi & imi tabulati eſt. Hæc ſentinam qvamdam, unâ alteráqve manu probabiliter altam, pro recipiendis reptilibus ac inſectis habuit haud dubiè. Tum qvòd inter bruta reliqva, ſive volatilia, ſive greſſilia circumrepere, propter ſingulare & odium & nocumentum nec potuerunt, nec debuerunt. Tùm qvòd infima h. e. obſcuriora ubiqve loca, humida, cœnoſa & aqvoſa, per naturam ſemper amant atqve colunt. Sufficiens iterum pro reptilibus his, & in orbes gyrantibus ſe brutis, ſpatium, abſqve notabili, primæ contignationis detrimento, hîc fuit. Minus principale receptaculum idcircò hoc appellare liceat. Tria principalia, & majora tabulata conſpicienda nunc cum oſtio ac feneſtra ſunt. Atqve illa generatim qvidem, qvot qværſo

ambulacris ac forulis, qvot ſtabulis, præſepibus, trullis, manſiunculisqve conſtitêre! qvot verò tranſſpiraculis, lateralibúſqve foraminibus, ut & fœtores exhalarent, & novus ſubinde hauriretur aër, & intromitteretur lumen, ſunt gaviſa! Adfuiſſe hæc, & plura cuncta neceſſaria, oportet. *Qvi enim vult finem: vult & ducentia ad finem illum media.*

§. V. Stabulorum autem numerus, non præter neceſſitatem cumulandus. Certum qvidem eſt, non cohabitare in unum potuiſſe agnum & lupum, canem & leporem; leonem & capram, vulpem ac gallinam, accipitrem & columbam, porcum atqve elephantem: adverſantia ſibi per naturam animalia. Certum tamen & hoc qvoqve, indolis manſvetioris bruta, ut qvadrupedia, ſic aves qvoqve, gregatim incluſa interſtitiis fuiſſe amplioribus. Qvemadmodùm ferociora qvoqve ac voraciora cum naturæ ſuæ conſimilibus, faciliori modô convixêre. Qvantò enim magis ſtabula multiplicantur, tantò magis arcæ detrahitur capacitati. Niſi fortè tabulis, aſſeribuſqve potiùs, qvàm tignis, diſcriminatas à ſe invicem manſiunculas ſtatuere malimus. Placent B. Dn. D. Meisneri verba: *Erant inſuper foruli procul dubio, directè ſuper præſepia, ſuperiore contignatione deſcendentes, veluti longiores qvædam capſulæ ſeu canales, alii ampliores, per qvos palea, fœnum, & alia jumentorum cibaria, ad plures dies; alii anguſtiores, unde aqva ad potandum, in vaſis, ad hoc paratis, de ſuperiori cœnaculo, ſtatis temporibus demitti commodè poſſent. Erant præterea qvædam* ſpiracula, ceu qvidam camini, *qvi ad arcæ ſummitatem protendebantur, ut per aperta qvædam oſtiola, utrinqve* ſub prominente tecti ſtillicidio *aptè fabricata, qvò à pluviis tuta, & à fluctibus remotiora*

essent, fœtores exhalare, & inclusus aër transpirare qvoqvô modô posset, ne sordium pædore infectus, animalia ipsa interimeret &c.

§. VI. Et nihil adhuc de scalis, cellulis, nidis, cœnaculis, promptuariis ciborum leguminúmqve, ac hominum diximus habitatione. Distincta enim hæc à se invicem fuisse, non propter commoditatem solummodò, sed & necessitatem, qvis verò saniorum dubitat? *Deus est autor ordinis, & non est autor confusionis.* Hic sapientissimè idcirco, hic solertissimè adornari arcam jussit. Secùs, qvæ confusio rerum omnium, in arca exstitisset, si suprema imis miscerentur? aut qvæ vivendi ratio & qvies, si inter *barrientium, rugientium, mugientium, hinnientium, rudentium, balantium, latrantium* &c. paria, ac sordes degere cum filiis nuribúsqve Noah debuisset? Necessum est, ut distincta, pro distinctis rebus, loca metiamur. Id verò qvàm fiat ante, Ostium non præteribimus. *In medio lateris, ostium arcæ pones:* verba Numinis præcipientis sunt. Medium id propter, locum merebatur cardinalis aditus. Per latus qvid intelligatur, clam neminem est. Et insuper hoc certum, in prima contignatione, ostium stetisse. Reqvirebat iterum necessitas, ac sana dictitabat ratio. Accommodè ad præsentem rem, ex *Athanasii Kircheri* Demonstratione publica, qvam de dimensione arcæ Noëmicæ habuit in Colleg. Rom. laboriosus Schottus: *In hac prima contignatione erat ostium &c. ita ut in primæ contignationis pavimento limen haberet, à qvo, ad terram usqve, pons qvidam sublicius demittebatur, qvi ingressum in arcam præbebat. Debuit autem ostium illud esse satis amplum & altum, ut per ipsum commodè possent animalia etiam majora, ut sunt elephantes, cameli, & id genus alia, ingredi. Scalas qvoqve tam in hac prima, qvàm in se-*

cun-

cunda, seqventi contignatione fuisse dispositas, per qvas homines ad superiora ascendere, indéqve ad inferiora descendere, & commeatum pro se, & animalibus transportare valerent, nemo dubitare debet.

§. VII. Sed jam *Fenestra* etiam aperienda. Hæc in suprema contignatione locabatur. Audiendus Deus est: צֹהַר תַּעֲשֶׂה לַתֵּבָה וְאֶל־אַמָּה תְּכַלֶּנָּה מִלְמַעְלָה׃ Qvæ, κτ̀ τὸ ῥητὸν, sic jacent verba: *fenestram facies arcæ, & ad cubitum consummabis eam de sursum.* Convenit de situ ejus ferè, qvòd à lateris medio, supremæ contignationis infra tecti stillicidium, spectabilis exstiterit. De materia & magnitudine illius qværitur imprimis. Existimo, non per cancellos ligneos ferreósve, sed per translucida vitra constitutam eqvidem fuisse. Probo ex vi vocis & originis. צֹהַר Lumen, splendorem, & fenestram (*ideò* inqvit maximus *Buxtorfius*, *qvòd lucem transmittit*) denotat. Fenestra verò vel à φάω, qvod *Becmanno* placet; vel rectius ἀπὸ τοῦ φαίνειν aut φαίνεσθαι, juxta *Jul. Cæs. Scalig.* sententiam c. XXVII. de Causs. L. L. derivatur. Inde qvoqve Germanorum Fenster. Ph enim in F mutari, haud insolens; qvod præter alia, vocabulum qvoqve φέρειν, φέρω &c. docet. Radix τοῦ צהר apud Chaldæos usitata est, צְהַר lucere. Nihil insuper ad transmittendum lumen commodius fenestris. Accedit sensui huicce *Symmachus*, cui διαφανὲς qvoqve צֹהַר audit. Et ne qvis de vitrorum dubitet antiqvitate, præter sacram passim historiam, adeat Scriptores Veteres: Plautum, † qvi sic: *Vitrum cedò, necesse est conspiciliò uti.* Columell. lib. XII. c. IV. *vasa autem fictilia, vel vitrea plura potiùs, qvàm ampla.* Plinium, lib XXXVI. H. N. c. XXVI. ubi *de origine vitrorum, & modo faciendi ea*, agit. Senec. Epist. XC. *cuperem Posidonio vitriarium ostendere, qvi spiritu vitrum in habitus plurimos format.*

 Qvid?

† Vellem locum adjecisset. Ego sanè frustra qvæsivi.

Qvid? qvòd nec conſpiciliorum uſus Veteres latuerit omninò: teſte *Gvidone Pancirollâ* * Tit. xv. in noviter repertis, p. 649. & ſeqq. De *magnitudine* feneſtræ ſic ſentio, ut Scripturæ me conformem. Cubitô conſummabatur eadem: citra dubium & juxta longitudinem & latitudinem, nec tam pro brutorum, (qvibus foramina & tranſpiracula ſuffecerant) qvàm hominum uſu potiùs.

§. VIII. Dum igitur ad ſituationem ventum eſt, labor impendendus haud mediocris, nec minor fortè circumſpectio adhibenda, ut ne iniqvi locorum diribitores videamur. Repetenda hic altitudo arcæ, qvam 30. abſolutam cubitis, ſuperiùs didicimus. Nunc à 30. cubitis, tres ſubtrahamus. *Unum*, pro reptilium inſectorúmqve habitaculo, ſentina; (talem enim per naturam, cui, ſine dubio, hîc ſe attemperavit Deus, convenire illis locum, in anterioribus docuimus) interſtitiô nimirum inter carinam & fundum primæ contignationis. *Secundum*, pro impedimentis ſive trabium, ſive tabularum tranſverſarum, in diſtingvendo primo tabulato, à ſecundo ſubſeqvente. *Tertium*, pro iiſdem impedimentis, ad diſtingvendam contignationem mediam à ſuprema. Superſunt 27. ſufficiens animalium capiendorum relinqventes ſpacium. Hîc rurſus qvædam, qvæ certiſſima ſunt, præſuppono. (I.) COMMODISSIMA, ET NATURÆ IPSI NECESSARIA RATIONE, LOCATA ANIMALIA FUISSE. Qvod qvi negat, non tam refutandus, qvàm ridendus venit. (II.) UNAM CONTIGNATIONEM, ALTERA SPACIOSIOREM EXSTITISSE. In procinctu ratio: Propter majorem Corporis & molem & ambitum, in QVADRUPEDIBUS, minorem arctioremqve in AVIBUS. Elephas, Rhinoceros, Camelus, &c. qvidni ampliorem præ aliis

* Pancirollô, p. m. 268. edit. opt. M. DC XX. in 4to.

aliis intercapedinem mereantur? (III) PECULIAREM GRESSILIBUS, PECULIAREMQVE VOLATILIBUS CONTIGNATIONEM: QVIN ET DIVERSA INTERSTITIA SIBI ADVERSANTIBUS BRUTIS FUISSE ADJUDICATA. Urget natura, ſvadet ratio, mandat diſtinctas manſiunculas has, Numen. Ac antea *Deus, ordinis autor, non confuſionis eſt.* Hic qvidqvid ordinavit: *numerô, pondere & menſurâ* fecit. (IV) INGENTEM, CIBARIORUM OMNIS GENERIS PRO ANIMALIBUS UNIVERSIS, APPARATUM ET COLLECTUM, ET HUIC PECULIARE TABULATUM PRO RECEPTACULO FUISSE ATTRIBUTUM. Ac de priori qvidem Deus ipſemet Gen. VI. 21. *accipies tecum*, inqvit, *omnis generis cibum comeſtibilem, & colliges tecum, ut & tibi & brutis illis in alimentum cedant.* Poſterius ſana ratio viciſſim docet. Ubi materiei multitudo, ibi loci qvoqve reqviritur magnitudo.

§. IX. Qvamqvàm non dubitemus, qvin idem ille, qvi in vaſe oleum multiplicavit (2. Reg. IV. 6.) & qvinqve millia famelicorum hominum (Joh. VI. 10.) qvinqve dumtaxat panibus pavit hordeaceis olim, copiæ ciborum ad tantam temporis intercapedinem duraturorum benedixerit: Ne tamen de arcæ ſpacio deſperare, & ad miracula tantùm confugere videamur, ampliſſimam omnium alimentis capiendis, præter illud etiam ſub tecto receptaculum, contignationem vendicabimus. (V.) OMNES LEGITIMAS, ET A DEO OLIM CREATAS, VERAS SPECIES, GRESSILIUM, VOLATILIUM REPTILIUMQVE AC INSECTORUM, PER PARIA ET PARIA, HABITA TAMEN MUNDITIEI RATIONE, IN ARCAM RECEPTA FUISSE,

Audienda Numinis jussa ad Oeconomum Noachum, ex Gen. VI. 19. 20. *Ex omni vivente, & ex omni carne, paria ex omnibus introduces in arcam, ad vivendum tecum &c.* Dixi *legitimas & veras* species brutorum. Hinc excludo plus qvàm sexcentas species adulterinas, non creatas ab initio, sed animalium illicitô congressu introductas postmodùm. Eant ergo tot monstrosi eqvorum, boum, asinorum, caprarum, luporum, canum &c. ac inter aves pariter & insecta, innumeri monstrosiores partus postgeniti; (qvorum in omni ferme specie vix prostant numerandi) nullus illis, nullus inqvam in arca locus est. Sed plura, hac de re inferiùs. Dixi etiam: *habitâ munditiei ratione.* Mundorum enim septena septem paria: immundorum verò par unicum solummodò, ad se recipere debebat Noah Gen. VII. 2. 3. qvæ verò munda, qvæqve immunda bruta vocitanda sint, cap. XI. Levitici nos docet. Breviter dicam: *qvæ vel non ruminant, vel ungulas non fissas obtinent*, immunda habebantur. Inde colligo, *Elephantorum, Camelorum, asinorum, porcorum*, & sexcentarum, sive ex genere qvadrupedium, sive volatilium, (insecta antea immunda sunt) specierum, par unicum dumtaxat in arcam recepisse, imperiô Numinis, Noachum. Legendum in has partes caput est citatum, ex Levit. XI. Nunc specialiora contemplemur.

§. X. Sic igitur incedo per discursum rectæ rationis, ut statuam *qvadrupedia animalia in primum imumqve tabulatum.* Poscit natura: svadet ratio. Moles ac vastitas bestiarum E. G. Elephantorum, Camelorum, Boum, Ursorum; Eqvorum &c. nec poterat, nec debebat ab alia, qvàm primâ sustentari contignatione. Ut taceam commoditatem pabuli dejiciendi, ἀποπάτηματα ejiciendi, & ad

ad aſcenſum inconvenientiam. Qvod poteſt fieri per pauca atqve tutiora, fieri haud debet per plura & periculoſiora. Clarum hoc. *Secundum tabulatum commeatui, & ciborum omnis generis apparatui adjudico.* Hoc promptuarium vocare liceat. Hîc plurimæ ciborum apothecæ, cameræ, cellulæ: plurima itidem fœnilia, paleraria, horrea; pro varietate pabuli videlicet ac brutorum. Neqve enim omnia eôdem cibô animalia ſunt paſta, ſed unumqvodqve pabulô naturæ ſuæ conſentaneô. *Recipies tecum*, inqvit DEUS, OMNIS GENERIS cibos comeſtibiles, & coacervabis tecum, qvò & TIBI & ILLIS (brutis) IN ALIMENTUM CEDANT. Inde hæc deduco: *inſignem ſtraminis, foeni ac ſimilis eſcæ* commeatum, pro animalibus, qvæ hôc veſcuntur pabulô, ut ecce Elephas, Camelus, Bos, Eqvus, Aſinus, Ovis, Caper, collegiſſe Noam. (2.) Inſignem *carnium*, *ex mactatis* antea & alioqvin diluviô paulò poſt perituris, magnô numerô pecudibus, *ſalitarum pariter ac induratarum* copiam. Pro carnivoris nimirum beſtiis: qvales ſunt è qvadrupedibus Leo, tigris, panthera, urſus, lupus, vulpes, canis &c. atqve è volatilibus, Aqvilæ, ardeæ, accipitres, falcones, ciconiæ, corvi, milvi &c. (3.) Inſignem *panis*, *leguminum*, *olerum*, *glandium*, *ſeminum*, cùm pro qvadrupedibus, ut ecce ſimiâ, ſciurô, porcô, lepore, cuniculô, taxô, erinaceô, & imprimis Viverrâ: (Hamſter) tum pro avibus, qvarum pars plurima granis ex farre, hordeo, tritico, avena, milio, cannabi &c. nutritur; collectum fuiſſe etiam proventum. Maxima loci intercapedo, pro his capiendis, præter illud, ſub tecto comprehenſum ſpacium, reqvirebatur. Ad integrum enim annum ſufficiens erat aſſumendum pabulum. Nec dubium de ſerpentibus & reliqvis eſt inſectis; qvæ licèt tole-
ran-

rantiora, per longum tempus, famis sint; cibanda tamen peræqvè ac reliqva, statis temporum intervallis, conveniente naturis escâ fuerunt. Demus proinde altitudinem secundo Tabulato capacissimam præ reliqvis duobus: X. nempe cubitorum; qvemadmodùm supremo VIII. imò autem IX. *Tabulatum tertium Volatilibus Hominibúsqve* deputabimus. Ita tamen, ut tria generalia formemus interstitia fuisse. Qvorum medium. Hominibus VIII. ubi fenestra etiam, jussore DEO, locabatur: reliqva extrema duo, avibus, partim domesticis ac mansvetis, partim verò feris & agrestibus inserviebant. In isto *habitaculum humanum, culina, dormitorium; cella promptuaria*, ubi potus & similia, *officina omnium fabrilium instrumentorum &c.* citra hæsitationem extiterunt. In his nidi, mansiunculæ pro certis specierum mansvetarum & ferarum avibus, cancellatáqve complura spacia fuerunt. Situm hunc & distinctionem ejus, iterum natura exigit, confirmat sana ratio. Nec melior inveniri modus ferè poterat. Sic ergo inter cantillantium clangentiúmqve avium viciniam, in supremâ & ejus eqvidem medietate, aulâ, velut in specula qvadam constitutus Noah, providere omnibus convenienter poterat: supra se & infra se cibariis stipatus.

§. XI. Aliter nonnihil hæc Vinmariensium Bibliorum Glossatores ordinârunt. Der erste unterste Boden, inqviunt, mag gleichsam für den Keller gehalten werden, in welchen der Vorrath an süssem Wasser, Wein, Essig, Oell, eingesaltzen Fleisch und Fisch, Butter, Käse, Leinöhl, Unschlit, Bech, Bau und Brenholtz, Werckzeug &c. So dann eine grosse Summa nur schlecht abgedörrtes Fleisch, den wilden Thieren zur Speise. Der ander Boden ist einem langen Fisch zu ver-

vergleichen, auff denſelbigen werden alle vierfüſſige Thier einlogiret, auch jedem geſchlecht beſondere Behälter eingeräumet: Mit ihren Spazirgängen, durch welche man den Thieren Speiſs und Tranck füglich beybringen können. Der dritte wird ſolcher Geſtalt abgetheilet, daſs die Menſchen zuförderſt ihre ſtille Ruhe, Platz und Raum zum ſitzen, ligen und gehen, haben mögen. Da dann eine Stuben, Kammer, Küchen, ſo wol die Speiſskammer als des Noë Reſidentz, hinüber aber ſeine drey Söhne, Hams, Japhets und Sems Kammer zu finden. &c. Stet ſuus qvibuſcumqve honor illibatus; nos B. Balthaſaris Meisneri judicium præferimus hôc locô, dum in citata ſuperiùs diſſert. Academ. p. 39. & ſeqq. prudenter ſtatuit: *ima fuit pluribus tabulatis in varias manſiunculas diviſa, ad qvadrupedia, diverſi generis ſeparatim recipienda, cum ſuis deambulatoriis, per qvæ ad ſingulas manſiunculas commodè iri poſſet* &c. Et p. 41 *in contignatione media*, inqvit, *qvæ pariter multis ſepimentis in varias apothecas diverſimodè diſtincta fuerunt repoſitoria omnis generis commeatus & annonæ. Aderant ibi ampla palearia, fœnilia & horrea hordei, avenæ, milii, & aliarum frugum, qvæ jumentis ac volucribus dari ſolent. Aderant omnium fructuum, ut nucum, malorum, caſtanearum, frumenti, olei, leguminum, pro victu hominum, cellæ ſeparatæ, ac benè diſpoſitæ, cum ſuis deambulatoriis, per qvæ ſingula loca, ubicumqve opus eſſet, facilè adiri poſſent* &c. Paginâqve 43. *Tertium*, ſubdit, *cœnaculum rurſus in tres partes æqvales diviſum fuiſſe exiſtimatur. Media, hominum habitationi deſtinata, habuit ad arcæ latus feneſtram competenter grandem, ab interiore parte vitreis fortaſſè (ſi modò vitri uſus tunc adinventus) ſpecularibus munitam, qvæ interdiu claudi & aperiri; ab ex-*

extra verò ligneis valvis, qvæ noctu, tempestatibusve ingruentibus, intus trahi, recludi, ac ferreis pessulis firmiter obserari possent &c. *Reliqva duo, in summa contignatione, spatia, erant volatilibus designata, hinc domesticis, illinc agrestibus, nidis utrinqve pro ipsis apposité fabrefactis, & prout opus esse videbatur, ab invicem sejunctis.* Hæc ille. Nunc eundum per singulas qvoqve species foret, & percensendæ illæ, qvot à diluvii temporibus, à Physicis connumeratæ sunt; qvarum qvidem ex *qvadrupedibus* 130, ex *Avibus* 150, ex *Reptilium* phalange 30, observatæ vulgò, (sine tamen monstrosorum ex illicito congressu natorum, aut specie non verè distinctorum,) deprehenduntur. Sed cùm eruditam suam hac in parte operam Doctissimus locârit *Schottus*, part. III. lib. IX. Mag. Geometr. §. 5. 6. & 7. nostrum non est, aliorum expilare scrinia. Hinc igitur, qvi volet, consulat. Nos ad caput tertium tendemus gradum.

CAPUT TERTIUM

Jucundas, & dignissimas scitu Qvæstiones sistens.

1. *Utrum Arca fuerit navis?*
2. *Qvis ille* Mons, *ubi reqvievit ac subsedit Arca?*
3. *Unde tanta aqvarum copia in diluvio?*
4. *An Priscis de navigatione qvid constiterit?*
5. *Qvales C & XX anni isti pœnitentiæ fuerint?*
6. *Qvô temporis spatiô, mediô ac modô, tot brutorum animantium centuriæ convenerint ad arcam?*

7. *An*

7. *An adulterinæ ſpecies etiam in arca conſervatæ?*
8. *Qvid de minutiſſimis qvibuſdam inſectis & amphibiis habendum?*
9. *Numqvid univerſale fuerit Diluvium?*
10. *An in uſu vinum fuerit ante Diluvium?*
11. *Utrum Iris exſtiterit ante Diluvium?*
12. *Utrum Americani oriundi etiam ſint ex familia Noachi?*
13. *Utrum Noah fuerit Janus bifrons?*
14. *Qvid ſtatuendum de columnis Noachi?*
15. *Qvid illud ſibi παξόδοξμα velit: DEUS CLAUSIT JANUAM?*

I.

Utrum Arca fuerit Navis?

§. I.



Unc poſt curioſioris animi delicias, qvædam, bellariorum locô, qvæſtiones & movendæ veniunt & expediendæ. Ac primò qvidem: *Utrum arca fuerit navis?* Tetigimus jam ſupra c.1.§.VII.ſ.p.119 ſ. hoc qvæſitum; ſed pleniorem hactenus diſtulimus reſponſionem. Et tum negatum qvoqve contra non nullos eſt, fuiſſe navim. Probatum inſuper contrarium ex ἐνεργείᾳ vocis ac ſignificationis, ex divinitus præſcripta forma parallelepipeda, ex capacitate arcæ atqve attributis aliis. In memoriam hîc revocanda Navium, non accidentaria dico, ſed neceſſaria imprimis reqviſita. Ad navim qvippe pertinent *puppis*, *prora*, *gubernaculum*, *ſeu clavus*, *malus*, *antennæ*, *vela*, *conti*, *anchora*, *artemon*, *dolon*. Ventorum enim imperiô cùm regatur, me-

mediis qvoqve gaudet talibus, qvæ fini sunt proportionata. At ne per somnium qvisqvam hæc & similia vendicavit Arcæ. Adde; qvòd molis tantæ navis, à qvatuor duntaxat, qvi animalibus nutriendis conservandísqve intensissimi debebant esse; gubernari haudqvaqvam potuerit. Similitudinem cum nave interim si urgeant tantummodò; abusivè & impropriè loqvuntur. SCAPHA nominanda SCAPHA: ARCA, ARCA appellanda est.

2.

Qvis ille Mons, ubi reqvievit ac subsedit Arca?

Montem ARARAT Scriptura S. vocat, Gen. VIII. 4. Fallit Theophilus Antiochenus (lib. III. ad Autolycum) dum scribit: *montes Arabicos, qvos* MELANOS *vocant, primùm arcam suscepisse: & reliqvias ejusdem in istis adhuc montibus durare, ostendíqve.* Error est hic natus ex confusione historiarum diversarum. Montium *Melanorum* duæ velut colligationes sunt, *Sinai* & *Horeb*, qvorum culmina Moses, radicem verò Israëlitæ contigerunt. Ridiculum qvoqve est, dum alii ex Scythia *Imaum*, & ejus intelligere portiones volunt. Montes ARARATH, illi in Armenia altissimi omnium ac frigidissimi & sunt & dicuntur. Audiendus nobilissimus HAITHONUS, Armenus ipse, (Regiô prognatus stemmate) ex lib. de Tartar. c. IX. *Est in Armenia mons altior, qvàm uspiam terrarum in orbe, qvi ARARAT vulgariter appellatur, & in cacumine istius montis, Arca Noæ, post diluvium primò sedit* &c. Haithoni αὐτόπτης qvoqve adjungendus OLEARIUS, ex libr. IV. Itin. Persic. c. XIV. f. 398. Der Berg Ararat, auff welchen,

chen, besage des 8. Cap. des Ersten Buchs Moysis, des Noe Kasten sich gesetzet, wird jetzo von den Armenern Messina, von den Persern Agri, von den Arabern aber Sübeilhan genant, und war dem Ansehen nach, fast noch höher, als der Caucasus, und der höheste, den wir auff der gantzen Reise gesehen haben, ist lauter schwartz und rauher Felss, liget oben des Sommers so wohl, als des Winters mit Schnee bedecket, dessen höchste Spitzen, bey 10, 15 Meilen, von der Caspischen See. Die Armener, wie auch die Perser alle halten gewiss darvor, dass noch jetzo ein Stück vom Kasten Noe, welches so hart als ein Stein sol geworden seyn, darauff stehe. Unser etlichen wurde in Meden, zu Schamachie, in der Armener Kirch, ein Creutz, so über eine halbe Elen lang, von schwartzbraunen Holtz gezeiget, welches ein Stück von des Noe Kasten seyn solte, sie hatten es als ein gross Heiligthumb in Seydentuch gewunden. Auff den Berg aber sol man jetzo nicht mehr kommen können, dann nicht alleine auff etlichen Meilen herumb, wie es der Augenschein gibt, lauter hohe rauhe Felsen und tieffe Thale; sondern auch der hohe Berg selbst, vielleicht durch die Erdbeben hin und wieder zerspalten, und sich von einander gegeben, dass wegen der weiten und tieffen Klüfften dahin jetzo kein Weg mehr seyn mag.

3.

Unde tanta aqvarum in diluvio copia?

Resp. Incomprehensibilis aqvarum copia, qvòd diluvii temporibus exstiterit, colligi haud difficul-

ter tum ex earumdem *originibus*, tum insolita *continuatione depluendi*, tum *altitudine immensa* potest. *Rupti enim sunt*, inqvit Sacer Codex, Gen. VII. 11, 12, 17, 18, 19, 20. OMNES FONTES ABYSSI MAGNÆ, & CATARHACTÆ CÆLI *apertæ sunt: cecidítqve pluvia super terram* QVADRAGINTA DIEBUS & QVADRAGINTA NOCTIBUS. *Tum factum diluvium est super terram: & multiplicatæ sunt aqvæ, & elevârunt arcam in sublime.* VEHEMENTER *inundaverunt aqvæ, & invaluerunt* SUPRA MODUM, UT ALTISSIMI *qviqve* MONTES SUB UNIVERSO CÆLO, *operirentur aqvis.* QVINDECIM CUBITIS ALTIOR *supra montes aqva fuit* &c. Qvæ dum & lego, & scribo, & meditor altiùs, conturbor animô, & vix meipsum capio ipse. Qvid sibi FONTES OMNES ABYSSI MAGNÆ? Qvid porrò CATARHACTÆ (sic enim formo vocem per simplex R, præter morem aliorum, originem intuitus κατὰ & ῥάσσω) CÆLI? & similes difficultates. Eo in Scripturam: omnes perrepto Naturæ angulos. Feror in speluncas terræ, committo me marinis fluctibus, transeo in nubium operimenta, & supra ipsos elevor mente meâ, cælos. Contemplor desuper Americanorum vastissima æqvora. Inqve his omnibus adhuc hæreo suspensus. Et qvidni? Recogitemus saltem, qvid hæc sibi velint (1) *Diluvium orbis catholicum:* (2) *Omnes sub universo cælo montes cooperti aqvis:* & (3) *cubitis XV. altior montibus adsurgentes undæ.* Qvidqvid sit: credo simpliciter Scripturæ infallibili. Rem scio, ignoro modum. Novas creatas aqvas esse, non concedo. Aqvas supracælestes (de qvibus alibi prolixè egimus) magnâ sui parte defluxisse, cooperantes ad

panolethriam orbis œcumenici, affirmare cum B. MEISNERO (in Philos. Sobr. sect. III. qq. Phys. c. IV. Q. III.) non ausim. Qvippe cùm intelligam, obstare (1) *immensam cæli profunditatem*, (2) *stellarum, in tuto ita permanentium difficultatem.* [3) *incredibilem cæli supremi à terræ superficie distantiam:* (4) *deniqve aqvarum supracælestium integritatem.* Per CATARHACTAS CÆLI (aërei nimirum, ut sæpè aliàs) horribilia, prorsus extraordinaria, solitôqve & diuturniora & copiosiora nubium fragmina, nubes diutinô humore gravidas, per densissimos imbres, jam diu in aëreomni collectos, & immani impetu effusos, intelligi debere. Per FONTES verò ABYSSI MAGNÆ, profundissima marium barathra, claustra accessûs & recessûs, repaguláqve, (qvæ Deus illis in creatione prima posuit) aperta & laxata: omnium deniqve locorum subterraneorum aqvas, per canales solitos effluxisse, extractásqve, ac elevatas ad nubes fuisse. Pessima enim ψευδερμηνεία illa est, quâ, lib. IV. monstrosi scripti sui, c. VII. p. 205. *Peyrerius*, Præ-Adamitarum Fictor ac Factor, utitur. *Neqve verò me movet qvod scriptum est:* ruptos fuisse omnes fontes Abyssi magnæ, & catarhactas cæli apertas. *Abyssus enim magna illa, mare ipsum Palæstinorum fuit; à qvo fontes Palæstinæ omnes scaturiunt. Qvos ruptos hic nobis exhibuit Genesis; ut repræsentaret, Palæstinam totam in aqvam liqvefactam, exsudavisse, qvidqvid humorum habuisset in venis* &c. Et pag. seq. addit: *Omne cælum hôc locô intelligendum, qvod imminebat terræ sanctæ. Neqve enim terrorem Judaici nominis immittebat Deus tunc temporis in populos, qvi habitabant sub cælo vel Sinensi, vel Americano, vel Australi, vel Grœnlandico. Qvod si non ad verba sola, sed ad rem ipsam diligenter attendimus: diluvium illud, Judæorum terræ, non toti mun-*

do ingruisse, manifestum erit &c. Deliria hæc sunt non speculationes sobriæ. Ac utinam se non eâdem maculâsset pice nuper ISAACUS VOSSIUS in opere, de LXX. Interpp. superiore abhinc annô edito, dissert. de Ætate mundi, c. XII. p. 283. non tam leviter hæc posuisset verba: *Minimè eorum probo sententiam, qvi totum terræ globum, ita aqvis tectum fuisse existimant, ut nulla prorsus ejus exstaret portio. Ad hoc efficiendum, multa debuissent concurrere miracula. Cùm enim universæ orbis aqvæ non sufficiant ad obruendam tàm altè terram, etiamsi omnia maria siccentur, debuissent vel plures aqvæ creari, vel dicendum cum aliqvibus, istam aqvarum molem, ex aliis cæli rupibus decidisse, ac denuò finitô diluviô, ad sedes suas revolâsse. Verùm hoc est piè nugari* &c. De his tamen & similibus dicemus paullò pòst, in qvæstione: *An diluvium fuerit universale?*

4.

An priscis etiam de navigatione qvid constiterit?

Ex Plinio Stephanus Forcatulus, Plyterensis Gallus, Jurium PP. Tolosæ (lib. 1. de Imper. & Philosoph. Gall.) qvinqve hæc eximia humano generi præstitisse bona Syrophœnices putat: *literas* nimirum, *cognitionem siderum, industriam navigandi, disciplinam militarem, & freqventem urbium exstructionem.* Errant à limine tamen, qvi cum Plinio Gentili, istud statuunt. Post Noachi tempora, & cognitam & usurpatam navigandi artem inter plurimos fuisse, licet de nautica nihil adhuc constitisset pyxide, ne dubitare qvidem

sapienti

ſapienti liceat. Lis major de Antediluvianis agitatur. *Ego ſic ſentio:* ut rudimenta artis nauticæ, ſapientisſimo hominum ADAMO, qvi & dominari ſuper piſces maris, & terrarum vel occupare, vel tradere poſteris ſuis ſitum debuit, non denegem. Oportuit proinde uti Antediluvianos ſive lembis, cymbis, ſive naviculis, ex qvacumqve materia conjunctis, ſive pontonibus. Abeant in malam rem Pagani, qvi Neptuno partim, partim Corinthiis, alii Phœnicibus inventa navigationum tribuêre. Conf. Gvid. Panciroll. Tit. XI. in novit, invent. de pyxid. naut. p. 565. & ſeqq.

5.

Qvalesnam C & XX anni iſti fuerint pœnitentiæ?

Reſp. Vel Solares politici, vel Lunæ-Solares, ſive hos tamen ſive illos ſtatuas obtinuiſſe; parùm decedet veritati. Nugatur Varro interim, qvi, ut teſtis eſt Lactantius, lib. II. c. XIII. per verba Moſis non ſolares annos, ſed Lunares, ſeu menſes intelligendos eſſe ſcripſit. Ægyptios qvondam, ut notant *Diodor. Sicul. Cenſorin. Macrobius*, aliíqve menſtruos, & pro ingenii mutabilitate prolixiores poſteà habuiſſe annos, confitemur: hos verò C & XX tales exſtitiſſe, inficiamur penitùs. Ac poneſis abſurdum hoc. Seqvetur inde Patriarchas, vix V. VI. aut VII. annos natos, ordinariè cœpiſſe generare liberos: qvod longè eſt incredibilius, qvàm qvod Noblisſimus MANDESLOVIUS apud Indiæ Rasbuttas, in ſexenni puella gravida præter ordinem àc pariente filium, obſervavit. Nota inſuper, haud qvaqvàm vitales ſic eſ-

se Patriarchas potuisse, si pro anno integro substituatur mensis saltem. Ut nunc silentiô nomina distinctorum mensium & in S. S. clarè adductorum prætergrediar. Sed & completi ad amussim anni isti, licèt *Petavius* id frustrà neget, qvod & Chronologiæ ratio, & Mosaicorum perspicuitas verborum docet, exstiterunt.

6.

Qvô temporis spaciô, mediô, modóqve tot brutorum animantium centuriæ convenerint ad arcam?

Resp. Tempus si spectes, fuerat *septiduum.* Ingressus enim arcam est Noachus, annô ætatis suæ sexcentesimô præcisè. Post diem septimum deinceps cataclysmus ingruebat. Septem igitur elapsi dies, dum reptilia cum gressilibus, gressilia cum volatilibus in arcam convenêre. Hinc derepente omnes abyssi fontes, ætherísqve catarhactæ patuerunt, pluitqve iracundum Numen, à XVII. secundi mensis die per 40. luces noctésqve integras. *Medium* si qværas? extraordinarium qvoddam DEI, bruta convocantis ac congregantis imperium erat. Idem ante 1656. annos Adamo, in divina animalium adductione, contigit. (Gen. II. 19.) *Modus* in assumptione, receptione ac situatione constitit, conf. Gen. VII. 2, 3.

7.

An adulterinæ qvoqve species conservatæ fuerint in arca?

Resp. Qvæ DEUS non creavit, illa nec conser-

ſervavit animalia. Fecit qvod rectum eſt, qvod legitimum: monſtroſi, ſeu vitioſi nihil condidit. Præter intentionem Creatoris, ex illicito brutorum diverſorum coitu, introducta in aves, qvadrupedia & ſerpentes, monſtra ſunt! Pereant hæc ac intereant, qvid tum? non defuerunt cauſſæ priſtinæ ac radicales: qvæ poſt diluvium fecerunt idem. Mille igitur adulterinæ ſpecies ſi ab arca arceantur; erit jam ſufficiens intercapedo loci.

8.

Qvid de minutiſſimis qvibusdam inſectis & amphibiis habendum?

Reſp. Qvotqvot genuinæ inſectorum ſpecies fuerunt, arcam introierunt. Sed qvomodo *pediculi, formicæ, culices, pulices, araneæ, cimices, muſcæ, apes, vermiculi & ſimilia* animalculorum? Adhærendo brutis, qvadrupedibus inprimis, inqvam. Vermiculi omnium ferè generum ex putrefactis poſteà cadaveribus, examine immani pullulabant. Amphibia cùm in aqvis æqvè ac in arido perdurent, vel recipi [ut ecce ranæ, canes marini &c.] non debuerunt; vel ſi recepta ſunt, ſpacium inter reptilia, vel pone hæc, obtinuerunt in ſentinâ, unâ alterâve manu, aut ſeſqvicubitô fortàsſis altâ. Sic cùm arca, intra aqvas ex una parte, navium more, mergebatur; arenæ locô, in ſentinâ iſthâc ſordeſcente, reptilia conſervabantur.

9.

Nunqvid univerſale fuerit diluvium?

Reſp. Terram cum omni vivente carne, univer-

 ſam

ſam obrutam diluviô fuiſſe, communi creditum hactenus aſſenſu, præter *Umbros* fortè, fuit. Neqvitioſus Præ-Adamitarum Fictor tamen, annis ab hinc aliqvot negare auſus eſt principia communia. Hinc (lib. IV. Syſtem. Theol. part. I. c. VII. pag. 203. & ſeqq.) per *deletionem generis humani*, Judæos; per *omnem terram*, Palæſtinam: per *animalia*, Gentiles Judæis permiſtos, febriliter interpretatur. Et pag. 206. in ſtultitiæ ſocietatem malè pertrahit Joſephum, ſcribens: *certè diluvium illud peculiare Judæorum fuiſſe, intellexit Joſephus, ubi contra Appionem, lib.* II. *auctores omnes Gentilitios recenſet, qvi Judæorum meminiſſent: inter qvos Beroſum laudat.* Beroſus, *ait ille*, ſcripſit de arca; in qva generis NOSTRI princeps ſervatus eſt. *Non dixit*, in qva generis humani Princeps ſervatus eſt. Sed *noſtri*, id eſt Judaici. &c. Ut enim de Beroſi nihil dicam nunc auctoritate, obtortô rapit collô verba Viri & miſerrimè dilacerat. Ejusdem ferè ponderis ſunt argumenta, qvæ c. VIII. de columba olivæ ramum reportante & c. IX. de diviſione terræ inter filios Nepotéſqve Noachi facta, profert: Ab his ſomniis non longè adeò receſſit nuper ISAACUS VOSSUS in opere de LXX. Interpp. Qvi qvidem, etſi omne vivens, extra arcam, præter piſces, verè ſtatuat interiiſſe; negat interim diluvium univerſale ſuper terram omnem habitabilem ingruiſſe. *Qvid obſtat*, (inqvit Caſtigat. ad objecta Hornii, pag. 343.) *qvô minus verba illa, qvibus* Moyſes *omnia animalia diluviô periiſſe ſignificat, de omnibus habitati orbis animalibus intelligamus? &c.* Ac infra in Epiſt. ad Andream Colvium, Theologum Dordracenum, pag. 383. hæc habet: *cùm certis & Geometricis argumentis oſtendi poſſit, etiamſi omnes aqvæ in aëre, aut æthere ſuſpenſæ deſcendant, non tamen propterea vel*

uno

uno ſeſqvipede altiorem futuram aqvæ ſuperficiem; ad obruendum altisſimorum montium vertices, alterutrum contigiſſe neceſſe eſt, aut Deum novas aqvas creâſſe; aut mare fluminâqve adeò intumuiſſe ut ad qvatuor paſſuum millia ſe in altum extulerint &c. Nos contra ſic argumentamur: *Cujuscumqve intentio fuit homines formatos* OMNES, *bruta* OMNIA, (præter ea ſcil. qvæ in arca exſtiterunt, & extra arcam, piſces) *delere de terra, ille univerſale etiam diluvium immiſit. Sed Dei hæc intentio fuit.* E. Major univerſalitate nititur. Minorem c. VI. 7. Gen. confirmat. Addimus hoc qvoqve: *Qvæcumqve aqvæ eâ fini ſunt immiſſæ, ut perderent* (1) OMNEM *carnem viventem*, (2) *in* OMNI *terra; illæ ſuper omnem orbem tam habitatum, qvàm habitabilem ſe extenderunt. Sed Aqvæ diluvii &c.* E. Propoſitio vicisſim generalis. Aſſumptionem probat c. VI. 17. Qvia porrò ratiocinamur: *Qvôcumqve tempore rupti ſunt* (1) OMNES ABYSSI MAGNÆ FONTES (2) CATARHACTÆ CÆLI (3) *qvibus* ALTISSIMI *Qviqve montes, ſub* OMNI CÆLO *cooperti ſunt ad XV. cubitos.* (4) *deletum* OMNE *vivens in terra fuit; eô tempore ingruit univerſale orbis diluvium. Atqvi tempore annorum Noachi* DC. &c. E. Major infallibilis eſt; Minor roboris ejuſdem, ex Gen. VII. 11. 19. 20. 21. Res patet: modus latitat inprimis. Aperuimus vias tamen in ſuperiori qvæſtione. Idem tranare nolumus hîc æqvor.

10.

An in uſu vinum fuerit ante diluvium? †

Reſp. Fingunt Beroſus & Poëtæ, Vini inventorem Bacchum eſſe: qvi *Oenotrius* iccircò, παρὰ

† Vide B. Geſner. in Geneſ. p. m. 221. Dieteric. Antiqvit. Biblic. p. 246. 247.

τὸν οἶνον, dicebatur. Sed hæc gentilium commenta. Negant vel cognitum, vel freqventari solitum fuisse vinum, ante orbis inundationem, *Basilius & Chrysostomus.* Atqve ille qvidem in conc. de jejun. hic verò Homil. xxix. super Genesin. Affirmamus nos qvæstionem ac probamus. Primò enim constat, inebriatos vinô temporibus Noachi fuisse Antediluvianos, Ἤσθιον, ἔπινον, inqvit Servator ipse, Luc. XVII. 27. Reprehendit illos itaqve à vitiô ebriositatis. *Argumentamur: aut aqvâ, aut merô* (tum nondum enim Cerevisia fuit) *inebriabantur Antediluviani. Non istâ;* licèt artificialis etiam, (qvod credibile de ætate illa nondum est) *pararetur.* Relinqvitur proinde vinum. Adde: *Cuicumqve omnium plantarum fuit usus cognitus, illum usus vini clam esse non potuit. Adamo.* &c. Ab Adamo usum & culturam didicêre posteri. Nota qvoqve finem vini, qvi est *exhilaratio humani cordis* Ps. CIV. 15. Unde ratio consurgit. *Qvi seriò vult finem, media ordinaria non denegat.* Deus &c. E. Minor stabilitur ex Nehem. VIII. 9. 10. Eccles. XI. 10. Syr. XXX. 22. 23. Hinc scilicet est, qvòd petimus subindè: Er gebe uns ein fröliches Hertz &c. Nec valet conseqventia: *ante Noachum non legitur in Genesi plantata vinea.* Vinum igitur non fuit cognitum. Sic enim neganda infinita essent, quæ existunt reverà; nec tamen ibidem memorantur. Inebriatus Noah non voluntariô qvôdam vitiô, sed seniô, sed labore ac ærumnâ fractus; dum recreare Armenicô se merô vult, præter spem evadit ebrius: non ebriosus.

II.

Utrum iris exstiterit ante Diluvium?

Resp. Sic qvondam Chrysostomus, Alcuinus, aliiqve,

qve, veluti Garcæus † refert, ſtatuerunt. Et ex Recentioribus eôdem collimavit Johannes Baptiſta Helmontius in Ortu Medicin. p. 72. n. 2. Rationes nec graves, nec dignas ventilatu habent. *Qvia*, inqviunt, *non memorabatur antea. Qvin inſuper non admiraturi fœdus ſub iride notatum & credituri veritatem ejus facilè fuiſſent homines.* Prior nulla ratio. Poſterior officium cum re confundit. Hæc fuit, illud poſt diluvium acceſſit. Facit huc diſtinctio Philoſophorum, inter eſſe abſolutum atqve reſpectivum. Iris ex natura, jam inde ab initio apparuit, ſignum gratiæ & ſymbolum divini pacti, poſt diluvium conſeqvebatur. Sic & Eclipſes, dubio procul exſtitiſſent qvoqve, tametſi non peccaſſent protoplaſti. Signa malorum ominum verò & ruinæ haudqvaqvam habita fuiſſent. Placet argumentari. *Ubicumqve omnes Iridis conſtituendæ cauſſæ, etiam in actu exſtiterunt, ibi non potuit non eſſe ac videri Iris. Apud Antediluvianos &c.* E. Major à neceſſitate cauſſarum, ſufficienter in actu poſitarum, ad effecti procedit neceſſitatem. Minor comprobatur. Adfuerunt enim *deſtillantes guttulæ Solis*

† Ubi id Garcæus tradat, neſcio. In Meteorologicis; c. XLIII. p. m. 460. ſ. edit. Witeb. M. D. LXXXIV. in 8ᵛ. tractat qvidem iſtam qvæſtionem, ſed Chryſoſtomi non meminit. Albinum qvidem in p. 462. adducit, ſed non ita, ut de ſententia Epiſcopi iſtius Andegavienſis, circa A. C. IↃCCXX. florentis, conſtare poſſit. Utilis admodùm ille liber Joh. Garcæi Paſtoris qvondam & Superintendentis Brandenburgenſ. in nova urbe eſt, vel ob exempla hiſtorica ſacra & profana multorum ſeculorum, qvibus Meteorologica doctè illuſtravit; & ob ea ipſum præfero Liberto Fromondo, Philoſopho Lovanienſi primario, cujus VI. Meteorologicorum libri prodiêrunt Lovanii annô M. DC. XLVI. in 4to. Licèt res ipſas Garcæô tractet accuratiùs.

Solis aut Lunæ radii refracti, similes nubium coloratarum dispositiones, & oculus humanus.

12.

Utrum Americani † oriundi etiam ex familia Noachi?

Resp. Sic jure creditum huc usqve fuit: donec infelix Præ-Adamitarum Conditor id adlatrare ausus est. *Falluntur*, (inqvit lib. IV, System, c. XIV. p. 231.) *qvi origines omnium hominum deducunt à Noachi temporibus.* Hæc epigraphe. Discursus autem: *qvasi verò Italus, verbi gratiâ, qvi in Italiam aufugit, & nomen Provinciæ dedit, genitor & Pater habitatorum omnium Italiæ fuerit. Qvasi verò Franci, auctores & primi patres totius gentis Gallicæ fuerint; qvia Franci Galliam occupaverunt, & nomen provinciæ mutaverunt &c. Qvi talia conjiciunt, similes mihi videntur diobolari Medico illi, qvi ægrotum, qvem curabat, comedisse asinum conjiciebat: nimirum, qvia clitellas asini subter lecto ægroti deprehenderat.* Somnia hæc & fluentes duriter sarcasmi sunt: non rationes. Liceat argumentari: *Si omnes in universum homines diluviô extra arcam periêrunt, seqvitur ex superstite Noachi familia, per annorum plurimos decursus, ortos fuisse Americanos; Sed Antecedens* probabatur ante: conseqventiam negare nemo potest. Ac de *Americanarum qvidem gentium originibus, aditu & fama*, cùm alibi prolixiùs sit actum; crambe hîc etiam apposita, parturiret nauseam.

13. *Utrum*

† Vide dicta in Fasce nostro II. n. II, p. 42. 100. s.

13.

Utrum Noah fuerit Janus † bifrons?

Resp. Qvondam; qvæ & vera sunt, & referuntur in Pandectis sacris, si vel vidissent per transennam homines pagani, vel inaudivissent saltem; solebant fabularum contegere involucris, & de suo qvid, nunc addere, nunc demere, nunc alio mutare modô. Ac Plato inprimis Poëtarúmqve licentiosa confingendi natio, qvantis non incrustavit ænigmatibus, qvidqvid vel de Creatione, vel Paradiso, vel Diluvio, Divinæ prodiderunt paginæ! Hîc, ne ad aliena dilabamur, exemplo qvoqve est Noachus. Priscus ille, & ab omnibus celebratus *Janus*. Neqve enim ad Adamum aliúmve, sine fundamento temerè pertraxerim qvæ de JANO suo Gentiles nugabantur. Noacho potius hæc competere probabo. Noë vineam primus post diluvium plantavit. Inde Jani nomen, ab Ebræorum יין (Jain, qvod vinum notat) ortum. Sic Græcis qvoqve Janus Oenotrius, (ἀπὸ τοῦ οἴνου, vino iterum) primus Italiæ Rex salutatur, apud Dionys. Halicarnass. lib. 1. Antiqvit. Rom. Et creditur ex antiqvitate, perdiu ante Danaum, Neptunum, aliósqve vel Ægypti, vel Græciæ Reges, primus in Italiam venisse Noah, ibíqve Imperium pro nepote suo ex Gomero, Regnum condidisse: inde Umbri, vetustissimi omnium Geographorum pariter & Historicorum, in Italia populi, Græcis, Ὄμβριοι h. e. pluviales; (qvòd à Diluvio exstiterint immunes) dicti, ad mare Adriaticum. Ac non multò pòst secundâ vice, cùm ratibus mare mediterraneum tentâsset, eò pervenisse, &

† Lege Ger. Jo. Vossium, lib. 1. Idololatr. c. XVIII. p. m. 71, s. c. XIX. p. 77. a.

& Regnum ABORIGINUM (qvòd ſine originibus genus illud crederetur) à *Chameſeno* (Chamo) corruptum, *Saturno Sabutio* conſtituiſſe. Qvæ ſi omnes æqvâ lance ponderentur circumſtantiæ, cùm ex vetuſtisſimis Hiſtoricorum deprompta monumentis ſint, rideri faciliùs, qvàm confutari poſſunt. Audiendus etiam Macrobius eſt, ex lib. I. Satur. c. VII. *regionem iſtam*, inqvit, *qvæ nunc vocatur Italia, regno Janus obtinuit. Qvi cum Cameſe æqvè indigena, terram hanc, ita participatâ potentiâ posſidebat, ut regio Cameſene, oppidum* JANICULUM, *vocaretur, poſt ad Janum ſolum, regnum deductum eſt.* Janum bifrontem etiam fuiſſe, notum inter omnes eſt. Rectè BIFRONS agnoſcebatur NOAH. Hic enim uno oculorum antrorſum, in Antediluvianum mundum, altero retrorſum in Poſtdiluvianum mundum, verſô, utriuſqve poterat dignoſcere cum rebus geſtis indolem:

Finem ævi Veteris, principiumqve novi

Ut Poëta loqvitur. Sic porrò antiqvisſimus Draco Corcyræus, apud Athenæum, lib. XV. *Deipnoſoph.* autor eſt, Janum patrem πρῶτον καὶ στέφανον εὑρεῖν, καὶ σχεδίας, καὶ πλοῖον, καὶ νόμισμα χαλκοῦ πρῶτον χαράξαι. Primum & coronam inveniſſe, & rates, & navigium, primum etiam æs (bicipiti figurâ, ἄμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω, ut idem ille loqvitur) ſignâſſe. Coronam ſi ad qvatuor anni tempora, aut ſvavem, in ſpecie, odorem illum, qvem in ſacrificio obtulerat Noachus, applicemus, non fruſtrabimur omninò. Ad hæc omnia notabis, Jani ſimulacrum, ex inſtituto Numæ fuiſſe ſic formatum, ut *manu dextrâ* CCC. *ſiniſtrâ* LXV. qvâdam digitorum geſticulatione, numerum exhiberet, ad demonſtrandam anni ſolaris dimenſionem. Hôc videlicet numerô notabantur *dies*, qvos in arca exegerat Noëmus. Ac tantum etiam de Jano.

14. *Qvid*

14.

Qvid de columnis † Noachi vel Adami secundùm alios, sit statuendum?

Ferunt, (inqvit Philipp. * Clüver. in Hist. tot. mund. epit. p. 3.) *Noachum duabus columnis, uni lateritiæ, alteri lapideæ, cælestium rerum scientiam inscripsisse, è qvibus lapideam, suô tempore superfuisse in Syria, Josephus narrat.* Eustathius Antiochenus non Noacho, sed Adamo Sethóve, duarum fabricam columnarum tribuit. *Adam morti vicinus*, ait, *Deum, universam hanc mundi naturam, igni & aqvâ exterminaturum, filiis suis vaticinabatur. Hôc auditô, qvi cum Setho aderant, columnas duas erexerunt, unam qvidem lapideam, alteram cæsilibus latereulis* (Josephus lateritiam appellat) *exstructam, & in his omnes cæli motus inscripserunt, ne eorum, in astrorum scientia, observationes, inventáqve, aliqva obscuraret oblivio.* Josephus verò ipsemet (lib. 1. Antiqv. c. 111.) Adamo peræqvè, non Noacho, qvod observare Clüverus debuisset, columnas illas vendicat. Judicium breviter expromam meum, *commentum est*. Caput fabulæ, Josephus. In Scriptura ne vestigium his de columnis. Profani antea Scriptores de rebus antediluvianis referre nihil fide digni possunt. Nec ratio Josephi valet; *vidi meô tempore in Syria columnam, qvam à* SETHI NEPOTIBUS *fuisse positam, dicebant vulgò.* Fuit ergo. Cur non similiter Loretani

† Vide Fascem nostrum 11. n. 11. p. 74. addéqve Stephanum Joannis Stephanium, notis in Saxon. Grammat. p. m. 15. 16. * Malè. *Joanni* enim Cluvero isti prænomen est.

retani viatores? *vidimus domunculam B. Virginis Mariæ, ab Angelis portatam ex Palæstina olim in Hispaniam.* Fuit igitur reverà. Ut taceam, qvòd ne de nomine qvidem columnarum hactenùs convenerint autores: dum alii à Setho positas easdem, alii â nepotibus ipsius, alii â Noacho deniqve erectas asserunt. Nec illâ opus curiositate fuit, ut ab interitu nimirum Astronomiam vindicarent. Remansit Doctor exactissimus, & interpres fidelissimus cum filiis Noachus, qvi sicut alias scientias, sic Astronomiam qvoqve propagabat. Et qvi bonorum omnium, ac animalium certissimus tunc custos fuit DEUS: HOC TE METU LIBERAVIT.

15.

Qvid illud sibi velit πρόσδομα: DOMINUS CLAUSIT JANUAM POST IPSUM

Resp. Pondera verborum sunt. Nec tam organicam forium obserationem, (cui par etiam Noachus fortè cum familia esse poterat) qvàm, divinam ac singularem DEI potentiam, curam & custodiam in gubernanda arca indicant. Atqve hoc est, qvod Sapientiæ liber (c. XIV. 6.) de arca: *hanc*, inqvit, *manus tua gubernabat.* Aliàs, qvantumlibet ex mero robore compacta, intúsqve atqve extus ab omni parte munitissima fuisset, tantam vim imbrium tamen, tantos ventorum impetus, tot fluctuum tempestates, per integrum anni spatium, cum tanto animalium omnis generis ac commeatus onere ferre, neqvaqvam ac perferre tutò potuisset:

potuisset: *frustráqve pro civitate sua laboriosus vigilâsset Noah, nisi tua, Domine, manus custodivisset eam,* Cum hoc omnipotenti Vigile, nos Arcæ ostium nunc etiam claudemus.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

APPENDIX

Ad

Exercitationem II. de MANUCODIATA, seriùs transmissa nuper à Clarissimo qvodam Viro, Dresdâ.

Beschreibung des Paradiss-Vogels.

DIe Länge desselben ist vom Kopffe an biss an des Schwantzes Federn Ende, ein Elle.

Die Dicke herümb, wiewol ziemlich breit, vielleicht dass er eingedorret, eine halbe Elle.

Das corpus aber vom Kopffe an, ist anderthalb Viertel lang.

Der Kopff ist grün, hat einen schwatzen Schnabel, so eines sechzehn Theiles der Ellen lang.

Hat zweene Füsse mit Klauen, so gleich sind eines Falckens Füsse, recht mitten am Leibe.

Die Flügel sind nicht gar zu lang mit kurtzen Federn, etwan ein Viertel, unter den Flügeln aber und vom Rücken her gehen die langen Federn hinaus, biss sie mit dem Schwantze ein Ende haben, sind gantz weisslicht, die Flügel aber Castanienbraun, wie auch der Bauch und Hals

Oben auff dem Rücken zwischen den Federn, gehen lange Kielgen hinnaus, so da aussehen, als we-

ren ſie von Fiſchbeinen geſchnitten, etwan dreyer zwirnsfaden dicke, ſo ſie die Grade nennen, und davor halten, als ſolten ſie ſich mit denſelben an den Baümen anhalten. Solche Grade gehen noch ein Viertel über des Schwantzes Federn hinnaus.

Etliche haben umb den Halſs herumb von Berln geſtickte Halſsbänder, ſo deſswegen drumb gemacht ſind, weil man ſie auff den Hüten zu tragen pfleget. Daſs etliche keine Füſſe haben, kömmet daher, weil ſie dieſelben Vogel auff den Hüten zutragen pflegen, reiſſen ſie ihnen die Beine heraus, damit ſie nicht Verhindernis machen auff dem Hute, und ſtünde auch nicht gar zu wohl.

Solcher Vogel ſind bey XII. zu ſehen. Dieſer aber, von dem das Maaſs genomen, iſt der längſte.



III

JOHANNIS CLUVERI
STORMARI,

SS. Theol. D. Ejusdémqve olim in Eqvestri Sorana Danorum Academiæ Professoris, ac posteà Australis Dithmarsiæ Superintendentis

COMPUTUS CRONOLOGICUS,

Qvô

Ex sacris potissimùm Bibliis,

Qvâ certitudine Numerus Annorum Mundi ab ejus conditu, usqve ad salutiferum Jesu Christi ex Virgine ortum colligatur, brevissimè & accuratissimè ostenditur.

VIRIS ac JUVENIBUS
Eximiis, Præstantissimis, Humanissimis Eruditissimísqve
Qvotqvot
Sub cælo hoc Academico Prussiaco
ex
Inclyta
HOLSATORUM
Gente
vitalem trahunt auram
OMNIUM FACULTATUM STUDIOSIS
Dn. Conterraneis ac Amicis meis
plurimùm colendis
COMPUTUM HUNC CHRONOLOGICUM
in grati animi

pro singulari singulorum favore & amore, qvô me jam inde usqve à primo in hanc Academiam ingressu, sunt prosecuti, exiguam prorsus indicinam mutuæqve nostræ Amicitiæ

Fide Holsaticâ hactenus excultæ
nec unqvàm intermoriituræ
æternum monumentum
Cum voto

Felicissimi in studiis progressus omnimodæqve prosperitatis, qvò paucioribus verbis eò prolixiori adfectu officiosissimè offero & dedico

M. Michael Cluverus
Aut. p. m. F.



UT in tanta Chronologorum diſſenſione, addo etiam aberratione, calculum, qvem ſeqvi tutiùs poſſis, habeas, Frater Chriſtiane, hunc laborem ſuſcipere non detrectavimus. Tu qvæſo boni eumdem conſulas, & dextrè de fundamentis & conatibus noſtris judices. Brevitati autem & perſpicuitati qvantum dederimus, teipſum arbitrum facimus.

EPOCHAS ANNORUM A MUNDI ortu uſqve ad Regnum Salvatoris Noſtri JEſu Chriſti conſtituo ſeptem.

Prima eſt à Creatione ad Diluvium.

Altera à Diluvio uſqve ad vocationem Abrahami.

Tertia à Vocatione Abrahami, uſqve ad exitum Iſraëlis ex Ægypto.

Qvarta ab exitu ex Ægypto uſqve ad templum Salomonis.

Qvinta à templo Salomonis uſqve ad deſtructionem ejus.

Sexta à deſtructione templi uſqve ad reſtaurationem Politiæ Judaicæ.

Septima ab inſtauratione Politiæ externæ & legalis uſqve ad paſſionem ſalvatoris, & qvæ eam conſecuta eſt, erectionem univerſalis regni cæleſtis & ſpiritualis.

 Eas-

Easdem Epochas posses sic enumerare, ut sit

Prima, *Durationis primi mundi.*
Altera, *Instaurationis ejus.*
Tertia *primæ segregationis familiæ Abraham.*
Qvarta *tabernaculi divini singulariter erecti in populo Israël.*
Qvinta *Templi succedentis tabernaculo.*
Sexta *Templi destructi.*
Septima *templi reparati* typicè, usqve ad veri Templi exortum, in qvo Deus habitavit cum hominibus, scilicet in carne Filii Dei Christi Jesu.

DE PRIMA EPOCHA,

Seu

TEMPORE PRIMI MUNDI.

Duratio primi mundi secundùm Hebræi fontis infallibilem veritatem, rejectâ Græcæ versionis corruptelâ, colligitur esse

Annorum 1656.

Nimirum à conditu primi hominis, usqve ad totius mundi ab eo propagati interitum per aqvas, exceptô unicô Noachô cum filiis, usqve ad annum ejusdem Noachi sexcentesimum, mensem secundum. Hosce annos subductô calculô qvivis nullô labore facilè invenerit. Verbi gratiâ, compleverat

rat Adam, cùm filium Sethum gigneret, annos 130

Seth	105
Enos	90
Kenan	70
Mahaleel	65
Jared	162
Henoch	65
Methusalah	187
Lamech	182
Noach	600

Summa annorum 1656

Desiit autem Diluvium annô 601. Noachi, hoc est, annô mundi 1657. Hic ergò primus est annus secundæ Epochæ.

DE SECUNDA EPOCHA,

Seu

DE TEMPORE INSTAURATIONIS Mundi, usqve ad segregationem familiæ Abrahæ.

De annis hujus Epochæ statim nascitur magna inter Chronologos controversia. Qvamqvàm enim anni usqve ad mortem Tharæ satis sunt perspicui, tamen ob generationem primam, qvâ Thare liberos procreâsse dicitur, difficultas qvædam & diversitas sententiarum suboritur. Sic enim Moses Gen. XI. 26. *vixit Thare septuaginta annis, & genuit Abraham, & Nachor & Haran.*

Hinc multi Abrahamum septuagesimô Thare annô natum, & primogenitum inter fratres fuisse contendunt, inter qvos est recentissimus & satis alioqvin accuratus Chronologus, Sethus Calvisius.

 Qvâ

Qvâ ſuppuratione ſtante, cùm Abraham annô ætatis ſeptuageſimô qvintô profectus ſit in terram Canaan, contigiſſet hæc ejus vocatio & profectio, annô diluvii 292: annô mundi 1948. Ætatis Tharæ 145. & vixiſſet Thare poſt diſceſſum filii Abrahami totos ſexaginta annos.

Contrà verò dicit Moſes apertè, Thare vel Tharachum cum familia univerſa exiviſſe ex terra Chaldæorum & migrâſſe in Haran, ibidémqve ad mortem uſqve permanſiſſe. Ac poſteà demum c. XII, initiô, ſubjungit ſingularem Abrahæ vocationem, qvâ præceptum ut egrederetur ex Haran in terram, qvam monſtraturus ei eſſet Deus. Et cùm iter illud inſtitueret Abraham, fuiſſe eum dicit ſeptuaginta qvinqve annos natum. Unde colligitur, cùm mortuô patre egerit ipſe Abraham annum 75, qvòd non fuerit primogenitus naturâ inter fratres, nec ſeptuageſimô Tharæ annô natus. Atqve hanc ſententiam perſpicuè confirmat S. Stephanus, Act. VII. 4. *Tunc* ait *egreſſus è terra Chaldæorum, habitavit in Charran. Et exinde, poſtqvàm mortuus eſſet pater ejus, tranſtulit illum in terram, in qva nunc vos habitatis.* Hôc evidenti Moſis & Stephani teſtimoniô motus, concludo, Abrahamum eô annô, qvô mortuus eſt pater, qvum ipſe expleviſſet annum ætatis 75, exiviſſe Charris Meſopotamiæ, ac profectum in terram Canaan, id qvod factum annô mundi 2083, diluvii 427, qvi anni ſic colliguntur expeditiſſimè

Sem cùm gigneret filium Arphaxad, vixerat annos centum, poſt diluvium	2
Arphaxad genuit annô ætatis	35
Selah	30
Eber	34
Pelech	30

Rehu

Rehu 32
Serug 30
Nachor 29
Deinde vixit Thare filius ejus annos 205
Mortuus ergò Thare, & profectus Abraham eſt in Palæſtinam, annô diluvii 427

Verùm huic aſſertioni opponitur,

I *Qvod Moſes dicit* c XI 26. vixit Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram, Nachor & Haran. Nulla, inqvit Calviſius, dari poteſt cauſſa, cur Moſe dixerit: Thara erat ſeptuaginta annorum, & genuit Abram, ſi idem Abram eô annô non natus, ſed poſt ſexaginta annos demum naſciturus erat? Reſp. Omnino dari poteſt cauſſa, hæc videlicet, qvòd tunc demum Thara liberos genuerit cùm ſeptuaginta annos vixiſſet, neqve enim uno eôdémqve annô tres illos filios pariter genuit, ſed utiqve diverſis. Qvotô autem annô Abrahamum, hinc diſertè colligendum reliqvit Moſes, qvòd Mortuô patre ſuô, dicit; Abrahamum ſeptuaginta qvinqve annos implevíſſe. Non enim in incerto poſuit Moſes, qvando natus ſit Abraham, ſed id voluit concludi ex annotatione anni, qvem egit ille, cùm pater moreretur, qvem annô ætatis ducenteſimô qvintô defunctum, & tunc filium ipſius, Dei mandatu ex Haran ſtatim egreſſum, diſertè aſſerit capitis undecimi verſu ultimô, & c. XII. I Qvamqvam verò hæc Moſis, & Stephani conſenſio cuilibet debeat ſatisfacere, tamen ne qvis deinceps hæſitet in anno generationis Abrahæ, oſtendam *primùm*, Abrahamum non fuiſſe inter fratres ſuos natu maximum, ſed Haranem. Hôc enim demonſtratô, jam apertum eſt, Abrahamum non eſſe natum annô Tharæ ſeptuageſimô, ſed poſteà; ac proindè calculum noſtrum ſibi conſtare. *Deinde* non eſſe inſolens Moſi nec aliis ſacris ſcriptoribus, ut eum

primô inter fratres locô ponant, qvi non naturâ sed gratiâ Dei, & dignitate singulari primus est.

Et sic firmitas illius argumenti, qvô Abrahamum esse primogenitum, ac septuagesimô Patris annô editum probare alii exinde conantur, qvòd primô locô ponitur, iterum concidit.

Argumenta pro primogenitura Haranis suppeditat historia Mosis ista:

Primum perspicuè docet Haranum non tantùm duxisse uxorem ante Abrahamum & Nachorem, fratres suos, verùm etiam habuisse filios & filias nubiles, anteqvàm Abraham & Nachor uxores ducerent. Nam Nachor duxit filiam fratris Melcam. Abraham qvoqve post mortem Haranis demum uxorem duxit. Id qvod neqvaqvàm, illos fecisse, credibile est, nisi Harane multum fuissent ætate inferiores. Fuit enim Haran ut minimum sexaginta annos natus, cùm moreretur, qvippe qvi jam filios habebat & filias eâ ætate nubiles. Tamdiu autem fratres abstinuisse à conjugio, & qvidem natu majores ipso, nullâ fit ratione probabile, ideo ipsos fuisse minores, rectissimè concluditur.

Deinde, Sara uxor Abrahæ, qvoniam fuit filia Patris ejus, ut ipse c. xx. Genes. 12. ait, aut fuit soror ejus germana, aut fratris filia. Non soror ὁμοπάτερος, qvamqvàm ex alia matre. Talia enim conjugia eô tempore viguisse, & qvidem inter sanctos qvis credat? Ergò fuit fratris Haranis filia, soror Milcæ, qvam duxit Nachor. Qvod si verum est, qvomodo non Haran fuit major natu Abrahamô, qvandoqvidem ipsa Sara decem saltem annis fuit minor ipso Abrahamô maritô suô? Fuisse autem Saram Haranis filiam, præterqvàm qvòd Josephus, lib. I. ἀρχαιολογ. c. VII. & VIII. clarè asse-
rit,

rit, & allata nostra ratio evincit, etiam communis Ebræorum sententia est, & convenit nomen Jischa cum Sara. יסכה enim est uncta, & Sara, princeps femina. Principes autem solent ungi, & unctus solet dici princeps. Dicit autem Moses Haranum fuisse patrem Milcæ & Jiscæ, Gen. XI. 29.

Tertiò, Loth Haranis filius jam tum dicitur fuisse senex, qvando Abraham centesimum agebat annum, unde apparet pro eo seculo, non multò minorem eum fuisse Abrahamô patruô. Et habuit eôdem tempore filias viris maturas (testis historia Gen. XIX. 31.) qvæ non existimârunt, illum præ senio ad aliud conjugium adspiraturum, aut sine singulari excitatione virium gignendis liberis idoneum. *Imò* jam tum magnas opes & numerosam familiam possedit, qvum egrederetur ex Mesopotamia cum Abrahamo patruo: atqve insuper jam tum prolem eum habuisse, ex verbis Mosis Gen. XII. 5. colligitur, ubi dicit Abrahamum & Lothum egressum cum animabus, qvas genuerant in Haran, qvod non potest de animabus ab Abrahamo genitis intelligi, qvi prole caruit, sed de filiabus Lothi omnino. Ideoqve necesse est, Lothum non multô minorem fuisse Abrahamô qvi tunc 75. annum impleverat, ac proinde Haranum Lothi patrem exstitisse primogenitum inter filios Tharæ.

Sed ne qvis eô moveatur, qvòd Abraham primus numeratur inter fratres, observandùm est, illud more Mosis & aliorum prophetarum fieri, qvi interdum primum locum dant ei inter fratres, qvi non secundùm naturam, sed secundùm gratiam Dei & dignitatem primus est. Sic enim, etiamsi Sem non esset primogenitus inter filios Nohæ, tamen primô locô ponitur à Mose Gen. V. 32. & X. 1.

Maxi-

Maximus enim inter filios Noæ fuit Japhed, qvamqvàm ultimô locô numeratus, & Cham minor ipsô, qvamqvàm Japheto præpositus, ut disertè indicat Moses Gen. IX. 24. cùm inqvit, evigilans autem Nöe ex vino, cùm didicisset, qvæ fecerat ei filius suus minor (puta Cham) irridendo verenda patris sui. Semô autem majorem fuisse Japhetum inde colligitur, qvòd Noë annô ætatis 600. ingressus est arcam, & 500, cœpit gignere: Sem tamen annô secundô post diluvium egit annum 100. cùm debuisset Nöe agere 603 si primogenitus ejus fuisset Semus, ille autem centum annos habere, diluviô incipiente. Gen. V. 32. & VII. II. & XI. 10. Sic Gen. XXV. 9. 1 Chron. I. 28. Isaac præponitur Ismaëli, etiamsi Ismaël esset primogenitus. Gen. XLVIII. 20. Ephraim secundògenitus, præponitur Manassi primogenito, Deuteron. XXXIII. 7. Juda præponitur Levi. Et Apocalypsi, VII. 5. Juda primus numeratur inter omnes filios Israël, dignitatis spiritualis, non carnalis ortus ratione habitâ. Qvibus expensis constat, Abrahamum ideò collocari primùm, qvòd peculiariter à Deo electus & dilectus sit, atqve ipsius historiam inprimis sibi persequendam constituerit Moyses.

Adeóqve ratum manet, qvod affirmavit cum Mose Stephanus, Abrahamum post mortem patris exivisse è Mesopotamia, atqve tunc fuisse septuaginta qvinqve annos natum. Qvare continebit secunda æra aut Epocha annos 427. qvô totô tempore multiplicatum est genus humanum, & passim jam toto oriente à Babylonia usqve in Ægyptum, plena fuit incolis terra, per qvam peregrinatus est Abraham & viguit adhuc in Ægypto & Palæstina veri Dei cultus, qvemadmodùm ex historia regum Ægypti & Philistinorum, itemqve ex sacerdotio Regis Melchizedeci est conspicuum. Invaluisse tamen

men idololatriam ſuperſtite adhuc Tharâ, præſertim in oriente, apud Chaldæos & Meſopotamios, id ex narratione Joſuæ c. XXIV. 2 perſpicuum eſt.

DE TERTIA EPOCHA,

A SEGREGATIONE FAMILIÆ Abrahami uſqve ad ejus liberationem ex Ægypto. Ea continet annos 430

Comprobatur manifeſtâ Pauli Apoſtoli adſertione, qvi ad Galatas c. III. 17. ſcribit, à factis Abrahamo promiſſionibus & ſemini ejus, uſqve ad promulgationem legis, eſſe 430 annos. Illas promiſſiones gratuitas, putà de benedictione, de multiplicatione familiæ; de exaltatione nominis Abrahæ, & de omnium gentium benedictione per ſemen ejus; illas, inqvam, vocat Paulus teſtamentum anteà ſancitum cum Abrahamo, poſtqvàm 430. annos lex daretur, ideóqve hæreditatem non eſſe ex lege. Eamdem computationem ſeqvitur Joſephus, lib. II. Antiqvit. c. XIII. Et videtur uterqve eam deſumſiſſe ex c. XII. Exodi 40. 41. ubi ſcribit Moſes: Habitatio autem filiorum Iſraël, qvà manſerunt in Ægypto, fuit qvadringentorum triginta annorum. Qvibus 430. annis expletis, eâdem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini de terra Ægypti. Nam iſtam periodum 430. annorum, non inchoat Moſes ab ingreſſu filiorum Jacob univerſali in Ægyptum, ſed ab initio peregrinationis Abrahami in Ægy[illegible], ſeu ab initio promiſſionis de terra Canaan, uſqve ad glorioſam ſeminis Abrahæ eductionem è ſervitute, & conſtitutionem novæ politiæ in ipſis, ſecundùm qvam ad primam reqviem perductus eſt ille populus, poſt-

qvàm

qvàm ad integros 430. annos promissionis impletionem à longinqvo expectâsset. *Nec obstat*, qvòd Filiorum Israël appellat mansionem istam: nam à potiori fit denominatio. Includenda est autem patrum ipsorum Abrahami scilicet, Isaaci & Jacobi peregrinatio in illis iisdem locis. Ideóqve non sine caussa eam addiderunt LXX. interpretes in versione sua. ἡ δὲ παρῴκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, Ἣν παρῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. καὶ ἐγένετο μετὰ τὰ τετρακόσια τριάκοντα ἔτη, ἐξῆλθε πᾶσα ἡ δύναμις κυρίου ἐκ γῆς Αἰγύπτου.

De qva loci Mosaici expositione, Apostolica pariter & judaica, qvô minus dubites, néve perturberis qvorumdam novatorum importunis clamoribus, observare te velim, qvod Hypothesis explicationis contrariæ apertè falsa est. Supponunt enim illi sub prætextu urgendæ literæ inchoandos esse 430. annos ab universali illo filiorum Israëlis omnium ingressu in Ægyptum.

Oppono igitur ipsum Mosen perspicuè adfirmantem, qvòd Levi jam tum natus fuerit filius Kahat cùm Israël ejusqve familia in Ægyptum primùm migrarent. Gen. XLVI. 11. At verò Kahat (eôdem Mose attestante Exodi VI. 18) vixit annos centum triginta tres. Filius ejus Amram; pater Mosis annos centum triginta septem Exod. VI. 20. Qvibus si addas octoginta annos Mosis, qvos natus ille Israëlitas educebat ex Ægypto, erunt tantummodò 350. anni & deficient integri 80. anni. Cùm præterea incredibile & absurdum planè sit, patres illos, Cahatum inqvam & Amramum, filios suos extremo demum vitæ annô genuisse.

Qvamobrem vanissimô fundamentô nititur iste calculus, & qvadringentorum triginta annorum Epocha, secundùm Paulum & LXX. interpretes, imò

imò secundùm ipsum Mosen, à promissione terræ Canaan facta Abrahamo, haud dubiè incipienda est. Qvâ acceptâ, paullò post ipse, autor generis Israëlitici primus, & pater credentium non in Palæstina tantùm, sed & in ipsa Ægypto cœpit peregrinari. Gen. XII. 7.

Annô igitur hujus Epochæ vigesimô qvintô, diluvii qvadringentesimô qvinqvagesimô secundô, mundi bis millesimô centesimô octavô, in mundum hunc natus est secundùm promissionem primus filius, Isaac, annô Abrahami patris sui centesimô, Gen. XXI. 5.

Deinde hæres promissionis annô tertiæ Epochæ 85. ætatis suæ 60. conjugii vigesimô demum genuit Isaacus Jacobum & Esavum. Gen. XXV. 20. 26.

Jacob post reliqvos filios genuit Josephum, annô ætatis, ut apparet, nonagesimô, Epochæ hujus 175. Nam Joseph erat 30. annorum, cùm è carcere productus, constitueretur Prorex Ægypti. Gen. XLI. 46. Transierant autem septem anni opulentiæ, & duo famis, anteqvam manifestaretur fratribus suis Gen. XLV. 6. Demus autem, seqventi annô, cùm fœcunditatem famemqve prædixisset, cœpisse annos fertilitatis, & erit qvadragenarius Joseph, cùm Pater se profiteretur centum & triginta annos peregrinatum Gen. XLVII. 9. Ergò erat nonagenarius cùm gigneret Josephum. Atqve idipsum rectè docet Lutherus, comment. super c. III. ad Gal. Tom. III. Jen. pag. 27. Descendit igitur Jacob in Ægyptum cum familia, annô peregrinationis Abrahami 215.

Educti sunt ejus posteri, post annos item 215. teste etiam Josephô, lib. II. Antiqvit. c. XIII. Joseph ab annô ætatis trigesimô usqve ad centesimum decimum (Gen. XL. 26.) præfuit Ægypto; totos

totos, octoginta annos. Abinde per centum triginta qvinqve annos, sub peregrino magistratu vixerunt Israëlitæ, Et ab ortu Mosis usqve ad eductionem, in extrema servitute annis amplius octoginta.

Liberati ergò sunt annô mundi 2513. Diluvii 857. Tantum de Epocha tertia. Seqvitur

QVARTA EPOCHA, COMPLECTENS

Annos 480.

AB EXSTRUCTIONE TABERNACULI usqve ad Templum Salomonis.

Hanc periodum scriptura sacra illo annorum numerô definit clarissimè 1. Reg. VI. 1. Confirmatur insuper particulatim si potiores ejus sectiones ab historicis divinis adnotatas observemus.

Primùm enim 40. annis detentus est populus in deserto, nec pervenit ad destinatam reqviem, propter incredulitatem suam. Num. XIV. 34. Deut. I. 21. & XXIX. 5.

Deinde sexennium insumptum est debellandis Cananæis, & attributa tunc Calebo sua portio. Josuæ XIV. 10.

Tertiò post mortem Josuæ, qvi octodecim annis rexit populum, judex excitatus est à Deo *Othoniel*, annis 40. Judic. III. 11. Tum *Ehud* & *Samgar*, annis octoginta, Jud. III. 30. 31.
Debora & *Barac* qvadraginta, Judic. V. 31.
Gideon qvadraginta, Judic. VIII. 28.
Postmodùm invasit principatum *Abimelech*, tenuitqve annis tribus, Judic. IX. 22.
Inde surrexit *Thola* & judicavit Israëlem 23. annis, Judic. X. 1.

Illum

Illum secutus est *Jair*, annis 22. Judic. x. 3.
Huic successit *Jephte* annis 6. Judic. xii. 7.
Is suô tempore trecentos hujus Epochæ annos numerat, Judic. xi. 26. ex qvo nimirum filii Israël viciniam istam jordanis occupare cœperant, qvod factum sub ducatu Mosis. Fluxerant autem ab exitu Ægyptiaco anni 306. & à commoratione in Cades Barnea, finitima Moabitis, anni circiter 304. Deuteron. ii. 14.

Jephtam excepit *Ebzan*, annis 7. Judic. xii. 10.
Illum *Elon*, annis decem. Judic. xii. 11.
Istum *Habdon* annis 8. Judic. xii. 14.
Illi successit *Samson*, annis 20. Judic. xvi. 31.
Samsoni sacerdos *Eli*, annis 40. 1 Sam. iv. 18.
Eli mortuo successit Samuël, & postmodùm adjunctus illi *Saul*, Rex postulatus à populo, annis 40. Actor. xiii. 21.
Saule mortuô dedit Deus Regem secundùm cor suum, *Davidem*, annis qvadraginta 2. Sam. v. 5.
Illi numeri collecti efficiunt annos 477. add triennium *Salomonis*, qvi mense secundô, qvarti anni cœpit ædificare, & complebuntu anni 480.

Verum huic computationi opponuntur duo, qv valdè exercent Chronologos.

Primùm qvidem dictum Pauli Apostoli, Actorum xiii. 20. cùm inqvit: Post hæc qvasi annis qvadringentis & qvinqvaginta dedit Judices, usqve ad Samuelem Prophetam. Si enim Judices rexerunt populum annis 450. qvomodo constabit sibi Epocha hæc annorum 480? Hìc *alii* putant esse sphalma librarii in Actis, sed frustrà. Omnes enim codices legunt annos 450. non 350. *Alii* addunt

libro Regum annos centum, eâdem audaciâ. Verbo enim Dei nihil addendum, nihil detrahendum. *Alii* Paulum ajunt locutum secundùm traditiones Judaicas, nec accuratam habuisse numerorum rationem. Et dicunt illi aliqvid. Nam Josephus, lib. VIII. ἀρχαιολ. c. II. scribit, 592. annos effluxisse ab egressu Ægyptiaco usqve ad exstructionem Templi. Videntur ergò Judæi, qvibus Paulus omnia fieri voluit, istam supputationem tenuisse. Atqve ideò Paulus forsan adjecit particulam ὡς, qvasi; ut, se litem hanc de numero annorum in medio relinqvere, nihílqve determinare, ostenderet. Verumtamen nec illa mihi responsio sufficit. Maluisset enim, credo, abstinere Paulus illâ annorum collectione, qvàm ullam manifesto textui sacro adversam, vel dubitantem asserere.

Ac proinde reputatô accuratiùs textu, aliam ex eo responsionem elicio, haud paullò meliorem, ut opinor, qvàm qvas vidi hactenus. Apostolus enim tempus Judicum, non videtur præcisè voluisse circumscribere illo annorum tractu, ab Othoniele usqve ad Samuelem: sed complecti potiùs totam populi gubernationem illam, usqve ad Regiam in illo erectam potestatem. Nam toto illo tempore à Mose usqve ad obitum Samuelis, dedit Deus duces & Judices Israëlitis, & in tentorio portatili habitavit in medio illorum, donec Davidi firmum promitteret regnum, & mansionem sibi certam & perpetuam eligeret in monte Zione civitatis Ierosolymæ.

Atqve abinde reverà, qvasi qvadringentis triginta annis, dedit Deus judices populo, qvandoqvidem Saule regnante non minima gubernationis pars mansit penes Samuelem. 1. Sam. VII. 15. & XIII. 18. & XI. 7. ipsòqve defunctô, cùm jam ante reprobâsset Deus Saulem, David autem nondum adeptus

esset

esset plenam regni administrationem, nec adipisceretur, nisi ad 33. annos, qvibus totum Israëlem gubernavit, benè veréqve dictum à Paulo Apostolo est, fuisse Judices, non qvidem præcisè, sed qvasi qvadringentis qvinqvaginta annis. Nam à Mose usqve ad captam per Davidem Ierosolymam, regni sancti & sacerdotii sedem fluxerunt circiter 445. anni. Tum demum totus Israëlis populus Davidem sibi regem unxit, qvi anteà in Hebrone soli tribui Juda imperavit. Tributum etiam forsan qvinqvennium primum aut sexennium est bellis Philisthinorum, ac tum demum traducta fuit arca Domini in montem Sionis promulgatúmqve oraculum de perpetua Dei in illo loco habitatione, ut sic elapsi sint qvadringenti qvinqvaginta anni. Id enim efficaciter svadent historiæ 2. Sam. v. vi. & vii. c. & fuit ita populus sub Judicibus & tentorio tamqvàm 450. annis.

Alterum qvod obtenditur, est tempus servitutis Israëliticæ, qvod videtur intervenisse inter gubernationem judicum & liberationem qvamlibet antegressam. Qvale intervallum est servitutis sub *Cusan* octennalis Judic. iii. 8. sub *Eglon* Moabitarum Rege, annorum octodecim, Judic. iii. 14. sub *Jabin* & *Sissera*, annorum 20. Judic. iv. 3. Sub *Midianitis* septennalis Judicum vi. 1. sub *Philistinis* & *Ammonitis* 18. Judic. x. 8. Sub *Philistinis* iterum annorum 20. Judic. xiii. 1. Qvi omnes collecti, sunt anni centum & undecim.

Verumenimverò, præterqvàm qvòd manifestum est ex textu libri Regum Prophetico, istos annos servitutum connumerandos esse annis Judicum singulorum, qvi populum oppressionibus liberârunt, patet etiam id ipsum ex circumstantiis librô ipso Judicum annotatis. Nam c. iv. 4. dicitur, qvòd

 Debora

Debora jam tum Iſraëlitas judicârit, cùm Jabin eos opprimeret. Et c. x. 1. 2. 3. Duorum Judicum anni ſimpliciter recitantur, ſuppreſſô planè tempore, qvô preſſi fuerint à gentibus Iſraëlitæ. Similiter viginti annos Samſonis, qvibus Judicavit Iſraëlem, includendos eſſe illis qvadraginta, qvibus vexati ſunt à Philiſtinis (Judic. XIII. 1.) oſtendit tota qvatuor capitum (puta XIII. XIV. XV. XVI.) hiſtoria, & clariſſimè verſus viceſimus c. XV. corroborat, cùm dicitur: Judicavítqve Samſon Iſraëlem in diebus Philiſtinorum viginti annis. De ſimilibus igitur idem eſt judicium.

Ex dictis ergò conſtat, inchoatum eſſe templum, annô à mundi conditu 2993. & abſolutum præciſè, annô mundi 3000. ſeptennium enim integrum ædificationi inſumptum, 1 Reg. VI. 38. Atqve hoc eſt temporum mundi, ſecundùm traditionem veterum, qvaſi meditullium, cùm poſt alterum tantum, Cæleſtis Salomon Templum novum cùm nova Ieroſolyma conſummaturus eſt. Secundùm traditionem inqvam, cui an certitudinis qvidqvam ſubſit, non eſt meum dijudicare, niſi qvod hoc judicare poſſum & debeo, diem illam conſummationis certam mortalium ſcire neminem. Atqve hîc in ſummo conſtitit felicitas populi Veteris. Succedit Epocha qvinta ab inchoatione templi primi uſqve ad ejus deſtructionem.

EPO-

EPOCHA QVINTA.

DURATIO TEMPLI SALOMONIS, seu duratio singularis inhabitationis Dei in Urbe Regia & Sancta Hierosolyma, cum continuatione Regni in domo Davidis & posteritate Salomonis,

Qvæ est annorum qvadringentorum viginti septem.

Hunc numerum annorum 427. colligo ex argumentis duobus satis validis & illustribus. qvamtumvis perplexa videatur & difficilis Regum Chronologia, atqve ob id multùm diversas calculationes inveniat.

Primum suppeditat Propheta Ezechiel, dum c. IV. v. jubetur portare iniqvitatem domus Israël diebus 390, diebus annorum locô acceptis. Et distingvitur peccatum domus Isrëlis à peccato domus Juda, sicut etiam, c. XVI. & XXIII. hujus Prophetæ. Qvando autem cœperit iniqvitas domus Israël, non est obscurum è sacra historia. Docuit enim & excitavit publicam à vero Deo ἀποστασίαν, Rex primus domus Israëlis Jeroboam, cui Deus regnum illud amplissimis cum promissionibus tradiderat; si ambularet in mandatis suis. 1. Reg. XI. 38. Sed excitavit ἀποστασίαν illam primô statim annô regni sui ut videre est 2. Chron. XI. 14. 17. & peccare fecit Israëlem, sicut loqvitur scriptura sæpius, 1. Reg. XIV. 16. & XV. 26. 30. & XVI. 2. 19. 26. & XXII. 53. 2. Reg. III. 3. & X. 31. & XIII. 2. &c. Ab anno primo igitur Jeroboami, usqve ad famem & expugnationem Ierosolymæ sunt 390 anni. Adde 37.

 an-

annos Salomonis (qvadraginta enim regnavit & tres ad superiorem Epocham pertinent) & prodeunt 427.

Ceterum qvod attinet qvadraginta annos alteros, qvibus portandam dat iniqvitatem domus Juda Dominus, illi non possunt prioribus superaddi, & sic augere numerum hujus Epochæ, sicuti nonnullis placuit. Neqve enim finem 390. annorum statuit Propheta in obsidione & excidio Samariæ, sed in excidio Ierosolymæ: Neqve verò ab initio regni Israëlis usqve ad destructionem ejus tot anni fluxerunt sed solummodò 257. Verùm respicit ad singularem domus Juda iniqvitatem, à tempore Jeremiæ Prophetæ usqve ad obsidionem urbis & destructionem. Cùm enim Josias annô regni duodecimô, altaria, lucos, sculptilia atqve idola ex Universo populo abolevisset, 2. Chronic. XXXIV. 3. 4. & annô seqventi Jeremias Propheta, cœpisset zelô ingenti prophetare, Jerem. I. II. Illi tamen noluerunt audire, Jerem. XXV. 3. & reduxerunt abominationes, qvas propterea annô decimô octavô denuò removere Josias instituit. 2. Chron. XXXIV. 33. sed vicit pervicacia populi, donec mortuô Josiæ filii ejus Idololatriam publicam impudentissimâ fronte instaurarent. A decimo tertio autem anno Josiæ, usqve ad undecimum Zedekiæ sunt præcisè anni qvadraginta. Atqve hæc esto prima demonstratio, qvâ voluit haud dubiè consulere historiis Dominus, ut tantò liqvidius duratio primi templi constaret.

Alteram peto ex συζυγίαις annorum qvibus connectunt principia regum Juda & Israëlis sacri historiographi, ex qvibus omnium expeditissimè summa annorum colligitur, ne opus sit impræsentiarùm omnia textuum δυσνόητα evolvere. Est igitur

tur post 37. annos Salomonis annus trigesimus octavus hujus æræ, qvi primus est Rehabeami & Jeroboami.

Jam annus vicesimus Jeroboami est primus Asſæ, 1. Reg. xv. 9. Ergo primus Aſſæ regis Juda, est annus æræ templi qvinqvagesimus septimus, Si primus annus Aſſæ est æræ templi qvinqvagesimus septimus, ergo ejus tricesimus octavus est ejusdem æræ nonagesimus qvartus. Ille verò nonagesimus qvartus annus templi, est primus Achabi, qvia trigesimus octavus annus Aſſæ est primus Achabi, 1 Reg. xvi. 29. Annus qvartus Achabi est nonagesimus septimus templi, qvi idem cùm sit primus Regis Josaphati, 1. Reg. xxii. 41. erit primus Josaphati itidem nonagesimus septimus Templi. Annus decimus octavus Josaphat est annus templi centesimus decimus qvartus, & est idem primus Jorami Regis Israël 2. Reg. iii. 1. Si annus primus Joram est annus æræ hujus centesimus decimus qvartus, ergo ejusdem annus duodecimus est templi centesimus vicesimus qvintus. Jam verò hic ipse annus est primus & ultimus Achasiæ (unicum enim annum regnavit, 2. Reg. viii. 25. & ix. 29.) idemqve primus Jehu, qvi utrumqve regem interfecit.

Si primus annus Jehu est annus templi centesimus vicesimus qvintus, ergo septimus ejus est templi centesimus tricesimus primus, qvi idem est Regis Joas primus 2. Reg. xii. 1.

Annus tricesimus septimus Joas, Regis Juda est primus Regis Israëlitici ὁμωνύμε 2. Reg. xiii. 10. Sin autem primus Joas Regis Juda erat templi annus 131. ergo tricesimus septimus ejus & primus Joas Israëlitici est annus templi censimus sexagesimus septimus. Porrò annus secundus Joas Israëlitici, qvi est æræ templi centesimus sexagesimus octa-

octavus, eſt Amaziæ Regis Juda primus 2. Reg. XIV. 1.

Primus annus Amaziæ eſt æræ templi centeſimus ſexaſigemus octavus, ergo ejuſdem Regis qvindecimus eſt annus templi 182. Idem verò primus eſt Jeroboami Regis Iſraëlitici, 2. Reg. XIV. 23. Primus annus Jeroboami cùm ſit templi 182. igitur ejusdem Regis viceſimus ſeptimus erit annus templi ducenteſimus octavus. Eſt autem viceſimus ſeptimus ille Jeroboami, Uſiæ Regis vel Azariæ annus primus 2. Reg. XV. 1. Uſiæ annus primus incidit in annum templi 208. proinde ejusdem 52. incidit in annum templi 259. qvi idem primus eſt Pekah Regis Iſraël 2. Reg. XV. 27. Annus primus Pekah eſt æræ templi 259. ergò ejusdem Regis decimus ſeptimus, qvi eſt Achazi Regis primus, 2 Reg. XVI. 1. ſit æræ prænominatæ 275.

Ducenteſimus ſeptuageſimus qvintus annus Templi eſt primus Achazi, ergo ejuſdem duodecimus eſt Templi Salomonici 286. qvi & ipſe eſt primus Hoſeæ Regis Iſraëlitici, 2 Reg. XVII. 1.

Annus Hoſeæ tertius eſt annus templi 288. & Regis Ezechiæ primus 2. Reg. XVIII. 1. Et ſic ex initiis Regum Juda & Iſraëlis inter ſeſe collatis, qvæ certa & immota ſunt, evidenter deduximus, à primo anno Templi uſqve ad principium regni Ezechiæ elapſos eſſe, annos 288. integros. Adjungamus nunc deinceps annos Regum Juda ſeorſim uſqve ad templi & politiæ Judaicæ everſiomem, & prodibunt anni 427. qvos propoſuimus & ex Ezechiele ante demonſtravimus.

Regnavit

Regnavit enim Ezechias annos 29. 2. Reg. XVIII 2.
Filius ejus Manasses 55. 2. Reg. XXI. 1.
Nepos ejus Amon 2. 2. Reg. XXI. 19.
Pronepos Josias 31. 2. Reg. XXII. 1.
Abnepos Joachas tres menses 2. Reg. XXIII. 31.
Jojakim annos 11. 2. Reg. XXIII. 36.
Trinepos ejus Jechonias menses tres dies decem. 2. Chronic. XXXVI. 9.
Patruus Jechoniæ Zedecias annos 11. 2. Reg. XXIV. 18.
2. Chron. XXXVI. 11.
Summa, anni 139. 6. menses, dies decem.

Hi anni 139. additi ad annum æræ templi ducentesimum, octogesimum octavum, qvô incipiebat Ezechias, producunt summam annorum 427. Menses autem sex & dies decem non numerabimus, eò qvod Ezechiæ annum primum majori isti numero 188. inclusimus. Nec illorum Ezechiel rationem habere voluit. Computationis igitur hujus manifesta sunt documenta & principia, qvæ, facilè (spero) aliorum minutiis & disputatiunculis præferentur. Transeo ergo ad Epocham sextam, qvæ multò majoribus ferè difficultatibus involuta, nec ab iis, qvi id operæ susceperunt hactenus, evoluta est.

EPOCHA SEXTA,

COMPLECTENS TEMPUS AFFLICTIONIS Judæorum à desolatione Templi, Urbis & Politiæ usqve ad plenam instaurationem.

Est Annorum CXXXII.

Hanc Epocham non solius facio captivitatis Baby-

Babylonicæ; ſed Univerſi illius ſpatii ſeu tractus, qvô etiam poſt reductionem populi impedita fuit vel templi, vel Urbis, vel totius Politiæ inſtauratio. Qvamqvàm enim conceſſerat Judæis Cyrus, primus Perſarum Monarcha, ut liberi à ſervitute redirent in patriam, templúmqve deſtructum repararent, tamen prohibita fuit iterum templi ædificatio & altare tantùm holocauſti, & fundamenta novi Templi jacta ſunt, nihilqve amplius effectum uſqve ad annum Darii ſecundum, Auctores ſunt Eſdras, Aggæus & Zacharias. Atqve ab anno qvidem ſecundo Darii cœperunt meliùs habere res Judæorum, ſicut Propheticæ promiſſiones declarant; Verumtamen interrupta fuit iterum illa felicitas ob peccata populi, donec ſub Artaxerxe tandem Eſdras αὐτονομίαν Judæis omnimodam adferret, ac deinde ſub eodem etiam Nehemias muros ipſos Urbis Regiæ inſtauraret. Anteà enim verſabantur adhuc in magna tribulatione & probro Iſraëlitæ prout ex Nehemiæ I. 3. & v. 15. videre eſt. Erit igitur hujus Epochæ finis annus ſeptimus Artaxerxis, qvô Eſdras cum eximio comitatu & nova qvadam reducum Judæorum multitudine venit Ieroſolymam, allatis non tantùm muneribus Regis ingentibus, ſed & literis ejus indulgentiâ erga totum populum ejuſqve politiam pleniſſimis. Eſdræ c. VII.

Hujus igitur Epochæ partes & qvaſi gradus tres ſunt,

Primus gradus eſt afflictionis maximæ & continet ipſum tempus captivitatis Babylonicæ. *Alter* afflictionis mediæ, complectitúrqve tempus à reverſione populi uſqve ad ædificationem templi. *Tertius* afflictionis ultimæ & reſpectu præcedentium mini-

minimæ est, continens tempus ab instauratione templi, usqve ad politiæ & urbis reparationem.

Prima pars est ὁμολογουμένως annorum septuaginta. Sed qvæstio magna est, unde capiendum sit annorum illorum exordium. Qvidam enim à desolatione urbis & crematione templi, alii à deportatione potioris Judæorum partis cum Rege Jechonia illos numerare incipiunt. Et pro utraqve sententia rationes militant haud contemnendæ. Nam Jeremias c. XXIX. 10. captivis illis cum Jechonia abductis, post septuaginta annos restitutionem diserte promittit. Contra verò, 2. Paralip. XXXVI. 20. 21. 22. septuaginta illi anni perspicuè à crematione urbis & templi, ac desolatione totius terræ, qvando sabbata sua egit, videntur inchoari. Et Daniel c. IX. 2. ait; se intellexisse in libris numerum annorum, de qvo sermo Domini factus sit ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationes Ierosolymæ septuaginta anni. Sic enim loqvitur etiam Jeremias c. XXV. 11. Erit Universa terra hæc in solitudinem & in stuporem & servient omnes gentes istæ Regi Babylonis LXX. annis. Accedit insuper Zacharias Propheta & c. I. 12. scribit se annô secundô Darii in visione audivisse Angelum Domini dicentem: *Domine exercituum, usqve qvò non misereberis Jerusalem & Urbium Juda, qvibus iratus es? Iste septuagesimus annus est.* Ubi perspicuè, tamqvam digitô notatur ira Dei super Jerusalem & Urbes Juda & annus secundus Darii septuagesimus illius iræ annus statuitur. Qvæ omnia consideranda illis propono, qvi superioribus annis Josephum Scaligerum tam audacter secuti, Josepho, Eusebio, Hieronymo omníqve penè Veterum choro autoritatem abrogârunt, & Darium Nothum fecerunt illum Darium,

sub

ſub qvo Aggæus & Zacharias prophetárunt; & templi ædificium abſolutum eſt. Qvantô enim oculatior fuit illis D. Hieronymus, cùm prologô in Haggæum ſic ſcribit: Secundô annô Darii, Regis Perſarum, filii Hyſtaſpis ſeptuageſimum annum deſolationis templi fuiſſe completum, qvem Jeremias vaticinatus eſt, Zacharias qvoqve Propheta teſtis eſt. Qvi, cùm viſionis ſuæ titulum in ſecundo anno ejuſdem regis propoſuiſſet, adjecit dicens: Domine exercituum, uſqve qvò non miſereberis Jeruſalem & urbium Juda, qvibus iratus es? Iſte ſeptuageſimus annus eſt. Rectè dicit Hieronymus, teſtari Zachariam, qvòd ſeptuageſimus annus deſolationis templi completus ſit annô ſecundô Darii. Nec video, qvid dilucidiùs dici per Prophetam potuerit. Conſentit Clemens Alexandr. lib. I. ſtrom. Euſebius, lib. VIII. demonſt. Euangelicæ. Nihilominus tamen verum manet, qvòd illis cum Jechonia abductis poſt ſeptuageſimum annum reſtitutio in patriam & vindicta in inimicos eorum Babylonios & promiſſa ſit & præſtita. Secundùm illa Jeremiæ, c. XXV. 12. cùm impleti fuerint ſeptuaginta anni, viſitabo, ſuper regem Babylonis & ſuper gentem illam, dicit Dominus, iniqvitatem eorum, & ſuper terram Chaldæorum & ponam illam in ſolitudines æternas. Et c. XXIX. 10. Hæc dicit Dominus: Cùm cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum. Nam ſeptuageſimô poſt abductum Jechoniam annô, propoſuit edictum ſuum Cyrus de dimittendis Judæis, templóqve Jeroſolymitano reparando. Eôdémqve annô ſecundùm vaticinia, Babylon ab ipſo oppugnata & capta eſt. Nam ante ejus expugnationem popu-

populum ibidem captivum dimittere non potuit néqve pronunciare, *data sibi esse à Deo cæli omnia regna terræ.* Regnum enim Babylonicum erat omnium potentissimum, qvô nondum subactô ipse Monarcha jure appellari neqvibat. Ac propterea sacra historia annum Cyri primum vocat, qvô Babylonios subegit, plenámqve in Asia Monarchiam consecutus est. Et sic primus septuagenarius à captivitate Jechoniæ ad annum Cyri primum perducitur. Abierant autem cum Jechonia in servitutem primores populi, undecim annis, anteqvàm Ierosolyma caperetur & destrueretur à Nabugdonosore. Ideóqve contigit illa calamitas populo sub æra antecedenti, durante adhuc templô & politiâ per totum undecennium, & relaxata est annô hujus æræ sextæ 59.

Verumtamen qvod prædixerat Jeremias, Templum & Urbem fore desolatam septuaginta annis, idipsum qvoqve impletum est. Etiamsi reversi Judæi cœpissent annô secundô Cyri fundamenta templi ponere, tamen mox impediti sunt regum interdictis, & cessatum ab opere est, teste ipso Esrâ, c. III. 8. & IV. 5. 6. &c. Fuitqve intereà temporis afflictus valdè status totius populi qvemadmodùm Aggæi I. 6. 10. 11. & II. 16. 17. 18. Zach. VII. 3. & VIII. 9. 10. verbis admodùm emphaticis describitur, usqve ad annum Darii secundum, qvô denuò jacta sunt fundamenta domus Domini & continuatum est ejus ædificium. Atqve is fuit annus, ut ex Zachariæ c. I. 12. collegimus, septuagesimus, à desolatione Ierosolymæ, octogesimus autem primus à captivitate Jechoniæ & procerum Israëlis. Nec dissentiunt ab hoc calculo historiæ extraneæ, qvamqvàm sibi invicem contrariæ sæpius, ut si absqve scripturæ fundamen-

tis

tis esset, vix certè qvidqvam ex iis in hac æra posset constitui.

Berosus Chaldæus apud Josephum, lib. I. contra Appionem scribit, Nabuchodonosorem regnâsse annos 43. Filium ejus Evilmerodachum duos, Niglissororum generum qvatuor, Nepotem Laborosoardochum novem menses, Nabonidum annos septendecim. Ejúsqve annô decimoseptimô invasisse Cyrum Babylonem. Collecti hi anni sunt 67. detrahe septem, qvos exegerat Nabuchodonosor, cùm abduceret Jechoniam & remanent anni 60. & desunt adhuc decem, ut septuaginta impleantur.

Huic narrationi Berosianæ consentit altera Alexandri Polyhystoris, qvam citat Eusebius, c. IV. lib. IX. de præparat: Euangelica; estqve multô verior qvàm ista, qvæ exstat apud ipsum Josephum, lib. X. Antiqvit. Jud. c. XII. Illa enim Evilmerodacho tribuit annos 18. Niglisaro annos 40. Laborosoardacho menses novem. Naboandel seu Balthasaro annos 17. Collecti hi anni sunt 85. addantur triginta septem Nachudonosoris, qvandoqvidem trigesimô septimô captivitatis annô regnare cœpit Evilmerodach, 2. Reg. XXV. 27. Jerem. LII. 31. & prodeunt anni 112. à capto Jechonia usqve ad expugnationem Babylonis. Qvomodo id convenit cum sacra historia? imò qvomodo convenit secum ipse Josephus, qvi lib. XI. ἀρχαιολ. c. I. congruenter sacræ historiæ asserit, annos desolationis judaicæ esse LXX. usqve ad imperium Persarum? sunt igitur corrupti apud Josephum numeri, haut dubiè non Josephi ipsius, magni utiqve scriptoris, sed librariorum vitiô. Nam pro qvatuor annis Niglisaris scripti sunt qvadraginta. Et fortè pro octo annis Evilmerodachi octodecim. Qvidqvid sit, uni vel alteri illorum Regum paullò plures attribuendi anni

anni ſunt, qvàm factum à Beroſo & Alexandro Polyhyſtore, & Joſephus ex ſe ipſo corrigendus, ut ſua conſtet hiſtoriæ veritas. Neqve enim qvisqvam ea tempora meliùs & accuratiùs ſcire potuit, qvàm Daniel, Haggæus, Zacharias & Eſdra, qvi illâ ætate vixerunt & ſummas res geſſerunt.

Primùm igitur Nabuchodonoſoris annos paululum imminuerunt Beroſus & Alexander. Qvia enim annô octavô abduxit Jechoniam 2. Reg. XXIV. 12. & trigeſimô ſeptimô annô pòſt ſucceſſit ei filius, Jerem. LII. 31. ergo qvadraginta qvatuor integros annos uſqve ad qvadrageſimum qvintum regnavit. Deinde Evilmerodacho plures ſunt tribuendi, autoritate igitur Joſephi ponantur octo, ut dixi: Atqve ſic complentur ſeptuaginta anni captivitatis iſtius, uſqve ad caſum Babylonis. Poſſem etiam de Cyro dicere, qvòd non ſtatim primô obſidionis annô Babylonem invaſit & occupavit & qvòd poſteà occupatâ Babylone, Borſippum qvoqve obſidere & expugnare debuit, qvò confugerat Nabonidus; ut adeò exteri ſcriptores nihil ſententiæ noſtræ incommodent. Sed ſufficiunt ea, qvæ hactenus dicta ſunt, & conſtat jam à captivitate Jechoniæ & populi uſqve ad relaxationem ejus factam annô primô Monarchiæ Cyri, lapſos eſſe annos LXX. à deſolatione Urbis & templi LIX.

De altera parte hujus Epochæ major controverſia eſt propter Scaligerianos, de qvibus antè monui. Qvamobrem ut reſipiſcant illi, velim eos præter adductum Zachariæ teſtimonium (ſatis evidens), conſiderare *primùm*, qvod abſqve urgentiſſimis cauſſis non ſit diſcedendum à conſenſu eruditiorum Patrum, qvos in hæc qvæſtione ſibi planè habent contrarios.

Deinde

Deindè qvàm absurdum sit statuere, qvòd Darii illius tempore fuerint Judæi centum nonaginta sex annos nati, qvantam ætatem de nullo illorum seculorum mortali legimus. Tantam enim coguntur tribuere non paucis è captivitate reversis, nisi sententiam illam de Dario Notho deserant. Testatur enim Propheta Aggæus c. II. 4. fuisse aliqvos annô secundô Darii illius, qvi templi structuram promovit, superstites, qvi domum Domini in gloria sua priori viderint. Si fuerunt isti annô secundô Darii Nothi, vixerant jam tùm ad centum, nonaginta sex annos. Fuerint tantùm decem annorum, qvum abriperentur in servitutem, vixerint in servitute annos LXX. usqve ad annum secundum Darii Hystaspis. Addantur triginta qvinqve anni Darii Hystaspis, 20. Xerxis, qvadraginta Artaxerxis' Longimani, & unus Darii Nothi, & habebis eorum ætatis centum nonaginta sex annos. Absurdum, & mirum sanè tam oculatos viros hoc minimè animadvertisse. Qvod enim opponitur de longævitate Nehemiæ, etiamsi verum esset, neqvaqvàm tamen ad hanc alteram ætatem accederet. Verùm Nehemias non dicit, se vixisse usqvè ad tempus Darii ultimi, sed iste Darius, cujus meminit c. XII. 22. fuit Darius Nothus. Qvod vel inde potest intelligi, qvòd eôdem capite, v. 24. subdit, descriptos esse sacerdotes usqve ad tempora Johannis, summi Pontificis. Is autem non fuit sub Dario ultimo, sed Jaddus ejus Filius, qvem puerum videre potuit Nehemias, sed non summum Pontificem. Neqve etiam illud asserit. *Eadem ratio est in Saneballat.* Narrat sanè Josephus, lib. XI. c. VIII. fuisse aliquem Saneballeten Samaritanum, qvi genero suo Manassi ab Alexandro impetraverit exstructionem templi in monte Garizim, sed non addit eumdem fuisse, qvi tempori-

poribus Nehemiæ ædificium murorum impedire voluerit. *Imò* apertè colligitur ex Nehemia & Josepho, diversos fuisse, posteriorem fortè hunc filium prioris. Nam Manasses iste gener Sanebelletis erat frater Jaddi, qvi summum sacerdotium gerebat tempore Alexandri Magni, prout perspicuè scribit Josephus, & Judæorum tumultu, fratrisqve Jaddi autoritate expellebatur. At iste apud Nehemiam c. XIII. 28. filius fuit Jojadæ Pontificis, Jaddi patruus, & à Nehemia ducè ejectus est, qvemadmodùm ipse claris verbis commemoiat. Ac proinde nec illâ instantiâ qvidqvam efficitur, nec ullo argumentô probabitur, istius seculi homines ad ducentos vitæ annos pervenisse.

Tertiò viderint isti Chronologi, qvid velint facere summis Sacerdotibus, qvos ordine commemorat Nehemias, c. XII. 10. Nam sub Cyro & Dario Notho per annos 112. summô sacerdotiô functus est Jesus filius Jozedeci, prout illi qvidem falsô opinantur. Sit igitur ille mortuus eôdem annô, qvô secundùm ipsos absolutum est templum, sextô nimirum Darii, Ergo qvinqve fuerunt summi sacerdotes centum & tribus annis seqventibus usqve ad Alexandrum Magnum. Solus igitur Jesus supra modum & mensuram longævus, reliqvi brevissimi fuerunt ævi. Contrà verò qvantô concinnior est nostra hæc supputatio, qvam lectori breviter expendendam subjicimus! In ea sacerdotiô fungitur Jesus sub Cyro Cambyse & Dario. Filius ejus Josabad, Esdr. VIII. 33. vel Jojakim, (Nehem. XII. 10.) sub Xerxe & Artaxerxe annô ejus septimô. Nepos Jesu Eliasib annô Artaxerxis vigesimô. Nehem. III. 1. Pronepos Jojada sub finem Artaxerxis & sub Dario Notho. Johannes seu Jonathas sub Dario Notho & Artaxerxe Mnemone,

mone, Nehemiæ XII. 10. 23. Joſeph. lib. XI. ἀρχαιολογ. c. VII. Jaddus ſub Ocho, Arſe, & Dario Codomanno, Joſeph. lib. XI. c. VIII.

Qvartò viderint, qvàm verum ſit, qvod ſcribat Scaliger, lib. III. de Emend. temporum, Nehemiam duos tantùm duces ponere Zorobabelem & ſeipſum, ideóqve Zorobabelem præfuiſſe Judæis uſqve ad annum vigeſimum Artaxerxis Mnemonis. Contrarium enim patet ex capit. V. Nehemiæ, 15. cùm inqvit: *Duces primi, qvi fuerant ante me, gravaverunt populum & acceperunt ab eis in pane & vino & pecunia qvotidie ſiclos qvadraginta; ſed & miniſtri eorum depreſſerant populum. Ego autem non feci ita propter timorem DEi.*

Qvintò viderint, qvàm parum congruat propheticis promiſſionibus apud Eſajam, Jeremiam & Ezechielem, ſi dicatur, Judæos reduces caruiſſe templô per annos 112. *Qvod autem objicitur*: Darius ille, Euergetes populi juſſit inqviri in archivis edictum Cyri, ergo ingens ſpatium temporis effluxit à Cyro uſqve ad illius Imperium: Id qvantum valeat, omnes intelligunt. Nam duodecim vel undecim annis facilè in oblivionem veniunt Regibus edicta, præſertim ſub prædeceſſorum Imperio edita & in controverſiam vocata ab adverſariis. *Tale eſt alterum*; Eſra mentionem facit duorum Artaſaſta: Ergo fuit Darius Nothus, medius inter duos Artaxerxes, qvi judæis indulſit templi ædificationem. Poſſum enim contrà ſic argumentari. Eſra meminit trium Regum, qvi ob inimicas delationes non fuerint ſatis æqvi Judæis. Ergo reliqvi non impediêrunt templi ædificationem. Videamus qvinam tres illi fuerint, Primus Cyrus, qvi dimiſit ſanè Judæos, ſed motus accuſationibus poſteà, continuationem ædificii templi non promovit. Alter eſt Achaſveros, ad qvem miſerunt accuſa-

cuſationem judæorum, qvi fuit (credo) frater Cambyſis Tanyoxarſes qvem Cyrus conſtituit Regem Bactrianorum, Parthorum, Carmaniæ & Choramniæ, ut ſcribit Cteſias Cnidius, apud Photium in Bibliotheca, p. 54. & ſub ejusdem nomine regnavit poſtea Magus, autor cædis ejus. Tertius eſt Arthaſaſta, qvô nomine fuit appellatus Cambyſes, uti rectè putat Joſephus. Nam privatô nomine fuit Cambyſes patri Cyri, avo ſuo ὁμώνυμος. At publicô & regiô fuit Arthaſaſta, ſicut ipſe Scaliger notat & probat, Regibus mutata fuiſſe nomina, qvando Imperii adminiſtrationem ſuſceperint. Illi ergo Judæis inimiciores facti ſunt. Qvid verò de ceteris? Nonne ſub illis tantô tempore potuit conſummari ædificium? Datô enim, qvòd Xerxes ille fuerit Ahaſverus, Artaxerxes verò Arthaſaſta, filius Xerxis, qvî fit ergo, qvòd nullam mentionem facit Eſra Cambyſis, nullam Darii Hyſtaſpis, qvi ante Xerxem & Artaxerxem ad integros qvadraginta qvatuor annos regnârunt? Omnino enim ratio fuit hiſtoriographo, cur poſt Cyri obitum non fuerit promotum templi opus. Et qvidem tantô temporis ſpatiô ante Xerxem & Artaxerxem. Cùm igitur conſtaret publicè, Cambyſen ab obitu patris deſcendiſſe in Ægyptum & rerum gubernationem fuiſſe penes fratrem Tanyoxerxem vel Oxerxem, ideò ad ipſum & mox etiam ad Arthaſaſtam vel Cambyſen, literas accuſatrices fuiſſe ſcriptas dicit, & ſic impeditum templi ædificium uſqve ad Darium filium Hyſtaſpis, qvemadmodùm paucis dictum eſt.

Jam verò qvot anni ſunt à primo Monarchiæ Cyri uſqve ad initium ſecundi anni Darii Hyſtaſpis? Ex antedictis claret, undecim eſſe. Sic enim nos docuit Zacharias, iratum fuiſſe Dominum Ieroſolymæ ſeptuaginta annis, eóſqve annô Darii

secundô esse completos. Et hunc computum stabiliunt Historici. Nam de Cyro constat eum antea Astyagen & Universum Medorum regnum totámqve insuper Asiam minorem subegisse, qvàm in Babylonios qvidqvam moveret. Qvibus perdomitis demum potuit Monarcha appellari. Sed paullò pòst motâ infelici adversus Derbicos & Massagetas expeditione, mortuus est, secundùm Herodotum, interfectus in prælio: Secundùm Ctesiam vulneratus tantùm, & aliqvantis post vulnera diebus placidâ morte extinctus. Daniel tertium Cyri annum notat, c. x. 1. qvi fuit etiam Monarchiæ ipsius plenæ ultimus. Universum autem ejus imperium 29. annis duravit, teste Herodotô sub finem lib. 1.

Cambyses septennium regnavit & menses qvinqve. Inde Magus assumptô fratris Cambysis nomine, qvem Herodotus Smerdin, Ctesias Tanyoxerxen nominat, septem menses reliqvos, ut octennium impleatur. Adde annum primum Darii, qvem absolverat, cùm visionem illam videret Zacharias, & sunt anni duodecim, si tertium implevit Cyrus. Verùm Daniel primi tantùm mensis diem vicesimum qvartum commemorat, c. x. 4. & ex Zacharia apparet, non fuisse impletum, ut constent sibi LXX. illi anni indignationis DEi super Jerusalem. Est igitur hic annus Epochæ sextæ septuagesimus completus.

Pars tertia hujus æræ continet annos prosperitatis melioris, qvibus habitata qvidem fuit Ierosolyma, freqventatum templum, excultáqve terra & Urbes: Verùm caruit tamen muris Ierosolyma & fuerunt in afflictione & probro Israëlitæ, ob potentiam, exactiones, tributa, & hostiles molitiones gentium vicinarum, Nehem. 1. 3. Esdræ VII. 24. Permansit ille status sub Dario & Xerxe Regibus

gibus usqve ad septimum annum Artaxerxis, qvando libertas à tributis & αὐτονομία Judæis concessa est. Regnavit autem Darius Hystaspis, ut consentiunt Græci, annos 36. Herodot. lib. VII. Xerxes annos plus viginti, teste Diodorô Siculô, lib. XI. Artaxerxis annô VII. venit Esdras Ierosolymam. Adde LXX. annis 35. Darii (primus enim inclusus est LXX. illis) & 21. Xerxis, hoc est annos 56. fiunt centum viginti sex, deinde sex Artaxerxis, prodeunt 132.

Atqve hæc de æra sexta, Seqvitur jam septima, continens periodum annorum 490. secundùm Danielis Vaticinium. Pervenimus autem ad annum Mundi 3552.

SEPTIMA EPOCHA.

A REDUCTIONE POPULI ALTERA & Instauratione Urbis usqve ad fœderis confirmationem & consummationem per Jesum CHristum.

Continens Annos CCCCXC.

Hæc æra omnium difficillima & controversissima est, de qva sola non exiguum volumen scribi posset, si id operæ pretium nunc censeremus. Nam nec veteris nec recentis ævi doctores de septuaginta hebdomadum Danielis explicatione consentiunt. Vide de iis, si placet, Tertullianum, lib. adversus Judæos, Clementem Alexandrinum, lib. I. stromat. Origenem, Tract. XXIX. in Matthæ, Eusebium, demonst. Euangelicæ lib. VIII. c. III. IV. Hieronymum in c. IX. Danielis. Julianum Pomerium, lib. I. contra Judæos. Ex recentioribus Carionem in Chronico, Philippum Melanchthonem

in Chronico, Doct. Lutherum in præfat. Danielis, Nigrinum in Danielem, Pererium & Polanum in Danielem, Scaligerum de emendat. Temporum, Calvisium in præfat. Chronologiæ, Helvicum in vindiciis Locorum Script. Hutterum in Locis communibus &c.

Nos rem in pauca conferemus.

Qvatuor sunt potissimæ de LXX. illis hebdomadibus sententiæ. Una incipit supputationem earum ab anno primo Cyri, & pertingit ad Christi nativitatem. Sed ea pridem refutata est. Nam néqve historiis néqve ipsi contextui Danielis accommodari potest.

Altera inchoat annorum numerationem ab anno Darii secundo, Darii inqvam Nothi, & sub eo templum absolutum esse statuit. Sed eam paullò ante confutavimus.

Tertia incipit ab anno 20. Artaxerxis Longimani, qvum Nehemias instauravit muros, eáqve haud esset improbabilis, si historias & numeros annorum haberet suffragantes.

Qvarta est Bucholceri, Krantzhemii & aliorum, & orditur computum LXX. hebdomadum ab anno VII. Artaxerxis & perducit usqve ad passionem Christi & resurrectionem, secutámqve proximis annis confirmationem federis apud Judæos. Atqve hæc vera, & idcirco nobis asserenda interpretatio est.

Verba Danielis, qvibus nitimur in fonte Ebræo sic sonant: c. IX. 24.

שִׁבְעִים שָׁבֻעִים נֶחְתַּךְ עַל־עַמְּךָ וְעַל־עִיר קָדְשֶׁךָ לְכַלֵּא הַפֶּשַׁע
וּלְחָתֵם חַטָּאוֹת וּלְכַפֵּר עָוֹן וּלְהָבִיא צֶדֶק עֹלָמִים וְלַחְתֹּם חָזוֹן
וְנָבִיא וְלִמְשֹׁחַ קֹדֶשׁ קָדָשִׁים ׃ וְתֵדַע וְתַשְׂכֵּל מִן מֹצָא דָבָר
לְהָשִׁיב

להשיב ולבנות ירושלים עד משיח נגיד שבעים שבעה ושבעים
ששים ושנים תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ ובצוק העתים :
ואחרי השבעים ששים ושנים יכרת משיח ואין לו והעיר
והקדש ישחית עם נגיד הבא וקצו בשטף ועד קץ מלחמה
נחרצת שוממות : והגביר ברית לרבים שבוע אחד וחצי
השבוע ישבית זבח ומנחה ועל כנף שקוצים משמם ועד כלה
ונחרצה תתך על שומם :

Versio Græca hujus prophetiæ, sicut exstat apud Clementem Alexandrinum, strom. lib. 1.

Ἑβδομήκοντα ἑβδομάδες συνετμήθησαν ἐπὶ τὸν λαόν σου, καὶ ἐπὶ τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν τοῦ συντελεσθῆναι ἁμαρτίαν καὶ τοῦ σφραγίσαι ἁμαρτίας, καὶ τοῦ ἀπαλεῖψαι τὰς (vulgata editio ἀνομίας) ἀδικίας καὶ τοῦ ἐξιλάσασθαι καὶ τοῦ ἀγαγεῖν δικαιοσύνην αἰώνιον, καὶ τοῦ σφραγίσαι ὅρασιν καὶ προφήτην, καὶ τοῦ χρίσαι ἅγιον ἁγίων, καὶ γνώσῃ καὶ συνήσεις ἀπὸ ἐξόδου λόγου τοῦ ἀποκρίνασθαι καὶ τοῦ οἰκοδομῆσαι Ἱερουσαλὴμ ἕως χριστοῦ ἡγουμένου, ἑβδομάδες ἑπτά, καὶ ἑβδομάδες ἑξήκοντα δύο. καὶ ἐπιστρέψει καὶ οἰκοδομηθήσεται πλατεῖα καὶ (vulg. περίτειχος) τεῖχος, καὶ κηνωθήσονται οἱ καιροί καὶ μετὰ τὰς ἑξήκοντα δύο ἑβδομάδας ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα καὶ κρίμα οὐκ ἔσαι ἐν αὐτῷ. καὶ τὴν πόλιν καὶ τὸ ἅγιον διαφθερεῖ σὺν τῷ ἡγουμένῳ τῷ ἐρχομένῳ. καὶ ἐκκοπήσονται ἐν κατακλυσμῷ, καὶ ἕως τέλους πολέμου συντετμημένου (vulg. τάξει ἀφαν) ἀφανισμοῖς, καὶ δυναμώσει διαθήκην πολλοῖς ἑβδομὰς μία. καὶ ἡμίσει τῆς ἑβδομάδος ἀρθήσεται θυσία καὶ σπονδή, καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων, καὶ ἕως συντελείας καιροῦ, συντέλεια δοθήσεται ἐπὶ τὴν ἐρήμωσιν. καὶ ἥμισυ

τῆς ἑβδομάδος καταπαύσει (vulg. θυσιαστήριον καὶ θυσίας) θυμίαμα θυσίας καὶ πτερυγίου ἀφανισμοῦ ἕως συντελείας καὶ σπουδῆς τάξει ἐπὶ ἀφανισμῷ.

Verſio vulgata Latina. Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniqvitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & propheria, & ungatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo, & animadverte: ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſqve ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qvi eum negaturus eſt. Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium. Et erit in templo abominatio deſolationis, & uſqve ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.

Ex inſigni hoc oraculo, cui ipſe Chriſtus advertere jubet animum, Matthæi XXIV. 15. ſicut & Angelus ipſum Danielem, *primò* certum eſt, & conſtat apud interpretes, qvòd ſeptuaginta annorum hebdomades, hoc eſt 490. anni deciſi fuerint ſuper populum Judaicum, & civitatem Jeroſolymam, intra qvod annorum ſpatium Chriſtus venire, peccata expiare, Prophetias & viſiones obſignare, & Juſtitiam æternam apportare debuit. Qvæ periodus cùm jam ante multa ſecu-

la

la effluxerit, nihil eſt, qvòd alium Judæi Meſſiam exſpectent.

Deinde tres hujus periodi partes conſtituit ipſe Dei Angelus. Dividit enim ſeptuaginta hebdomades in ſeptem, ſexaginta duas, & unam. Qvam diviſionem fruſtra ab illo, & abſqve gravi cauſſa factam nemo pius exiſtimaverit.

Tertiò, qvid qvâlibet parte ſingulariter futurum ab ipſo Angelo diſcendum eſt. *Primum* igitur ait ab exitu ſermonis de inſtauranda Ieroſolyma eſſe hebdomades ſeptem & ſexaginta duas ad Chriſtum ducem. Hoc eſt, fore annos 483. uſqve ad unctionem ſancti ſanctorum, ſeu uſqve ad Chriſtum ducem. *Deinde* inſtaurationem plateæ & murorum Ieroſolymæ perficiendam ſeptem hebdomadibus, id eſt, annis qvadraginta novem. *Tertiò*, poſt ſexaginta duas & ſeptem illas, qvas anteà dixit, hebdomadas Chriſtum eſſe occidendum, & non ipſi, hoc eſt, nec ſuâ culpâ, nec ſuâ cauſſâ. Sicut verterunt LXX. κρίμα ὀυκ ἔςαι ἐν αὐτῷ; Judicium, culpa & reatus non erunt in ipſo: verùm ad expianda peccata populi, & adducendam juſtitiam æternam occidetur.

Qvartò, ob hoc Chriſticidium ſignificat vaſtitatem & excidium imminere templo & civitati, & deſolationem illam in finem uſqve perſeveraturam.

Qvintò, ne qvis putet, omnes fore reos iſtius ſceleris χειςοκτονίας, addit confirmandum eſſe fedus multis, hebdomade unâ, hoc eſt, uno ſeptenniô.

Sextò, illud ſeptennium ſic iterum dividit, ut in medio ejus ceſſet hoſtia & ſacrificium, nempe propter impletionem viſionis & Prophetiæ, & ob deletum peccatum.

Septimò, nihilominus confirmandum à Meſſia fedus, integrâ hebdomade, ut ut hoſtiam & ſacrificium abrògârit, fedus

ſcilicet novum de remiſſione peccatorum in ſuo ſangvine donanda. Hæc omnia ſatis ſunt ex ipſo Angeli ſermone plana & perſpicua. *Jam fiat accommodatio ad Hiſtorias.*

1. Epocham hanc exordiendam dicit Angelus Gabriel, ab exitu ſermonis, de inſtauranda Ieroſolyma & reverſione populi. Atqvi Cyrus non juſſit inſtaurare Ieroſolymam, ſed templum ſolummodò. Et qvamqvàm juſſiſſet, non tamen promotum fuit opus, ſicut clarè teſtantur Prophetæ & Hiſtoriographi θεόπνευστοι. Darius verò nullum edidit edictum de populi reverſione, ſed tantùm confirmavit prius de Templi inſtauratione. Artaxerxes ergò Longimanus eſt ille, cujus verbum exivit, tam de reducendis populi reliqviis, qvàm inſtaurando Ieroſolymæ muro, plateis, & tota politia judaica. Qvi, teſte Plutarchô, τῶν ἐν πέρσαις βασιλέων πρᾳότητι καὶ μεγαλοψυχείᾳ πρωτεύσας μακρόχειρ ἐκαλεῖτο, τὴν δεξιὰν μείζονα τῆς ἑτέρας ἔχων. Ob cujus virtutem ſingularem Darii Nothi Filius Arſaces, Artaxerxen poſteà ſe cognominavit, & ſimiliter Ochus nepos ipſius, Diodorus, librô XV. De hujus Artaxerxis anno ſeptimo ſcribit Eſra, qvòd adſcenderit Ieroſolymam, & impetraverit à Rege omnem petitionem ſuam, ſecundùm manum Domini Dei ſuper ſe, c. VII. 6. Magna utiqve liberalitas tanti Regis erga tantum amatorem & inſtauratorem Ieroſolymæ, nullam ei petitionem denegare.

2. Qvòd à primo die menſis primi annô ſeptimô Artaxerxis ineunte conſilium ceperit de itinere capeſſendo, & primo die menſis qvinti cum univerſo comitatu venerit Ieroſolymam, c. VII. 9. Unde patet, ſeptimum annum Artaxerxis pertinere ad hanc, non autem ad præcedentem Epocham.

cham. Nam primô anni die salutare hoc verbum exiit.

3. Qvòd adduxerit secum supra 1728. viros, præter duces nominatim expressos & reliqvam multitudinem, c. VIII. toto.

4. Qvòd literis Regiis mandatum fuerit, ut qvicúmqve vellent in uiverso imperio Persico reverti in patriam Judæam, reverterentur liberrimi, Esræ VII. 13.

5. Qvòd addiderit Rex & septem regni Satrapæ ingentem vim auri & argenti ad Templi, Urbis, totiúsqve populi judaici utilitatem; ibidem v. 15. & c. VIII. 26. 27.

6. Qvòd mandaverit præterea præfectis ærariorum, ut eidem Esræ largirentur, qvidqvid postularet, ibidem v. 21.

7. Qvòd immunes pronunciaverit ab omni tributo & onere cùm sacerdotes, tum ministros sacrorum qvoslibet, v. 24.

8. Qvòd potestatem dederit Esræ constituendi judices & Magistratus in Israële, qvi secundùm legem divinam gubernarent & regerent populum universum secundùm præscriptum & autoritatem ipsius, Esræ c. VII. 25.

9. Qvòd pœnas constituerit omnibus hoc edictum qvacúmqve ratione violantibus, c. VII. 26. Hoc (inqvam) verè fuit verbum de revertendo & instaurando Ierosolymam, & ab eo anno ducendum est initium septuaginta Danielis hebdomadum. Nullus enim Rex Persarum ampliùs & liberaliùs de Judæorum rebus statuit.

Illi superaccessit annô decimô qvartô pòst ablegatio Nehemiæ, annô nimirum ejúsdem Artaxerxis vigesimô. Hunc enim, cùm pincerna esset Regis, fecit Ducem Judææ, & literis denuò instruxit,

ad

ad ædificationem etiam murorum Ierosolymæ gnaviter promovendam. Nehem. 1. 1. 8. Reversus ille ad Regem est, annô Regni ejus 32. Epochæ hujus 28. & impetratâ continuatione dignitatis rediit in Judæam, ac porro constituit & ordinavit politiam & Rempublicam Judaicam, usqve ad imperium Darii Nothi filii Artaxerxis, ut scribit Nehemias, c. XII. 22. & XIII. 6. Atqve hôc modô facta est reversio, & ædificatio plateæ & mænium, totiúsqve Reipublicæ per Esram, Nehemiam & Malachiam prophetam, durante primâ septuaginta hebdomadum periodô, usqve ad annum Darii decimum qvintum. Artaxerxes enim Longimanus regnavit annos qvadraginta, teste Diodorô Siculô, lib. XI. Et iniit regnum, Olympiadis septuagesimæ octavæ annô ultimô, defunctus itidem ultimô annô Olympiadis 88. ut videre est apud eumdem Diodorum, libr. XII. Ei successit Xerxes, qvi solus erat legitimô ei torô natus: verùm occisus est à Sogdiano vel Secundiano qvadragesimô qvintô die post obitum patris. Exosus igitur illi exercitui ob fratricidium, Ochum fratrem, qvi se post Darium appellavit, advocat, qvi principum & copiarum suffragiis Rex constituitur, & Sogdianum mense Regni septimô curat occidi, regnátqve annos 19.

Cùm ergo Ierosolymitana Respublica 49. annis, (tot enim annis constant septem hebdomades) reparari debuerit, & ex iis triginta qvatuor elapsi sint regnante Artaxerxe, adjungendus est unus Xerxis & Sogdiani, ac deinde 14. integri Darii Nothi, & pervenietur ad annum Regni Darii decimum qvintum, qvô incipit altera periodus hebdomadum duarum & sexaginta. Angustiam illorum temporum, de qva Daniel, satis docent Esra, Ne-

Nehemias & Malachias, qvos συγχρόνους fuisse, collatio librorum evincit.

Jam porro alligabimus historiam nostram ad Græcorum olympiadas, qvæ supputandi fundamentum præbebunt expeditissimum, ne opus sit omnium Regum annos subjicere, & de conciliandis qvorumdam historicorum dissensionibus laborare, aut in computandis Ecclipsibus, utrum narrationibus historicis concordent, nec ne, tempus terere. Annus decimus qvintus Darii Nothi est qvartus Olympiadis 92. & primus hebdomadum sexaginta duarum Danielis, qvæ continent annos 434. estqve annus hujus Epochæ qvinqvagesimus. Darius enim Nothus obiit Olympiadis nonagesimæ tertiæ annô ultimô, sicut iterum scribit Diodorus Siculus, lib. XIII. & successorem habuit Artaxerxem filium, dictum Mnemonem, qvi regnavit annos 43. Si ergo decimus nonus Darii, fuit Olympiadis 93. qvartus, seqvitur decimum qvintum ejus fuisse Olympiadis 92. qvartum.

Jam computemus porrò Olympiades Græcorum usqve ad unctionem Christi & declarationem solennem, factam secus Jordanem, cùm à Johanne baptizaretur. Et inveniemus annos 334.

Nam primùm autor est Josephus, lib. XIV. c. XXVI. Herodem Magnum obtinuisse regnum Judææ à senatu, circa Olympiadem 184. Cajô Domitiô Calvinô iterum, & C. Asiniô Pollione Coss. Fuit autem iste annus secundus Olympiadis istius 184. Nam trienniô pòst ponit Josephus Olympiadem 185. Qvum expugnavit Herodes Ierosolymam, M. Agrippâ & L. Caniniô Coss. Elapsæ sunt ergò à decimo qvinto anno Darii Nothi usqve ad primum Herodis, qvando Rex Judææ declaratus est à senatu, seu, ab Olympiadis 92.

annô

annô 4. usqve ad 184. annum secundum, Olympiades integræ 91. & anni tres, hoc est, anni 367. Regnavit autem Herodes ex eo, qvòd Rex designatus erat à Senatu Romano, annos 37. teste Josephô, lib. I. de bello, c. XXI. qvi additi ad annos 367. constituunt qvadringentos & qvatuordecim. Desunt adhuc anni triginta, ut periodus impleatur annorum 434. Qvi sunt ipsissimi anni ætatis Christi, qvi erat annos triginta natus, cùm à Johanne baptizaretur. Testis est Lucas Euangelista, c. III. 23. Non autem incipiebat annum trigesimum, sed incipiebat esse annorum triginta, hoc est, trigesimum annum compleverat, prout è verbis Euangelistæ perspicuè elicitur. Natus est igitur annô regni Herodis ultimô.

Atque hæc esto prima probatio, qvam ex Diodoro Siculo & Josepho, historicis utiqve eminentissimis desumsimus. *Alteram* depromemus ex annis Regum Persicorum, qvi post Darium secundum imperârunt, residuis, & additione æræ Seleucidarum, usqve ad ejusdem Herodis, sub qvo Christus natus est, principatum.

Supersunt Dario Notho anni	5	Auctores, Diodorus, Siculus, Xenophon, alii.
Filius ejus Artaxerxes Mnemon regnavit annos	43	
Artaxerxes Ochus annos	23	
Arses Ochi filius annos	3	
Darius Codomannus	6	
Alexander Magnus post superatum Darium	6	
Summa anni 86.		

Anni 86. constituunt Olympiadas 21. cum biennio, qvas adde Olympiadis 92. anno tertio completo,

pleto, & prodibit centesimæ decimæ qvartæ Olympiadis annus primus, qvi est ipsissimus annus mortis Alexandri Magni. Sic enim scribit Josephus, lib. I contra Appionem, τὸν Ἀλέξανδρον τεθνάναι πάντες ὁμολογοῦσιν ἐπὶ τῆς ἑκατοστῆς τέσσαρες καὶ δεκάτης Ὀλυμπιάδος. Accedit Diodorus, lib. XVII. scribens, primô annô Olympiadis 114. Alexandrum ex ebrietate gravissimum contraxisse morbum, eóqve 12. imperii annô, mense septimô fuisse consumptum. Duodecimô annô à morte Alexandri incipit æra Seleucidarum, sicut refert Eusebius, lib. VIII. ἀποδείξ. Euangelicæ. Et Josephus, lib. XII. ἀρχαιολ. c. VII. & XIV. claré asserit, à regno Seleuci in Asia, annos in libris Maccabæorum computandos. Annô autem Olympiadis 117. primô, vicit Seleucus cum Ptolemæo Demetrium circa Gazam, prout memorat Diodorus Siculus, lib. XIX. qvi est annus post mortem Alexandri duodecimus: Ac paullò pôst Babyloniam, Mediam & Susianam occupavit, qvas annô seqventi, ut cognovit, Alexandrum Magni filium à Cassandro esse occisum, tamqvàm regnum sibi proprium vindicavit, id ipsum facientibus reliqvis Alexandri ducibus. Atqve sic annus à morte Alexandri duodecimus æræ Græcorum, qvam libri Maccabæorum & alii scriptores seqvuntur, primus.

Ab anno Græcorum centesimo qvadragesimo sexto, qvô Judas Maccabæus principatum Judæorum consecutus est, usqve ad regnum Herodis decretum datúmqve à Senatu Romano, sunt anni 126. ideóqve perspicuè scribit Josephus, lib. XIV. ἀρχαιολ. c. ultimô, Assamonæi principatum seu Maccabæorum durâsse 126. annos. Qvos etsi velis incipere ab anno regni Seleucidarum centesimo qvin-

qvinqvagesimô, & extendere usqve ad mortem Antigoni, & expugnationem Ierosolymæ, factam Herodis annô tertiô, perinde erit, prodibítqve idem annorum numerus. Nam annô Seleucidarum 150. concessit Antiochus Eupator Judæ Maccabæo suum principatum, & cùm posteà resiliret à fœdere, occisus est, 1. Macc. VI. 20. 60. & c. VII. 4. Addantur ergò 86. annis, qvi elapsi fuerant ab initio hujus periodi sexaginta duarum hebdomadum, usqve ad mortem Alexandri, primò undecim, deinde regni Græcorum 149. anni integri, & erit summa annorum 246. Iterum ad annos 246. adde totum spatium imperii Maccabæorum, qvod rectè ait Josephus esse annorum 126. usqve ad primum Herodis, qvô expugnatâ Ierosolymâ & occisô Antigonô, plenam adiit regni administrationem, & inveniuntur anni trecenti septuaginta duo, inclusô annô primô Herodis, qvi erat principatus Maccabæorum centesimus vigesimus sextus. Jam Herodes imperavit post interfectum Antigonum annos 34 teste eôdem Josephô, lib. 1. de bello Jud. c. XXI. & sub initium anni trigesimi qvarti natus est Christus, ut anteà dictum. Ergò remanent addendi Herodis anni 32. & Christi triginta, & emergit eadem summa annorum, qvæ fuit anteà, nimirum 434. Atqve hæc esto altera demonstratio.

Tertiam capio ex Julio Africano, qvi circa annum Domini 220 floruit inter Doctores Christianos, & Olympionicas scripsit, ac proinde in Græcorum Chronologia fuit versatissimus. Ejus ipsissima verba recitat Hieronymus in c. IX. Danielis, qvibus ab anno Artaxerxis vicesimo inchoandas docet LXX. Danielis hebdomadas, & finiendas in passione Christi; sed eâ ratione, ut anni lunares pro solaribus accipiantur, qvi sunt brevio-

res

res solaribus diebus undecim cum qvadrante. Itáqve tota illa periodus annorum 490. lunarium, fatente ipsomet Africanô, superat solares nostros annis plus minus qvindecim. Jam confer nostram & Africani supputationem. Ille incipit ab anno Artaxerxis vicesimo; nos ab anno ejusdem septimo. Distantia est annorum tredecim. At nostri anni sunt solares, (illis enim semper utitur scriptura, ac proinde etiam hôc locô Daniel) illius anni sunt lunares. Nostri finiuntur annô tertiô post mortem Christi, Africani periodus in ipsa morte Christi. Adde ergo tres annos tredecim illis, qvibus distamus in principio, & sic uterqve computus, ad unicum usqve annum, sibi amicissimè convenit. Qvòd autem idem Africanus mortem Christi statuit annô Tiberii 15. id cum historia Euangelica neutiqvàm convenit, prout dicetur paullò posteà. Qvin & in uno illo anno, qvô discrepat Africani computus à nostro, lapsus ipsius, non noster est. Nam ipse ab Olympiadis octogesimæ tertiæ anno qvarto, usqve ad Olympiadis ducentesimæ secundæ annum secundum, numerat annos 475. qvi sunt utiqve tantùm 474. & sic additi sedecim constituunt numerum annorum 490.

Subjungo probationem qvartam, ex annis Regum Ægyptiacorum, qvos annotat Clemens Alexandrinus, lib. 1. stromat. p. 143. editionis Commelini. Nam suprà dictum est, usqve ad obitum Alexandri Magni elapsos esse ab anno 15. Darii Nothi (qvem alii etiam vocant Darium Ochum) annos 86.

Illis addantur anni Regum Ægyptiacorum, usqve ad victoriam Actiacam Augusti, postqvàm Antonius & Cleopatra mortem sibi consciverunt,

& colligentur regni Græcorum in Ægypto anni 205: hôc ordine.
Ptolemæus Lagi regnavit annos, 40. Ptolemæus Philadelphus, 27. Ptolem. Euergetes, 25. Ptol. Philopater, 17. Ptol. Epiphanes, 24. Ptolem. Philometer, 35. Ptol. Physcon, 29. Ptol. Lathurus, 36. Ptolem. Dionysius, 29. Cleopatra, 22. Summa, anni 284.

Idem Clemens locô citatô scribit, natum esse Salvatorem annô Augusti Cæsaris 28. scilicet postqvàm solus post devictum Antonium imperavit, qvi 28. si addantur annis 86. & 284. fiunt anni 398. Tribuit autem idem Clemens Alexandro M. octodecim annos, computans utiqve sexennium, qvod elapsum post mortem ejus sub principatu fratris Aridæi, & abinde incipiens annos Ptolemæorum. Fiunt ergo anni 404. Qvibus adjecti triginta Salvatoris, cùm baptizaretur, conficiuntur anni 434. qvos oportebat demonstrare. Similiter Julius Africanus regnum Macedonum facit annorum 300. qvod ferè convenit cum numeris Regum Ægyptiacorum apud Clementem Alexandrinum, si illis adjiciantur duodecim Alexandri, & sex anni Arridæi fratris ipsius. Nam octodecim anni, qvos Clemens tribuit Alexandro Magno (constat autem apud omnes alios, qvòd duodecim tantùm annos regnârit.) additi reliqvis 284. qvos adscribit Regibus Ægyptiis, exsurgunt anni trecenti duo. Eumdem numerum tribuit regno Macedonum Hieronymus, comment. in c. IX. Danielis, & Hippolytus apud eumdem.

Qvintam probationem hujus æræ suppeditat numerus annorum regni Persici, iterum collatus & conjunctus cum annis regni Macedonici & Maccabæorum. Nam Africanus, Eusebius, Hieronymus, & alii autores consentiunt, regnum Persicum ab

ab initio Cyri ſtetiſſe annos 230. Qvi etiam ſecundùm computum noſtrum colliguntur expeditiſſimè.

Cyrus enim regnavit ferè annos 30. Cambyſes & Magus illius ſucceſſor, annos 8. Darius Hyſtaſpis, 36. Xerxes, 21. Artaxerxes Longimanus, 40. Darius Nothus vel Ochus annumeratis Xerxis & Sogdiani menſibus, 20. Artaxerxes Mnemon, annos 43. Artaxerxes Ochus, 23. Arſes vel Narſes, 3. Darius Codomannus, 9.

Summa, anni 230.

Suffragatur & Strabo Geographus, qvi lib. xv. ſcribit, imperium Perſicum totiúſqve Aſiæ, donec divulſum eſt per ſucceſſores Alexandri, (id qvod factum Aridæô interfectô) duráſſe circiter 250. annos. Deſunt enim duntaxat duo. Ideoqve ait: συνέμεινεν ἡ ἡγεμονία τῆς Ἀσίας ὅσον πεντήκοντα ἐπὶ τοῖς διακοσίοις ἔτη. Significans plus minus 250. annos duráſſe, priusqvàm diſſolveretur, Aſiæ imperium. Sic ergo ſtabiliuntur numeri annorum Regibus Perſicis tributorum.

Jam porrò Joſephus, lib. xv. ἀρχαιολ. c. VIII. & lib. I. de bello Judaico, c. v. & poſt eum Euſebius, lib. VIII. demonſt. Euang. ſcribunt, captam eſſe à Pompejo Jeroſolymam, annô primô 179. Olympiados. Cœpit autem hæc æra noſtra 92. Olympiadis annô qvartô. Eſt igitur intervallum integrarum Olympiadum 86. qvæ conſtituunt annos 344. Anteceſſit autem illa Jeroſolymæ expugnatio Pompejana alteram illam Herodianam; annis 27. prout iterum obſervavit Joſephus, lib. XIV. Antiq. c. XXVIII. Dominatio abinde Herodis uſqve ad natalem Salvatoris eſt annorum 33. Nam 34. ineunte Chriſtus natus eſt. Addendi ergo ſunt 27. illis, anni Herodis 33. & conficiuntur

ciuntur sexaginta. Qvi iterum adjecti Olympiadibus 86. seu annis 344. producunt 404. Misceantur 30. anni ætatis Christi & completur annus 434. qvem inqvisivimus.

Constat igitur ex hac probatione qvintuplici, incidere natalem Christi in annum Herodis 34. ineuntem, si annos ejus numeres ab expugnata Ierosolyma. Et in principium anni 37. si à Senatus consulto Romano. Proinde à consulatu M. Agrippæ & L. Caninii Galli, qvi est trigesimus qvartus ante Christi natalem, si retro numeres fastos consulares, invenies septennium usqve ad initium Augusti, qvod incidit in consulatum C. Pansæ & A. Hirtii. Ac propterea rectè traditum à veteribus est, natum esse JEsum Christum Cajô Lentulô & M. Messalâ Coss. annô Imperii Aug. si à morte Cæsaris illud numeres 41. Si à victoria Actiaca 28.

Confirmant idipsum anni Tiberii & Augusti, si eos à trigesimo Christi anno supputes. Lucas enim Euangelista annum 15. Tiberii facit Christi tricesimum completum. Si ergò Tiberii decimus qvintus est Christi tricesimus, seqvitur primum Tiberii esse Christi decimum sextum. Regnavit autem Augustus in universum annos 57. ut scribit Josephus. Detrahe annos sedecim, & remanebunt 41. Ideóqve adeptus es annum Augusti qvadragesimum primum, qvô salus terris orta est.

Sextò confirmat calculum nostrum Hieronymus, locô commentarii in c. ix. Danielis citatô. Ibi enim refutans Clementis Alexandrini supputationem, qvi à Cyro usqve ad Titum Imp. septuaginta hebdomades dicit esse completas, subdit juxta diligentissimam supputationem à primo anno Cyri

Re-

Regis Perſarum uſqve ad Veſpaſianum & everſionem Templi, inveniri annos ſexcentos triginta. Id planè convenit cum iis, qvæ anteà ex aliis Autoribus claſſicis & probatis diſſeruimus. Sunt enim anni Regni Perſici ab initio Cyri 230. Regni Macedonum trecenti uſqve ad victoriam Auguſti de Cleopatra. Annô vigeſimô octavô poſt illam victoriam natus eſt Chriſtus. A nato Chriſto uſqve ad everſionem Templi ſunt anni 72. Collecti in unum hi anni, efficiunt juxta Hieronymi ſupputationem, qvam vocat diligentiſſimam, annos 630.

Verumtamen hîc obſervanda ſunt duo Primum communi veterum errore ad primum Cyri annum, qvô Rex Perſarum factus eſt, referri expugnationem Babylonis, eò qvòd Eſra annô Cyri primô dimiſſos ait Judæos, qvod niſi expugnatâ Babylone fieri haud potuit, Atqve in eadem ſententia fuerunt fortè Judæi, qvum dicerent Templum 46. annis ædificatum, Joh. II. 20. Nam ſciebant Cyrum triginta annos regnâſſe, qvibus additi octo Cambyſis & ſex Darii conficiunt 44. Abſólverat autem deinde Herodes renovationem interioris Templi ſeſqviannô, tradente Joſephô, lib. xv. Antiq. c. xiv. Sic igitur Judæi pro grandiloqventia ſua omnia in immenſum extollentes, jactanter, ſed falſò dicebant, Templum 46. annis eſſe exſtructum. Contrà verò certum eſt ex hiſtoriis, Cyrum haud qvaqvàm primô annô regni Perſici Babylone potitum, multò minus omnibus regnis terræ, ideóqve aliam eſſe annorum Cyri rationem apud Eſram, qvàm apud profanos hiſtoriographos.

Secundò aberrare Hieronymum cum Clemente, dum ſexennium illud Alexandri, qvod elapſum eſt in ſubigenda Aſia & ſuperando Dario, & ducen-

tis triginta annis Regni Persici includitur, iterum numerant in annis Regni Macedonici: Nam id seorsim qvidem fieri potest, & rectè dici, qvod regnum Macedonicum duraverit annos 300. verum si jam ante regno Persico 230. attribueris, in accurata & plena Chronologia, non repetendum est idem sexennium, sed semel duntaxat numerandum, prout qvivis intelligit. Similia crebrò occurrunt apud historiographos, Chronographos & Geographos, qvibus facilimè etiam alii seducuntur, Animadvertit hosce Chronographiæ lapsus Origenes, præsertim in Clemente Alexandrino, præceptore suo, & aliis prædecessoribus, ideoqve in decimo stromatum volumine, cùm proposuisset hic Danielis capitulum, breviter dixit: Studiosiùs reqvirenda sunt tempora à primo anno Darii, filii Assueri, usqve ad adventum Christi, qvot anni sint, & qvæ in illis gesta dicantur: & videndum est, an ea possimus adventui Domini adaptare. Hæc Origenes, qvem æmulatus Hieronymus, tanti hanc qvæstionem fecit, ut maluerit eam in medio relinqvere, qvàm de magistrorum Ecclesiæ sententiis judicare.

Septimam probationem peto ex Appiano Alexandrino, qvi in Syriacis narrat, à Seleuco usqve ad devictum Antiochum ultimum, qvando Pompejus Syriam Romanis subjecit, & Tigranem Syriâ superiori & Ciliciâ spoliatum, solâ Armeniâ contentum vivere coëgit, fluxisse annos 270.

Ponamus nunc annorum numerum ab initio æræ Græcorum seu Seleucidarum in Asia, & finiamus in occupata Syria per Magnum Pompejum. Addamus annos 86. à 15. anno Darii Nothii ad mortem Alexandri. Deinde alteros duodecim à morte Alexandri usqve ad principium regni Seleucidarum,

sicut

ſicut ſuperiùs edocti ſumus. Fiunt anni 368. Addatur qvadriennium elapſum à ſuperato Antiocho Tigrane uſqve ad expugnationem Ieroſolymæ: & deinde à capta Ieroſolyma per Pompejum, donec ſecundò capta eſt ab Herode 27. anni integri, inde 34. Herodis, donec natus eſt Chriſtus; prodit ſumma annorum 65. qvi juncti reliqvis 368. conficiunt annos 433. Deeſt annus unus, qvi numero Appiani adjiciendus eſt, & ſic ſunt anni 434. qvos inqvirimus.

Atqve hiſce ſeptem probationibus contenti, progredimur ad *tertiam partem hujus Epochæ*, qvæ annorum ſeptem eſt, & in duo ſemiqvadriennia à Propheta Daniele dividitur.

Prioris ſemiqvadriennii principium ſtatuit in ducatu Chriſti, ſcilicet qvando publicè declaratus eſt Dux & Princeps populi Dei, & unctus plenitudine Spiritus S. Id qvod factum ad Jordanem, cùm baptizaretur à Johanne, & Spiritus S. ſuper ipſum deſcenderet in ſpecie columbæ, ac Pater de cælo teſtaretur: Hic eſt Filius meus dilectus, in qvo mihi complacitum eſt. Qvâ voce auditâ, viſóqve Spiritu S. clarè prædicavit paſſim Baptiſta, Jeſum eſſe Meſſiam, jam in medio populi verſantem, atqve illi viam eſſe præparandam.

Confirmavit abinde multis pactum Dominus, docendo propriâ voce in Synagogis Judaicis & miraculis ſe Dei filium ac Meſſiam comprobando. Verùm in medio hebdomadis, qvum per triennium & ſemeſtre Ducem ſe præbuiſſet, morte ſuâ finem impoſuit hoſtiis & ſacrificio, clamans in cruce, conſummatum eſt, & velum ipſum Templi diſrumpens, ut conſtaret, jam patefactam eſſe viam in ſancta, nec opus eſſe ullis amplius ſacrificiis.

Alterius Semiqvadriennii principium eſt in abro-

gatione hoſtiæ & ſacrificii, per crucem & reſurrectionem Chriſti facta, finis verò in abdicatione gentis Judaicæ & translatione Euangelii ad Ethnicos. Nam ſicut priori ſemiqvadrienniô Chriſtus in propria perſona Judæos docuerat, ſic poſteriori per Apoſtolos ſuos & alios Doctores itidem ſolis Judæis pactum paternum confirmavit. Verùm cùm illi repudiarent iſtud, & ſacrificiis ſuis irrationalibus inhærerent, occiſis inſuper Stephanô & aliis Chriſtianis, monſtravit Chriſtus Petro per viſionem, ad gentes transferendum eſſe regnum ſuum, Act. x. 11. 12. ſ. Et Paulum ſingulari miraculô converſum emiſit, ut gentibus annunciaret Euangelium regni Dei.

Imò, qvod Daniel dicit de abominatione deſolationis in templo futura, poſt ſeptimanam illam Chriſti ultimam, id Euſebius ſcribit primò per Pilatum, & deinde Cajum Cæſarem eſſe inchoatum. Cœpit autem imperare Cajus qvartô poſt adſcenſionem Chriſti annô, in ipſo fine ultimæ hebdomadis, & contentiſſimè ac ſeveriſſimè mandavit, imaginem ſuam in Templo dedicari. Adſcribam verba Euſebii, lib. VIII. demonſt. Euang. c. II. qvibus expoſitionem noſtram adſtruit. In unius hebdomadis dimidio, (inqvit) in qva teſtamentum multis confirmavit, poſt trium annorum tempus & dimidium doctrinæ illius, qvô tempore patiebatur, velum Templi ſciſſum eſt à ſummo uſqve deorſum, ut exinde jam vi qvâdam ſublata fuerit ab eis libatio & ſacrificium & abominatio deſolationis in templo ſederit. Poſteà adductis teſtimoniis operum & verborum Domini oſtendit ſacrificium & hoſtiam viguiſſe uſqve ad paſſionem. Et addit; Qvando ea qvæ Novi Teſtamenti ſunt, confirmavit mortis ſuæ myſteriô Chri-

ſtus

ſtus, ſolutum eſt ſacrificium & libatio. Deinde ex Joſepho; lib. XVIII. c. v. & XI. & Philone citat, Pilatum Regias imagines noctu in templo dicâſſe, initiúmqve ſeditionum & calamitatum exinde Judæis accidiſſe. Nec deſierunt poſthàc, qvæ perverſam gentem, ejuſqve principem civitatem invaderent omnis generis mala, uſqve ad ultimum illud, qvod contra eos geſtum eſt bellum & extremam obſidionem, in qva omnis generis internecionibus & famis & peſtilentiæ & gladii, qvum pernicies adverſus eos diluvii inſtar conflueret, omnes, qvi adverſus Salvatorem noſtrum conſpiraverant, cujuscúmqve eſſent ætatis, occiſi ſunt. Hactenus Euſebius. Qvod autem Joſephum attinet, de Pilato aſſerit qvidem, eum imaginem Cæſaris in ſanctam urbem noctu intuliſſe & erexiſſe. De Cajo autem, qvòd ſuam ſtatuam dicari juſſerit, inductô etiam ob id magnô exercitu in Judæam: veruntamen qvòd impedita ſit dedicatio Judæorum obſtinatione, qvi perire maluerint, qvàm illud pati, Philonis verba recitat, lib. II. Hiſt. Eccleſ. c. VI. hôc modo: Multa erat in Cajo ingenii pravitas, qvâ erga omnes homines, tum præcipuè erga Judæorum gentem ferebatur, & ſpeciali qvâdam ſævitiâ loca eorum, qvæ divinis habent ſupplicationibus conſecrata, incipiens ab Alexandria, diripi, & contra Religionem, moremqve gentis profanari jubet, ſtatuis ſuis & ſignis ea atqve imaginibus replens. Templum qvoqve ſanctæ civitatis, qvod ſolum manebat totius profanæ contagionis intactum, & à majoribus perduraverat aſylum commutare in templum proprii nominis auſus eſt, ut ædes Jovis nobiliſſimi novi Dei Caji vocaretur. Hæc ille, qvibus ſubjungit Euſebius, clades ab eo tempore Judæis continuatas eſſe, nec

unqvàm bella mortésqve cessâsse usqveqvo ultimum & exitiabile malum temporibus Vespasiani eos obsidionis inclusit.

Tantum etiam de hac Epocha annorum 490. Cui si demas 37. qvi effluxerunt à nato Christo, usqve ad hebdomadum harum propheticarum exitum, relinqvuntur anni 453. Additi hi annis Epocharum præcedentium, producunt annum mundi 4005. qvô Christus ex virgine natus, & tanqvàm salutaris sol justitiæ terris ortus est.

F I N I S.



IV.

IV.

Σὺν Θεῷ παλάμῃ
Διάσκεψις
de

VITA CHRISTI,

Ad complendas ſocias diſputationes
Pl. Reverendæ & Ampl. Facultatis
Theologicæ juſſu adornata,

Et

*Pro conſeqvenda Licentia gradum Doctoris
in hoc ſtudio Theologico aſſumendi*,

Publicæ diſqviſitioni ſubjecta

â

M. HIERONYMO KROMAYERO,

S. S. Th. Baccalaureo, Phil. Fac. Aſſeſſore,
& Profeſſore Hiſt. publico.

*Ad diem V. & VI. Novemb.
Annô M. DC. XLV.*

VIRO

Admodùm Reverendo, Amplissimo, & Excellentissimo

Dn. ERHARTO LAUTER-BACHIO,

S. S. Th. Doctori Seniori celeberrimo, Præsulatus Numburgo-Cizensis ultra 40. annos Superintendenti meritissimo, nec non Consistorii, qvod ibidem est, Assessori gravissimo,

Dn. Propatri, Susceptori & Patrono suo filialis observantiæ cultu ætatèm proseqvendo,

Hanc διάσκεψιν

εἰς τεκμήριον *gratitudinis*

libat & consecrat

AUTOR



DE VITA CHRISTI DISPUTATIO.

§. I. DE vita CRISTI, præmissis qvæ de unione personali duarum naturarum & officio ejusdem tractant, ὡς ἐν συνόψει acturi, melioris εὐταξίας ἕνεκα totum istud vitæ curriculum, qvantum qvidem ad dies carnis, & controversiæ aliqvid in se continet, in tria τμήματα, ingressum scilicet, progressum & egressum dividimus. Faxit DEUS, ut fiat FELICITER.

ΤΜΗΜΑ I.

§. II. Qvamtumvis autem variis circumstantiis actiones & passiones hominum, adeóqve Salvatoris nostri γένεσις, vestiri soleant, qvatuor tamen potissimùm ab Historicis inprimis observanda; τὸ χρονικὸν, τοπικὸν, γενεαλογικὸν & προσωπικὸν sub examinis obrussam hàc vice vocabimus.

§. III. Τὸ χρονικὸν qvod concernit, non statim post Protoplastorum lapsum, sicuti πρωτομήτηρ primogenitum suum enitens persvasum sibi habebat,

Gen.

Gen. IV. 1. ſed in noviſſimis demum diebus poſt decurſum tot ſeculorum, imò millenariorum ὁ λόγος in carnem venire voluit. Hebr. I. 1.

§. IV. Hinc regula traditur à Theologis: Ubi de noviſſimis diebus in vaticiniis Propheticis legitur, id de Meſſiæ temporibus intelligendum. Qvæ regula multis locis Vet. & N. Teſt. collatis, Eſa. II. 2. Mich. IV. 1. Joël. II. 28. Act. II. 17. Hebr. I. 1. ſtabilitur.

§. V. Hinc עולם periodicum in locis V. Teſt. non paucis ad inſignem iſtum terminum, plenitudinem ſcil. temporis, in qva exhibendus Meſſias Gal. IV. 4. venit reſtringendum.

§. VI. Qvòd autem non ſtatim poſt promulgatum πρωτευαγγέλιον, ſed demum in noviſſimis temporibus Meſſias fuerit exhibendus, à priori cauſſas ſcimus nullas, ſed voluntatem facientis totam facti rationem putamus, à poſteriori tamen redduntur à nonnullis, ut exſpectata diu ſtaret gratia, & Judæi legis ceremonialis jugô preſſi (qvod ſi non fuit onus ἀβάστακτον, ut lex moralis, Act. XV. 10. fuit tamen δυσβάστακτον, Matth. XXIII. 4.) eò anxiùs Meſſiam anhelarent.

§. VII. Circa nativitatis annum Chronologi variis modis inter ſe ſcinduntur, partim in exceſſu, partim in defectu à regia veritatis via exorbitantes.

§. VIII. In exceſſu peccant Eccleſiæ Orientales (qvarum reliqviæ gemunt hodiè ſub jugo Turcico, exceptis Moſcoviticis traducem religionis Græcæ ſervantibus.) Interpp. LXX. ſecutæ calculum juſtô majorem ad qvintum uſqve millenarium ſe porrigentem ponentes.†

§. IX. Illi ſiqvidem LXX. Interpp. ætates Patriarcharum & ante-& poſt-diluvianorum aliqvot annorum centuriis augent, v. g. qvando in fontibus

† Vide Faſcem noſtrum II. n. II. Senar. II. §. III. p. 47. ſ.

tibus Adam dicitur genuisse Sethum, cùm esset annorum 130. Interpp. isti ponunt annos 230. & ita conseqventer.

§. X. In defectu peccant Rabbini numerum justô minorem, tum propter historiæ Persicæ & Græcæ ignorantiam (hinc enim precariò desumenda in qvibus historia sacra deficit) tum propter Christianæ religionis odium, ut terminos nobis faciant incertos, assumentes.

§. XI. Licèt autem non pauci magni nominis Viri annum nativitatis CHRISTI à condito mundo velint 3963. cur tamen in re qvæstionis, non fidei, parumper deficiamus, annorum serie ab ipsa Scriptura, paucis exceptis, suppeditatâ movemur seqvente.

§. XII. A creatione mundi ad finem diluvii; computatis & collatis Patriarcharum annis, numerantur anni 1657. Genes. VII. 11. à vocatione Abrahami usqve ad exitum Israëlitarum ex Ægypto 430. Ex. XII. 40. ab exitu ex Ægypto usqve ad ædificationem templi primi 480. 1. Reg. VI. 1. & 1. Reg. XI. 42. ab ædificatione templi primi usqve ad mortem Salomonis 37. 1. Reg. VI. 1. & 1. Reg. XI. 42. collatis, à morte Salomonis usqve ad excidium templi primi 390. Ezech. IV. 5. qvi anni dicuntur iniqvitatis, & inchoantur à tempore μοσχολατρείας Jeroboamicæ.

§. XIII. Ab excidio templi primi; subtractis x. annis, cùm à captivitate Jechoniæ potiùs faciendum sit computationis initium Jerem. XXIV. 5. ad finem captivitatis Babylonicæ 70. anni Jerem. XXIX. 10. à fine captivitatis ad initium 70. septimanarum, qvæ inchoantur annô secundô Darii Nothi 108. ab initio 70. septimanarum, usqve ad finem illarum 490. anni, qvorum terminus (licèt hîc πολυκεφαλίαν non parvam deprehendas)

excidium populi Judaici & urbis sanctæ, Dan. IX. 24.

§. XIV. Subtractis itáqve 70. annis à nato Christo usqve ad destructionem Urbis & templi secundi (& annis Christi & ad pœnitentiam concessis in unam summam conjectis) exsurgent inde 3949. anni ὅπερ ἔδει ὑπεραποδεῖξαι.

§. XV. Ita non minus circa mensem nativitatis Dominicæ sententiarum divortia reperire licet. Inolevit qvidem vetus opinio (cujus vestigia reperire licet etiam in confessione Æthiopicarum Ecclesiarum superiore seculô in Lusitania exhibita, qvæ nobis in non paucis castrata videtur) Christum 25. Decembris natum esse, qvô die natalis Salvatoris per aliqvot seculorum lapsum hûc usqve celebratur in Ecclesia. Sed si rationes qværas, non sunt tanti, ut omnes arietes diversum sentientium sustinere qveant.

XVI. Qvod enim affertur ex Lucæ c. I. de conceptione Johannis Baptistæ (unde ad ipsam Salvatoris nativitatem collectio facilis, cùm dicente Angelô, Lucæ I. 36. Elisabetha circa tempus conceptionis Messiæ 6. menses uterum gesserit) illam factam esse mense Octobri, propterea qvòd Pontifex Maximus apud Judæos solus & semel tantùm in anno sanctum sanctorum ingressus sit, idqve in festo expiationis mensis septimi (ab initio anni Ecclesiastici factô computationis terminô) die 10. Lev. XVI. 29. idipsum ex visceribus textus everti nullo negotiô potest.

§. XVII. Angelus qvippe non in sancto sanctorum, sed extra illud apparuit Zachariæ. Siqvidem altare thymiamatis, ad cujus dextram Angelus stetit Lucæ I. 11. fuit extra velum, Ex. XXX. 6. nec Zacharias fuit Pontifex summus, sed unus ex 24. ordi-

ordinibus à Davide inſtitutis, & qvidem ex ordine octavo Abiæ, 1. Chron. xxv. 19. qvi ſuam habuit ephemeriam; Lucæ 1. 9. qvæ omnia in ſummum Pontificem non qvadrant.

§. XVIII. Alii, qvi funem ducunt inter Chronologos citeriores, nativitatis menſem volunt eſſe Septembrem, rationes depromentes partim ex ordine Sacerdotalium functionum, 1. Chron. xxv. 19. Luc. 1. 8. & 9. à temporibus Maccabeorum poſt inſtauratum cultum divinum non interrupto, partim ex verbis, Johan. c. 1. 14. qvòd verbum caro factum ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν i. e. habitavit nobiscum in tabernaculis (qvâ ratione feſtum nativitatis tertio Judæorum feſto, qvod tabernaculorum erat, qvantum ad tempus correſpondebit) partim ex eo, qvòd Paſtores noctu excubias ſuper gregem ſuum agere potuerint. Luc. 11. 8.

§. XIX. Reponunt qvidem nonnulli, Palæſtinam ad zonam torridam propiùs acceſiſſe, qvàm regiones noſtræ Septentrionales, ſed tanti non eſt; cùm etiam circa æqvinoctium vernum adverſus injurias frigoris focum inſtruere coacti fuerint, docente id paſſionis hiſtoriâ, Joh. xviii. 18.

§. XX. Rem totam συνοπτικῶς comprehendamus, qvantum qvidem nobis videtur. Cùm in prioribus à nato Chriſto ſeculis tantùm feſtum Paſchatos & Pentecoſtes, qvibus aſſveverant, à primitivæ Eccleſiæ Chriſtianis ex Chriſtiana libertate celebrarentur, tandem adhuc ante tempora Chryſoſtomi & Auguſtini, qvi vixerunt circa decurrentem qvartam & excurrentem qvintam centuriam, feſtum nativitatis Chriſti ex συγκαταβάσει, ut cenſet Caſaubonus, Chriſtianorum cum Ethnicis acceſſit.

§. XXI. Ut enim Chriſtiani Ethnicorum feſta, qvibus inhærebant tenaciſſimè, faciliùs abro-

garent, festum Johannis Baptistæ (qvæ sententia est jam nominati Autoris nunqvàm satis laudati) locô festi Ethnici circa Solstitium æstivum instituerunt, qvod tanqvàm catenæ initium suas ansulas festum conceptionis & nativitatis Christi post se traxit.

§. XXII. Si enim de conceptione Johannis Baptistæ constaret exactè, de conceptione Salvatoris & ejusdem nativitate, facem hîc prælucente nobis Scripturâ, Lucæ 1. 36. qvæ spacium semestre inter Johannis & Christi conceptionem interjicit, res esset in propatulo.

§. XXIII. Qvidqvid sit: Licèt de tempore nativitatis non constet exactè (prout vetustiores Ecclesiæ Doctores parum de eodem fuêre solliciti, si respiciamus controversias de Paschatis, & conseqventer etiam Pentecostes tempore statim in secundo seculo inter Ecclesias Orientales & Occidentales motas, & demum in Concilio primo Oecumenico Niceno sopitas) devotioni tamen nostræ nihil decedit, cùm ultra 1000. annos die 25. à tot Ecclesiis uno qvasi ore & corde pro tanto beneficio Domino DEO nostro suum *Grâtes nunc omnes* accinentibus, huc usqve celebretur.

§. XXIV. Incidit autem nativitas Salvatoris in tempus à Patriarcha Jacobo c. XLIX. 10. prædictum, qvô sceptrum de Juda sublatum, & Palæstina sub jugum Romanorum erat redacta, fatentibus ipsis Judæis: Nullum habemus Regem nisi Cæsarem (θεοκρατείας non ampliùs habitâ ratione) Joh. XIX. 15. & c. XVIII. 31. Nobis non licet interficere qvemqavm, jus vitæ & necis in sontes amissum esse in mensa qvasi Solis exponentes.

§. XXV. Qvamqvàm autem sub captivitate Babylo-

bylonica qvoqve ſceptrum deperditum videatur, diſtingvendum tamen inter ſceptri alicujus inclinationem & totalem ablationem, cùm in ipſa captivitate Judæi ſuos adhuc αἰχμαλωτάρχας ex conſangvineis retinuerint, & paullò poſt ex Davidis familia, & qvidem Nathanis linea Duces ſalutaverit, donec tandem qvidqvid adhuc majeſtis ſuperfuerit, in Synedrio magno, ſtricturis admodùm parvis, emicuerit.

§. XXVI. Ex qva temporis circumſtantia Judæos modernos, feces potiùs & qvisqvilias Judæorum, Meſſiam jamdudum veniſſe convincimus, ipſóſqve in ſuo exilio interminabili vivos apices adventum Meſſiæ nobis ob oculos pingentes agnoſcimus. Qvod ipſum ſi non verbis, at factis, tot Pſeudo-Meſſias aſſumentes (utut res peſſime ceciderit) in totius Orbis qvaſi theatro faſſi ſunt.

§. XXVII. Circa τοπικὸν res nihil habet difficultatis, cùm fuerit vicus Bethlehem à Propheta Michea, c. v. 1. jam diu prædictus: Et tu, Bethlehem, terra Juda, neqvaqvàm es minima inter Principes Juda: ex te enim proditurus eſt mihi Dux, qvi gubernaturus eſt populum meum Iſraël, prout à Pontificibus & Scribis, verbis paullulùm mutatis, vaticinium hoc citatur, Matth. II. 6.

§. XXVIII. Vaticinio eventum correſpondiſſe, Matthæus, c. II. 1. Lucas, c. II. 4. 5. & 6. teſtatur, imò infantes Bethlehemitici, primi martyrum flores & gemmulæ, ſangvine ſuô recens nato concivi genethliacum ſcriptum offerentes, & leſſus aviæ Rahelis in via Bethlehemitica ſepultæ, longè latéqve circumſonans, fidem nobis faciunt prolixam, Jer. XXXI. 15. Matth. II. 16. 18. & 19.

§. XXIX. Vocatur hic locus ab Euangelista, Luca II. 4. & ab Angelo v. 11. civitas David, propterea qvòd Rex David, ex cujus lumbis prodiit Salvator, Act. II. 31. Bethlehemi lucem adspexerit, 1. Samuel. XVI. 4. Et dubio procul sitis fontium sub portis Bethlehemiticis, qvâ David adurebatur, desiderium Messiæ, veræ istius aqvæ vivæ, complectebatur. 2. Sam. XXIII. 15.

§. XXX. Imò propter nativitatem Salvatoris ex hoc loco Judæi toties ex præsentissimis periculis erepti, Esa. VII. 14. & ex captivitate Babylonica reduces terræ patriæ fuerunt restituti.

§. XXXI. Nazarenus qvidem passim vocatur in historia Euangelica, Matth. II. 23. Joh. I. 46. & 47. ubi proverbium: Numqvid ex Nazareth aliqvid boni? Et in titulo crucis: JEsus Nazarenus Rex Judæorum, Joh. XIX. 19. sed locus conceptionis & educationis à loco nativitatis distingvendus.

§. XXXII. Qvantumvis sint, qvi locum, Matth. II. 23. de desponsato DEO intelligant, qvasi citetur dictum, Jud. XIII. 5. Desponsatus erit DEO ex utero matris, & sub typo ad Christum antitypum accommodetur, tamen cùm aliud sit Nasaræus, & aliud Nazarenus, & Euangelista expressè ad locum educationis digitum intendat, potiùs ad c. Esa. XI. 1. respectum haberi dicimus.

§. XXXIII. Liberaliter qvidem aliàs damus, JESUM Christum Salvatorem nostrum & Nasaræum propter votum istud magnum de redimendo humano genere, & Nazarenum propter locum conceptionis & educationis, ortúmqve vilissimum ex arefacta radice Isai vocari posse, sed

ſed qvænam explicatio ſit hujus loci, Matth. II. 23. ſaltem qværitur.

§. XXXIV. Ex hac circumſtantia contra eoſdem JESU noſtri juratos hoſtes Judæos, ἀναντιῤῥήτως concludimus, Meſſiam jam dudum eſſe exhibitum, cùm locus nativitati à Prophetis deſtinatus jamdudum ſit devaſtatus, & tota Palæſtina, qvæ priùs Romanorum dicto erat audiens, jugo Turcico jam pridem ſuccollaverit.

§. XXXV. Τὸ γενεαλογικὸν Euangeliſtarum duo Matthæus & Lucas, ut promiſſiones Patribus diverſis temporibus factas actu impletas oſtenderent, ordine tamen inverſô texunt. Et hunc ſcopum fuiſſe Moyſis in exaranda Geneſi, ut præmiſſis διὰ βραχέων Patribus, ex qvibus Chriſtus directâ lineâ deſcendit, ſtatim ad ipſas promiſſiones acceſſum faceret, iiſqve trepidantes Iſraëlitas erigeret, Theologi qvidam ſolertiſſimi tradunt.

XXXVI. Nobiliorem hâc genealogiâ hiſtoriarum monumenta non ſuppeditant. Utut enim habeamus Imperatorum & Regum exqviſitô ſtudiô conſcriptas genealogias, (qvas inter propter legem Salicam Regum Galliæ Merivigna, Carolivigna & Capivigna inprimis eminent) tamen ad aliqvot ſeculorum duntaxat intervallum ſeſe porrigunt. Hæc per aliqvot annorum millenarios continuata, ipſum humani generis fontem & radicem, adeóqve mundi exordium attingit.

§. XXXVII. Hæ duæ genealogiæ ſi conferuntur invicem, primâ fronte toto, qvod ajunt, cælô diſſidere videntur. Poſtqvàm enim ad Davidem perventum fuerit, bifurcantur, Matthæô ex Salomone, Lucâ verò ex Nathane Meſſiæ genus derivante.

§. XXXVIII. Qvæ cauſſa fuit, qvòd Julianus Apoſtata totam hiſtoriam Euangelicam errorum

insimulaverit, ipsiusqve autoritati non parum detraxerit.

§ XXXIX. Verumenimverò, re altiùs expensâ, divergium istud apparens nullo negociô conciliari potest, & componi. Matthæus enim texit genealogiam Josephi Patris Christi putatitii per Salomonis lineam regalem: Lucas Mariæ per Nathanis lineam ducalem, qvorum uterqve fuit filius Davidis, 2 Sam. v. 15.

XL. Deficiente stirpe regiâ, post deportationem Babylonicam ad Nathanis posteros, qvantumvis non regiâ, sed ducali dignitate fulgentes, fasces devenerunt. Non enim eumdem fuisse Zorobabelem, qvi exstat apud Lucam, & qvi exstat apud Matthæum, licèt nominibus conveniant, & fermè σύγχρονοι fuerint, interminatio divina, Jer. XXII. 29. 30. docet.

§. XLI. Qvòd verò DEUS, Ezech. XXI. 27. se coronam unà cum cidari dignitatis ducalis insigni simul ablaturum minetur, ad Salomonis posteros, i. e. ad Reges & Duces ex lumbis Salomonis prodeuntes restringendum putamus.

§. XLII. Huic sententiæ nostræ, qvæ Chemnitii in harm. & multorum orthodoxorum calculô gaudet, à Reformatis etiam in Belgio non ita pridem scriptis publicis defensa est, fundamentum substerni potest exinde, qvòd ab aliqvo horum duorum Euangelistarum linea Christi naturalis ad Mariam usqve pertingens descripta fuerit, nisi hâc suâ genealogiâ incassùm laborare voluerint. Jam verò Matthæum Josephi patris Christi putatitii genealogiam texere Græcum verbum ἐγέννησε nobis svadet & persvadet. Relinqvitur itàqve Lucam generationis mentionem nullam injicientem nata-

natales Mariæ, cujus ventris fructus fuit Christus, adducere.

§. XLIII. At cui bono, dicis, Christi natales per familiam Josephi ducuntur, cùm non fuerit Pater verus, sed putatitius, (Luc. III. 23. ὡς ὁ ἰησοῦς ἐνομίζετο υἱὸς Ιωσὴφ) non naturæ, sed curæ? Sunt, qvi contribules tantùm invicem contraxisse matrimonia respondent, & sic cognitâ tribu Josephi Mariæ qvoqve tribum cognosci; verùm cùm hæc ratio (præsertim qvantum ad tribum Regiam & Sacerdotalem) non sit ἀνένστατος, alii magis appositè respondent, qvòd Matthæo res fuerit cum Judæis, & ita πρὸς ἄνθρωπον egerit.

§. XLIV. Positô enim, Josephum fuisse patrem Christi naturalem, tamen & hâc ratione Christus esset ex lumbis Davidis, nec evacuata fuisset promissio Patriarchis Abrahæ, Isaaco, Jacobo, Judæ, & Davidi facta. Qvæ explicatio est B. Ægidii Hunnii Senioris in suo super Euang. Matth. commentario.

XLV. Qvòd verò Lucas mentionem nullam Mariæ faciat, sed Josephum substituat, id sententiam nostram non infringit, qvia mulierum genealogias texere, ubi stirps non deficeret, apud Judæos erat insolens. Nam secundùm tritum istud: Στύλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες, ist est, fulcra familiarum sunt masculi. Per filium itaqve Gener Eli, Eliachim, sive Joachim intelligitur, Luc. III. 23.

§. XLVI. Qvòd alias apparentes ἀντιλογίας in hisce duabus genealogiis occurrentes, cum historia V. Test. concernit (οὐδεμία γὰρ γραφὴ ἑαυτῇ ἐναντία) consideratis considerandis sine magno labore conciliari possunt.

§. XLVII. Ochosiam, Joam & Amasiam Matthæus omittit, qvia ipsi propositum fuit tres constituere Tesseradecades, vel ut memoriæ consuleret, vel ut insigniores politiæ Judaicæ mutationes adduceret, vel ut promissiones Abrahæ & Davidi factas indice qvasi digitô commonstraret, eásqve actu adimpletas ostenderet.

§. XLVIII. Facti hujus caussam alii reddunt aliam, qvia Joramus impio generi Jezabelis, ductâ ejus filiâ Athaliâ, se commiscuisset, ideò memoriam ejus ad tertiam usqve generationem tolli, ne in sanctæ nativitatis ordine ponatur. Sed si hæc ratio jungatur superioribus, funiculus multiplex non facilè rumpetur.

§. XLVIII. Ita Joramus Oziam genuit non ἀμέσως sed ἐμμέσως, mediantibus istis tribus filiis insuper habitis, sicut avus, proavus, abavus &c. nepotes, pronepotes, abnepotes generant, & nos omnes ab Adamo totius humani generis parente ortum trahimus.

§. L. In secunda Tesseradecade apud Matthæum dicitur, Josiam genuisse Jechoniam circa tempus captivitatis Babylonicæ, cùm tamen promissionem acceperit, 2. Par. xxxiv. 28. qvòd obitu suô calamitates populum Judaicum involuturas sit anteversurus. Lateat, qvòd Josias Jechoniæ fuerit avus, 1. Par. iii. 15. & persona una in secunda Tesseradecade desideretur.

§. LI. Missis aliorum opinionibus, B. Chemn. in harm. responsionem hanc putat simplicissimam, à veritate non abludere vitiô librariorum Jechoniæ patrem esse omissum, qvod Hieronymus ita contigisse existimat: Jechonias, 2. Par. xxxvi. 9. 4. Reg. xxiv. 6. vocatur יהויכין Jehojachin, Pater verò ipsius יהויקים Jehojakim, qvæ nomina in Hebræo distinctissima cùm transfunduntur in Græ-

cam

cam & Latinam lingvam, confundi facilè possunt.

§. LII. Idem sentit Epiphanius, lib. 1. Tomô 1. Et Stapulensis adnotat, vetustissimum qvoddam exemplar habere: Josias genuit Joachim, Joachim verò Jechonian. Qvantumvis nonnemo Matthæum potiùs in tempore, qvàm persona secundam Tesseradecadem finire velit.

§. LIII. Et eâdem fideliâ duos dealbamus parietes, qvantum ad Cainan ex Interpp. LXX. in Lucæ genealogiam introductum. Vitiô siqvidem librariorum (qvidqvid etiam alii miserè se h. l. torqventes, & tamen folia ficulnea prætendentes statuant) salvô tamen Lucæ scopô, in textum Græcum N. Test. irrepsisse, ut credamus, facilè adducimur. †

§. LIV. Nihil tamen integritati fontium hâc ratione decedit, cùm inter Scriptores ipsos & exscriptores, inter σφάλματα, qvæ librariorum incuriâ & hæreticorum injuriâ textui originali sese immiscuerunt, accuratis limitibus discriminandum.

§. LV. Qvòd verò in omnibus exemplaribus qvædam ejusmodi librariorum παροράματα (qvale citatio Jeremiæ in passionis historia) occurrant, nec tamen emendentur, Casaubonus à librariis Apostolorum temporibus vicinissimis ea profecta esse satis ingeniosè conjecit.

§. LVI. In genealogia, qvantum ad rem ipsam, licèt non nominetur, principem locum sibi transcribit mater ἀειπαρθένος, cujus virginitas, cùm à Judæis ὁλικῶς negetur, & à Christianis qvondam ἐκ μέρους fuerit impugnata, nobis impræsentiarum venit vindicanda.

§. LVII. Judæi Mariam Hariam i. e. sterqvilinium appellantes, Salvatorem nostrum ex ille-

† Vide Falcem nostrum 11. n. 11 Senar. ix. §.11. p. 97. s.

illegitimo procreatum toro ganniunt, sed (ut idem armamentatium telis utrúmqve instruat) refutantur inprimis locô, Es. VII. 14. ubi futurus Messias Immanuel θεάνθρωπος Virginis Filius appellatur.

§. LVIII. Nec est, qvòd in vocabulo Hebræo עלמה κρησφύγετον qværant qvasi juvenculam denotet, nullâ statûs habitâ ratione, cùm istud vi suæ originis conclusam virginem (qvæ publicum non videat, & cum viro rem non habeat) semper significet, & ipsa textus συνέχεια καὶ συνέπεια de re nova & inusitata sermonem esse ὀφθαλμοφανερῶς ostendat.

§. LIX. In loco, Prov. xxx. 19. patrocinium ipsis nullum. Siqvidem inter virginitatis impugnationem & expugnationem, inter consvetudinem intentam & obtentam immane qvantum interjectum.

§. LX. Et licèt in seqventibus adulteræ mentio fiat, non tamen omnia Scripturam interpretandi media divisim accepta omnibus locis accommodari possunt, præsertim proverbiis Salomonis, ubi sententiæ argumentis discrepantes, & diversô, dubio procul, tempore prolatæ antecedentium & conseqventium collationem respuunt.

§. LXI. Messiam nostrum non dictum fuisse Immanuelem, sed Jesum, & ita nos propriâ minetâ cædere, objiciunt. Sed inter nomina, qvæ sustinet aliqvis qvoad rem, & qvoad peculiarem impositionem distingvant. Immanuelis nomen Messias noster qvoad rem ipsam sustinet, utpote θεάνθρωπος, verus DEUS & Homo, JESUS verò dictus fuit in circumcisione, qvô nomine in conversatione qvotidiana tanqvàm individuum ali-

qvod

qvod rationale à reliqvis hominibus fuit discriminatus.

§. LXII. Inter Christianos fuit Helvidius homo stupidus, qvi currente Centuriâ qvintâ vixit, & Mariæ Virginitatem cum suis adseclis Antidico-Marianitis post partum in dubium vocavit.

§. LXIII. Abusus autem fuit locô, Matth. 1. 25. Non cognovit eam, donec peperisset filium suum primogenitum. Ubi ex particula *donec*, & *primogeniti* nomine σοφὸν φάρμακον errori suo qværere voluit.

§. LIV. Verumenimverò particula *donec* ibidem non terminum fixum, sed continuum significat, ut sit sensus: Non cognovit eam, postqvàm peperit. Nomen verò primogeniti non habet respectum ad fratres conseqventes, qvasi plures Christum fuerint secuti, sed antecedentes, qvòd nullus Christum anteverterit. Inprimis autem ad legem Mosaicam habetur respectus, Ex. XIII. 2. secundùm qvàm & unigeniti (qvippe qvi primi fregissent matricem) pro primogenitis habebantur. Et huic legi Christus qvoqve, Lucæ II. 22. 23. 24. sese subjecit.

§. LXV. Alia explicatio est loci Coloss. 1. 15. ubi Christus primogenitus universæ creaturæ dicitur. Vel enim hoc nomen Christo competit secundùm divinam naturam, qvod voluerunt qvidam ex Patribus, & ita significat idem ac genitum ante omnes creaturas (qvod particula πρὸ in compositione videtur innuere) non verò creatum ante omnes creaturas, πρωτότοκον, ἐ πρωτόκτιστον: vel secundùm hanc naturam (qvod convenientiùs) & ita Christo per metaphoram à primogenitis V. Test. desumtam competit. Qvemadmodùm enim primogeniti V. Test.

Test. gaudebant triplici privilegiô, Dominii, Sacerdotii, & duplæ hæreditatis, Gen. XLIX. 3. Ita Christus est Rex & Sacerdos noster, & dona præ consortibus suis accepit.

§. LXVI. Qvòd fratres Christo tribuantur, Marci VI. 3. refutatione dignum non est. Siqvidem fratres interdum per Hebraismum pro consangvineis (qvos Christo secundùm carnem non denegamus) accipi, notius est, qvàm ut pluribus impræsentiarum probari debeat.

§ LXVII. Restat in hac prima sectione τὸ προσωπικὸν, sive persona ipsa, Gigas geminæ substantiæ, verus Immanuel & θεάνθρωπος noster JESUS Christus, qvalem officium redemtionis, qvod in se susceperat, reqvirebat.

§. LXVIII. Sunt autem in hac persona omnia miranda; unde incarnationis opus μυστήριον, μέγα μυστήριον, ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον dicitur, 1. Tim III. 16. in qvod & Angeli παρακύψαι, id est, exsertô veluti collô in profundissimam abssym introspicere gestiunt. Est opus omnium novorum novissimum, & solum novum sub Sole. Damasc. lib. III. de O. F. c. 1.

§. LXIX. Primum mirandum est, qvòd sit persona σύνθετος ex divina & humana natura constans, ita ut humana natura, cùm non sit αὐθυπόστατος nec ἀνυπόστατος, sed ἐνυπόστατος, in infinitam τοῦ Λόγου ὑπόστασιν sit assumta.

§ LXX. Divina natura probetur ex eo, qvòd essentiale DEI nomen יהוה ipsi non uno in loco V. Test. tribuatur, v. g. Jer. XXIII 6. ubi germen Davidis Jehovah justitia nostra vocatur, Es. VI. 31. ubi Seraphim ipsi acclamant Sanctus Dominus Zebaoth, prout hunc locum Joh. XII. 41. de Christo exponit. Psal. CII. 26. Tu, DOMINE,

NE, initiò terram fundâsti, ſicuti N. Teſt. clavis V. Teſt. Hebr. I. 10. hunc locum recludit, & de Chriſto accipit.

§. LXXI. 2. Qvòd dicatur DEUS abſolutè, Joh. I. I. DEUS fortis Eſ. IX. 6. DEUS magnus, Tit. II. 13. DEUS verus, I. Johan. V. 21. DEUS benedictus in ſecula, Rom. IX. 5. ex hypotheſi DEUS ſubjectivè, Act. XX. 28. DEUS propriô ſangvine redemit Eccleſiam, I. Tim. III. 16. DEUS manifeſtatus eſt in carne.

§. LXXII. 3. Qvòd dicatur Filius DEI vivi à filio hominis, qvalis in oculos incurrebat, toto cælô diſtans, & propterea non à carne & ſangvine, ſed Patre cæleſti revelatus, Matth. XVI. 16. Filius DEI unigenitus, Johan. I. 14. & 18. Filius DEI proprius. Rom. VIII. 32. qvi DEUM habeat ἴδιον πατέρα, Joh. V. 18. unde Judæi colligunt, qvòd ſe faciat ἴσον τῷ Θεῷ.

§. LXXIII. 4. Qvòd opera ſoli DEO propria ipſi competant, v. g. opus creationis, Pſal. XXXIII. 6. Verbô DOMINI cæli firmati ſunt, Joh. I. 3. omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, qvod factum eſt, Hebr. I. 10. Tu, Domine, initiô terram fundâſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli, Hebr. I. 3. Omnia portat verbô potentiæ ſuæ, Joh. V. 17. Pater meus huc uſqve operatur, & ego operor, & v. 19. Omnia qvæ Pater facit, pariter facit & Filius.

§. LXXIV. 5. Qvòd ipſi attributa divina paſſim in ſacris aſſignentur, v. g. æternitas, Apoc. I. 11. & c. II. 8. Ego ſum α & ω, primus & noviſſimus: immutabilitas, Hebr. I. 11. & 12. Cæli peribunt, tu autem, DOMINE, permanes. Illi mutabuntur, tu autem idem es: omni-

præ-

præſentia, Matth. XXVIII. 20. Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſqve ad conſummationem ſeculi: omnipotentia, Phil. III. 21. Pro ſua efficacitate ſubjicere ſibi poteſt omnia: omniſcientia, Apoc. II. 23. Scrutatur renes & corda.

§. LXXV. 6. Qvòd cultus divinus ipſi adſcribatur, Johan. V. 23. ut omnes honorent Filium, ſicut & Patrem. Hebr. I. 6. Adorent eum omnes Angeli. Apoc. V. 13. Sedenti in throno, & agno benedictio, & honor & gloria & poteſtas in ſecula ſeculorum.

§. LXXVI. Humana natura verò (contra Valentinianos, Weigelianos, & qvoſdam Anabaptiſtas) probatur 1. ex variis appellationibus, qvòd dicatur Homo, 1. Tim. II. 5. Filius hominis, Matth. XVI. 13. Semen Abrahæ, Hebr. II. 16. Filius Davidis, Luc. XVIII. 38. fructus lumborum Davidis, Act. II. 31. fructus ventris Mariæ, Lucæ I. 42. Sanctum EX Maria natum (qvæ particula h. l. in ſignificatu proprio ſumitur, & cauſſam materialem, non terminum à qvo innuit) Lucæ I. 35. Propterea Sanctum, qvod ex te naſcetur, Filius DEI vocabitur. Qvantumvis autem particula EX non habeatur in omnibus exemplaribus, uti nec in Eraſmi exemplari, ſed tantùm: Propterea Sanctum, qvod naſcetur, Filius DEI vocabitur; habemus tamen alium locum, Galat. IV. 4. Miſit DEUS Filium ſuum factum ex muliere.

§. LXXVII. 2. Ex definitione hominis: Qvòd fuerit animal rationale; vel, ut habet ſymbolum Athanaſii: Perfectus homo ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens; i. e. conſiſtens. Animam contra utrumqve Apollinarem Patrem & Filium, illum Presbyterum, hunc Lectorem Ec-

cleſiæ

clesiæ Laodicenæ, Juliano Apostatæ in qvarta Centuria συγχρόνους defendimus, inprimis ex Matth. XXVI. 38. Tristis est anima mea usqve ad mortem; & Lucæ XXIII. 46. Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Et cùm hæc dixisset ἐξέπνευσεν, i. e. exspiravit. Qvod posterius neqve de Λόγῳ, neqve de anima sensitiva (qvam concesserunt isti) potest intelligi. Non de Λόγῳ, qvia unio personalis inter Λόγον & humanam naturam nunqvàm fuit soluta, ne in morte qvidem, sed tantùm unio naturalis inter corpus & animam: non de anima sensitiva, qvia illa (si non subordinatur rationali) extra corpus non subsistit. Corpus humanum omnium ferè membrorum humanorum inductione, si opus esset, probari posset.

§. LXXVIII. 3. Ex proprietatibus & infirmitatibus κατ᾽ οἰκονομίαν assumtis, v. g. qvòd fleverit, Lucæ XIX. 41. Joh. XI. 31. Hebr. V. 7. qvòd defatigatus fuerit, Johan. IV. 6. qvòd esuriverit, Matth. IV. 2. qvòd sitiverit, Joh. XIX. 28. Id qvod de infirmitatibus communibus, non personalibus volumus intellectum, nisi ratione formalis, i. e. maledictionis; qvam ab omnibus morbis & morte nostrâ, langvores nostros portando, abstulit.

§. LXXIX. Imò si carnem suam de cælo attulisset, & saltem per Mariam tanqvàm per canalem transiisset (sicuti κοκκυσμὸν suum ingeminat Weigelius IN Maria, non EX Maria) non opus habuisset Beata Deipara, ut per novem menses uterum gereret, Lucæ II. 6. Qvid? qvòd τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον, i. e. qvod Christus non assumsit, non redemit.

§. LXXX. Hæ duæ naturæ, ut cælum & terra distantes (qvod qvidem Photinianis videtur impos-

possibile, non autem nobis, qvi ex Angelo didicimus, non esse impossibile apud DEUM verbum ullum, Luc. 1. 35. unione personali nunqvàm dissolvendâ sunt unitæ.

§. LXXXI. Unionem personalem dicimus non ab unibilibus, sed à termino ad qvem, qvi est una persona, non simplex, sed σύνθετος, & qvasi composita. Solent enim uniones utplurimùm à termino ad qvem denominari; sicuti & unio Sacramentalis à termino ad qvem; qvòd duæ res terrena & cælestis, visibilis & invisibilis ad constituendum unum Sacramentum tendant; nomen habet.

§. LXXXII. Qvantumvis autem humanæ naturæ suam ὕπαρξιν, utpote cui proprietates individuantes, (forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, sexus) competunt, libenter concedamus, peculiarem tamen ὑπόστασιν eidem denegamus. Sed tamen qvidqvid hìc defuerit, abundè satis resartum scimus, qvando in infinitam τοῦ Λόγου ὑπόστασιν fuit assumta.

§. LXXXIII. Et hoc passim inculcat Scriptura, ex divina & humana natura unum Christum subsistere docens, 1. Tim. II. 5. UNUS est Mediator inter DEUM & homines, Rom. v. 18. Per UNIUS justitiam propagatur bonum in omnes homines ad justificationem vitæ; & v. 19. Per obedientiam UNIUS justi constituentur multi. Ex qvibus locis dubio procul extructa Theologorum regula: In persona Christi esse qvidem ἄλλο καὶ ἄλλο, sed non ἄλλος καὶ ἄλλος. Illa ipsa de hoc uno Christo divina & humana passim prædicat.

§ LXXXIIII. Qvod ipsum cùm statuimus, inter Scyllam & Charybdin, Nestorianam διά-

στασιν,

ϛασιν, & Eutychianam σύγχυσιν mediô locô tutissimè incedimus.

§. LXXXV. Alterum mirandum in hac persona considerandum est, qvòd fuerit ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ i. e. sine patre & sine matre. Ἀπάτωρ qvidem secundum humanam naturam, utpote ex casta virgine sine virili semine Spiritûs Sancti superventu conceptus & natus: Ἀμήτωρ verò (qvod illusoribus Turcis opponendum) secundum divinam naturam, utpote ab æterno à Patre genitus, Psal. II. 7.

§. LXXXVI. In qvo ipse Milchisedicus typum Salvatoris nostri gessit, utpote qvi ἀπάτωρ, καὶ ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος introducitur, Hebr. VII. 3. non qvidem κατὰ τὸ εἶναι, qvòd parentibus & majoribus fuerit destitutus, sed κατὰ τὸ λέγεσθαι, i. e. qvòd ipsius parentes & familia non nominetur in sacris. Unde à qvibusdam redditur: Ignoti patris, ignotæ matris, ignotæ familiæ.

§. LXXXVII. Sententiam enim istam in Belgio non ita pridem defensam: Melchisedecum fuisse ipsum DEI Filium in forma humana κατ' οἰκονομίαν assumta visum (cùm περιστάσεις textus huic explicationi non qvadrent) Autori suo, † donec certius qvid de hac persona informemur, remittimus.

§. LXXXVIII. Tertium mirandum in hac persona est, qvòd fuerit ἀναμάρτητος, à peccatoribus segregatus, utut ex peccatoribus natus, Hebr. IV. 15. c. VII. 26. Spiritus Sanctus (à qvo conceptus non σπερματικῶς, sed δημιουργικῶς) massam illam, vel sangvinis guttulam, ex qva Λόγος æternus templum sibi constructurus erat, ab omni peccati labe & tabe purgavit.

Q §. LXXXIX.

† P. Cunæo. Vide Glass. Christol. Davidic. p. m. 338. nostræ Lugdun. edit. clↄ. Iↄcc. in 4to.

§. LXXXIX. Hinc Angelus dicit, Luc. 1. 35. Sanctum, qvod ex te nascetur, Filius DEI vocabitur. Sanctum propter Spiritûs Sancti superventum, Filius DEI propter virtutis Altissimi obumbrationem. Qvàm explicationem Photinianis inprimis opponendam, & particula διὸ & locorum parallelismus nobis monstrat. Qvoties enim (ut hoc obiter addam propter nostrates aliqvos, qvi per Virtutem Altissimi Spiritum S. intelligunt, sed ἀνδὼ πρὸς κείμενον orthodoxæ doctrinæ) locis istis, Johan. 1. 14. 18. ubi Christus Filius DEI unigenitus & proprius dicitur, urgentur, hûc tanqvàm ad asylum confugiunt, qvòd propter conceptionem ex Spiritu Sancto ita vocetur.

§. XC. Nec reatus à Protoplastis nostris in omnes posteros redundans Salvatorem nostrum obstringere potuit, cùm in lumbis Adami fuerit non ex necessitate naturali, sed ex promissione; non ut nudus homo, sed ut futurus θεάνθρωπος, & ita Dominus legis, qvem nulla lex obligare potuit, non ut ægrotus, sed ut Medicus.

§. XCI. Qvamqvàm autem horum admirandorum à priori rationes nullas dare possimus, à posteriori tamen colligimus, debuisse Redemptorem nostrum esse 1. θεάνθρωπον, ut humana natura sangvinem fundere, pati & mori potuisset, divina verò passioni & morti pondus adderet infinitum. 2. Ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα, ut unus Filius unum tantùm Patrem haberet in cælis, & unam matrem in terris. 3. ἀναμάρτητον, ne ipsi occineretur illud tritum: Ἄλλων ἰητρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων, i. e. aliorum Medicus propriis scatens ulceribus.

§. XCII. Suam etiam σκέψιν h. l. meretur, qvòd nec Spiritus Sanctus, sed Filius humanam natu-

naturam in plenitudine temporis assumserit, & in assumta humana natura opus redemptionis perfecerit. Ubi Patres à posteriori rationem non unam in medium afferunt, qvòd Filius imago DEI essentialis imaginem DEI deperditam in nobis instaurare, Filius DEI naturalis nobis jus υἱοθεσίας acqvirere, & media in S. S. Trinitate persona Mediatoris officiô fungi debuerit.

§. XCIII. Qvòd verò etiam ex orthodoxis nonnulli (qvorum tamen aliqvi progressu temporis semetipsos correxerunt) plura circa γέννησιν Salvatoris qværant singularia, v. g. qvòd Christus in utero matris non fuerit embryo, & qvòd clausô uterô in lucem fuerit editus, ab iis, Præceptorum nostrorum vestigiis inhærentes, modestè dissentimus.

§. XCIV. Qvantum enim ad primum, objicere hic possumus perpetuum Scripturæ silentium; At ubi Scriptura tacet, ibi & nos tacere convenit. Qvin potiùs summo nobis solatio ducamus, qvòd Christus per omnes ætatis nostræ gradus venire, nostrámqve immundam nativitatem radicitùs curare voluerit. Eccur, qvæso, καρπὸς τῆς κοιλίας Beatæ Deiparæ, eccur ἔγκυος ipsa mater diceretur? Eccur per novem menses uterum gessisset? Eccur infans nobis qvoad infirmitates per omnia similis factus non statim Vir perfectus creatus fuit?

§. XCV. Ast ita Λόγον non semper unitum fuisse homini forsan insusurrabis? Imò, ἅμα σάρξ, ἅμα Θεοῦ Λόγου σάρξ, nisi qvis erroribus Nestorii, cui DEUS bimestris, aut trimestris, φοβηκόνταλον, frigidam suffundere velit. Et licèt embryo non sit perfectus homo, est tamen homo. Ne dicam, qvòd ipsum semen ἀρχὴ σωματικὴ καὶ ψυχικὴ à Philosopho, compendium totius hominis à Physicis nostris eleganter indigitetur.

§. XCVI. Qvoad alterum, Scriptura non saltem

tem tacet, sed & contrarium, qvod benè observavit Chemnitius in Harm. super c. II. Lucæ, ferè suggerit. Dicit enim simpliciter, Lucæ II. 7. Καὶ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς, & peperit Filium suum. Qvid autem sit parere, notissimum est omnibus. Hinc & Christus illorum legi, qvi matricem aperuerant, sese subjecit, Luc. II. 23. Ne dicam, qvòd hâc ratione Valentinianorum erroribus, qvasi Christus per nudam transparentiam ex utero matris in mundum intraverit, valvæ bipatentes aperiantur.

§. XCVII. Unum saltem obstare videtur, qvòd hâc ratione Virginitas matris in dubium vocetur. Verùmenimverò, si conveniat in Virginitatis descriptione; res nihil difficultatis haberet. Virginem vocamus Mariam, qvòd absqve consvetudine cum viro hunc Filium suum conceperit, non qvòd uterô clausô pepererit. Et ad hunc sensum vocare possumus verba cantilenæ veteris: Als die Sonne durchscheint das Glaß, und doch nicht versehret das.

§. XCVIII. Typos qvod attinet, v. g. de porta clausa præter Dominum nemini pervia, Ezech. XLIV. 2. I. Inter typos innatos (qvos ipsa Scriptura tanqvàm typos adducit & explicat, v. g. serpentem æneum, Joh. III. 14.) & illatos, i. e. à nobis ad rem aliqvam accommodatos distingvendum. 2. Non in nativitate, sed conceptione tertium, sive comparationis fundamentum qværi potest, sicuti dicitur, qvòd Viro per illam transire integrum non fuerit. Sed de primo membro hâc vice satis.

ΤΜΗΜΑ

ΤΜΗΜΑ II.

§. I.

INgressum Salvatoris in hunc mundum vidimus, jam ad progressum, ubi duo inprimis, facem nobis præelucente Luca, c. 1. Act. 1. erunt observanda 1. τὸ ποιεῖν, 2. τὸ διδάσκειν, accessum faciemus.

§. II. Non verò infantiæ ejusdem diu inhærebimus, cùm qvæ vel in controversiam veniant, vel ab aliorum educatione nimis remota sint; pauca occurrant, sed statim ad virilem ætatem utramqve sibi paginam hìc transcribentem properabimus. Unde Marcus historiæ suæ Euangelicæ telam ἀνδ-ρωθοιμίω ab officio Johannis Baptistæ V. & N. Testamenti limitis, Christi præcursoris, orditur.

§. III. Monachorum siqvidem de infantia Christi lepidas fabellas, qvòd nimirum animalcula nova creaverit, & aliis miraculis sensim inter coætaneos suos inclaruerit, habemus eô locô, qvô sunt. Qvin potiùs Euangelistam, Lucam II. 51 sub phrasi, fuisse ipsum ὑποτασσόμενον Parentibus, infantiam, pueritiam, adolescentiam & juventutem usqve ad ætatis annum circiter trigesimum complexum esse asserimus.

§. IV. Nihil hæc phrasis ab aliorum hominum educatione alienum notat, sed Christum bono & vice nostra in omnibus dicto Parentum fuisse audientem, rem Oeconomicam & operas fabriles Patris sui putatitii juvisse, aliorumqve injunctorum, qvoad ejus licuerit, satagisse innuit. Unde non tantùm fabri filius, sed & ipse faber, Marci VI. 3. à sympatriotis suis vocatur.

§. V. Nec opus fuit miraculis, anteqvàm Christus officium suum ingrederetur. Qvippe qvæ sigilla erant & aureæ veluti bullæ doctrinam & vocationem Messiæ confirmantia, Qvid? qvòd miraculorum primum in nuptiis Cananæis contigisse Johannes historiæ suæ Euang. II. 11. testetur.

§. VI. Circa tempus Ministerii, & ita circa tempus passionis & ætatis Christi non omnes in unam harmoniam concinunt. Sunt, qvi saltem unicum annum ipsius ministerio tribuunt, propterea, qvòd se annum Domini acceptum prædicare fassus sit, Lucæ IV. 19. & qvòd Matthæus, Marcus & Lucas unius duntaxat Paschatos, sub qvo passus & mortuus fuerit, mentionem injiciant.

§. VII. Verumenimverò hanc opinionem à recto veritatis tramite non parum deflectere, ad oculum ostendit Johannes Euangelista in comparatione ad reliqvos, Lutheri qvoqve calculô, Antesignanus, qvi Pascha non unum, sed plura in historia sua Euangelica nobis sistit.

§. VIII. Qvod verò ex Luca de anno Domini accepto profertur, sciendum, phrasin istam h. l. non de tempore, qvamdiu Christus prædicaverit, sed de objecto, qvidnam prædicaverit, exaudiendam esse.

§. IX. Deinde vocabulum anni, si de tempore accipiendum esset, non præcisè spacium annuum, sed tempus prædicationis Euangelicæ in genere notaret. Vocat autem Salvator istiusmodi tempus annum Jubilæum, ut ostendat Judæorum annum Jubilæum Jubilæi hujus spiritualis, in qvo contriti corde sanantur, captivi liberantur, & per remissionem peccatorum vinculis eximuntur, fuisse typum.

§. X.

§. X. Unicum iſtud Paſcha qvod attinet, cujus Matthæus, Marcus & Lucas ultimum miniſterii Chriſti annum potiſſimùm deſcribentes meminêre, mentio illius expreſſa reliqva Paſchata implicitè notata non tollit, nec aliqvorum pertinacia in errore ſuo propugnando Johannis Euangeliſtæ autoritati vel hilum detrahit.

§. XI. Sunt, qvi trium annorum ſpació miniſterium Chriſti circumſcribunt, & ita 32 ætatis annô paſſum volunt, propterea, qvòd tria Paſchata notentur à Johanne, primum Joh. II. 13. poſt miraculum in Cana editum, ſecundum Joh. VI. 4. poſt qvinqve panum miraculum, tertium ſub qvo Chriſtus paſſus eſt Joh. XIX. 14.

§. XII. Sunt, qvi qvartum adhuc adjiciunt, & rectiùs generali vocabulô feſti Judæorum deſcriptum, Johan. V. 1. qvæ multorum Theologorum ſuffragiô nititur ſententia. Qvantumvis non deſint ex Chronologis citerioribus, qvi etiam qvintum ex hiſtoria Euangelica Johannis eruere ſatagant.

§. XIII. Qvod itaqve primam hujus ſectionis partem (nimirum τὸ ποιεῖν) attinet, cùm Chriſtus ſanctiſſimâ vitâ ſuâ legi divinæ ex aſſe ſatisfecerit, (qvæ ſatisfactionis pars meriti nomine magis propriè venit) adeò ut nec jota, nec apex de illa in terram deciderit, ut & τέλος τοῦ νόμου ab Apoſtolo, Rom. X. 4. vocetur, meritò ipſius obedientiam, qvam vocant, activam circulum juſtificationis noſtræ ingredi ſtatuimus.

§. XIV. Negavit id ſuperiori ſeculô † ex Aug. Conf. ſociis M. Georgius Parſimonius, aliàs Karge dictus, Paſtor Onoldinus à Dn. Brentio & aliis,

† Sed non pertinaciter, mox enim errore agnitô ad bonam mentem reverſus eſt.

qvi favillam sub cineribus exstinxerunt, refutatus. Sed paullò post ex Reformatis, qvales se vocant hodiè Calvinisequæ, Johannes Piscator Herbornensis errorem istum non tantùm refricavit, sed & πὺξ καὶ λὰξ, variis hinc inde conqvisitis ratiunculis propugnavit.

§. XV. Cui se ex fidei consangvineis non tantùm opposuerunt, (uti exemplo nobis esse potest Polanus) sed & à Theologis Gallis Vappinei in Delphinatu annô 1603. hujus erroris occasione congregatis (qvem locum aliàs mappæ Geographicæ Gap Arausico & Gratianopoli propemodùm affinem nominant) hanc laudem tulit, qvòd rerum novarum studiosissimus sit Theologus, in scriptis suis non paucas inusitatas foveat opiniones ab Ecclesiarum fide non parùm dissidentes, imò errores manifestissimos divinæ veritati prorsus contrarios spargat.

§. XVI. Easdem tibias inflare videntur Pontificii, qvando activam Christi obedientiam, ut doctrinæ nostræ de justificatione detrahant, fide apprehensam nostram esse negant.

§. XVII. Qvoscúmqve tandem basiatores etiam ἐκ πονηροῦ ὄμματος καὶ κόμματος hæ buccæ deformes inveniant, error hic & Photinianismo, qvasi propriâ vitæ innocentiâ justitiam conseqvi debeamus, fomenta substernit, & Scripturæ in faciem contradicit.

§. XVIII. De priore res est in aprico. Si enim Christus nostrô locô legem non implevit, nos ad istius impletionem tenebimur. Siqvidem ne minutissimus apiculus de lege in terram decidere debet. Matth. v. 18. qvin potius δικαίωμα τοῦ νόμου complendum, Rom. v. 4.

§. XIX. Et qvia justitia Christi activa pars est satisfactionis ὁλικῶς acceptæ, sicuti accipitur in contro-

troversia cum Photinianis, (cùm aliàs ad obedientiam passivam potiùs respectum habeat) qvi justitiam Christi activam nobis imputari negat, satisfactionem qvoqve negat.

§ XX. Scripturæ contradicere hanc καινο-καινοδοξίαν ex aliqvot locis & fidei analogia, qvæ nihil aliud, qvàm constans & perpetua Sripturæ in apertis sententia, vel fides una copulativa, dabimus probatum.

§. XXI. In acie stet locus, Rom. v. 19. Qvemadmodùm per obedientiam unius hominis peccatores constituti fuimus multi: Sic per obedientiam unius justi constituuntur multi.

§. XXII. Opponit h. l. Apostolus duo certa generis humani capita, catholicum destructorem & catholicum Instauratorem, Adamum primum & secundum. Ille divinæ legis transgressione peccatores constituit multos, i. e. omnes homines ex lumbis suis prodeuntes, qvorum certè non pauci, duo, vel tres, vel decem, sed multi sunt, sicuti versiculô antecedente 18. & hôc 19. vocabula permutantur: Hic verò suâ obedientiâ justos constituit multos, i. e. omnes, si de intentione constitutionis (qvod forense vocabulum casui oppositum in foro divino) accipias.

§. XXIII. Unum vocat hominem ex qvorumdam interpretatione non numerô, sed specie, (cùm per adjunctam vitæ sociam peccatum simul intraverit in mundum) commodiùs tamen propter principium generationis activum ad omnes posteros extensum, & oppositionem Catholici reparatoris, non exclusâ vitæ sociâ, unum numerô intelligimus.

§. XXIV. In Adamo verò per actualem legis transgressionem constituimur peccatores, qvando

 sus-

ſusqve deqve habens divinum interdictum de fructu arboris vetitæ comedit. Ergo in Christo per actualem legis obſervationem, ſive activam obedientiam conſtituimur juſti.

§. XXV. Succinit huic dictum Gal. IV. 4. & 5. Miſit DEUS Filium ſuum γενόμενον ὑπὸ νόμον factum ſub lege, ut eos, qvi legi erant obnoxii, redimeret, & nos adoptione jus filiorum acciperemus.

§. XXVI. Ubi Apoſtolus non tantùm inter eos, qvi legi erant obnoxii, vel, ſecundùm fontes, qvi erant ὑπὸ τὸν νόμον & eum, qvi γενόμενος erat ὑπὸ τὸν νόμον diſtingvit, ſed & cauſſam finalem hujus ſubjectionis ſub legem (ut eos, qvi ſub lege erant, redimeret) innuit.

§. XXVII. Ecqvid clariùs dici potuiſſet, qvàm Chriſtum ſuâ legis obſervatione, ad qvam per naturam non fuiſſet obligatus, nihil qvidqvam ſibi, ſed nobis omne meruiſſe?

§. XXVIII. Et hoc magis confirmat dictum, Eſa. IX. 6. Puer natus eſt *nobis*, & Filius datus eſt *nobis*, qvæ verba ſua fecit Angelus natalitium gaudium Paſtoribus intimans, Lucæ II. II. Natus eſt *vobis* Salvator, qvi eſt Chriſtus Dominus in civitate David. Si *nobis* natus, *nobis* datus, nobis etiam omne, qvod fecit & paſſus eſt, in commodum & emolumentum verget.

§. XXIX. Prætereà, ſi Chriſtus eſt Dominus legis, non eſt ejuſdem ſervus, adeóqve nullâ lege qvoad ſuam perſonam obligatur. Minor probatur ex Matth. XII. 8. ubi Filius hominis Dominus Sabbathi nuncupatur, & Matth. 16. ubi Filius DEI qvarto præcepto ſe negat obnoxium. Stante hôc, uti ſtat immotô talô, ipſius obedientia activa legi præſtita erit noſtra, & coram tribunali nobis ad juſtitiam imputabitur.

§. XXX.

§. XXX. Tandem, ſi Chriſtus venit, ut legem impleret Matth. v. 17. ſi eſt τέλος τοῦ νόμου, i. e. τελείωσις omni credenti, Rom. x. 4. ſi factus eſt nobis juſtitia, 1. Cor. 1. 30. utiqve ipſius activa obedientia juſtificationis noſtræ circulum ingreditur qvia lex & ad obedientiam & ad pœnam nos obligat.

§. XXXI. Ante lapſum qvidem alternativa hæc propoſitio locum habebat: Aut ad obedientiam, aut ad pœnam. Sed poſt lapſum copulativa obtinet: Et ad obedientiam, & ad pœnam. Jam verò ſi pœna ſaltem per Chriſtum fuiſſet ſublata, nos adhuc teneremur ad obedientiam, qvam tamen Scriptura non reqvirit à nobis, ſed Chriſti merito adſcribit.

§. XXXII. Sunt, qvi diſtingvunt inter peccata commiſſionis & omiſſionis, & pro utriſqve Chriſtum ſatisfeciſſe rectè affirmant. Si enim pro peccatis commiſſionis ſaltem ſatisfeciſſet, non eſſet legis impletio, Rom. x. 4. nec ſangvis JESU Chriſti emundaret nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. 8. neqve totum debitum nobis remitteretur, Matth. XVIII. 32. adeóqve ex lege, vel μερικῶς ſaltem eſſet noſtra juſtitia, qvod negat Apoſtolus, Gal. II. ult.

§. XXXIII. Qvod nobis opponit Piſcator argumentum ἀκρογωνιαῖον eſt, Chriſtum ſecundùm humanam naturam fuiſſe creaturam, legi divinæ ad præſtandam obedientiam, non ſecus ac nos omnes, qvibus ὁμοούσιος erat, obſtrictam.

§. XXXIV. Sed variis modis hoc argumentum eludi poteſt. Diſtingvendum enim 1. inter ψιλάνθρωπον & θεάνθρωπον. Si Chriſtus fuiſſet nudus homo, nec ſimul DEUS & homo in una perſona, & ſic Dominus legis, qvem nulla lex obligare potuit, tunc forſan ponderis aliqvid adlata

ratio haberet. 2. Si Christus non nostri caussâ venisset in hunc mundum, à reliqvis hominibus ad Christum instituta collectio in hoc passu procederet.

§. XXXV. Instas: At simul nobiscum fuit in lumbis Adami fontis & radicis totius humani generis, & sic communi nobiscum reatu involutus. Fuit enim Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo periimus omnes.

§. XXXVI. Repetitis superioribus distinctionibus, addimus: Christum in lumbis Adami fuisse, non ex necessitate naturæ, sed ex promissione. Nisi enim Protoplastis facta fuisset promissio de semine mulieris contrituro caput serpentis, nunqvam ex lumbis eorum Messias prodiisset. Et sic reatus peccati Adamitici, sub qvo conclusi sumus omnes, ipsum stringere non potuit.

§. XXXVII. Qvòd verò Pontificii † qvidam cum Pho-

† Vide B. Calov. Isagog. Theologic. Tractat. 1. c. III. §. II. p. m. 54. s. edit. Witteb. cIↄ Iↄc. LXV. in 8t. Frider. Balduin. in Adventu Christi Typic. Typô 1. p. m. 69. s. B. Joh. Wigandum in Osiandrismo, p. 24. qvô destitutus legas D. Conr. Schlusselburgium, lib. VI. Catalogi Hæreticor. p. m. 112. s. edit. Francof. M. DC. XI. in 8t. Adde B. Paul. Tarnov. in Joann. p. m. 297. s. D. Grawerum, Cent. 1. Qvæstion. Illustrium, Disp. VI. Q. I. p. m. 111. s. & in Artic. III. August. Confess. Q. V. p. m. 334. s. edit. Jenens. M. DC. XIX. in 8t. B. Wolfg. Franzium, Disp. VIII. Tom. III. Disputat. Witteberg. §. 40. s. p. m. 603. s. D. Gerhard. in Exegesi Loci de Persona Christi, p. m. 456. s. §. 142. s. B. Wilh. Lyser. in Disput. de Humanitate Christi §. XXIII. Witteb. edita, & habita, annô M. DC. XXVIII. in 4to. D. Joh. Adam. Schertzerum in Exercitat. Theolog. ad Matth. XI. 21. & Luc. X. 13. Lipsiæ habita & edita annô M. DC. LXVI. in 4to. §. LXI. extr.

Photinianis Filium DEI in carnem venturum fuisse dicant, etiamsi homo non peccâsset, finem incarnationis, nempe satisfactionem pro peccatis nostris per indirectum impugnat.

§. XXXVIII. Scriptura siqvidem nullum alium incarnationis finem, qvàm generis humani redemtionem assignat; v. g. Matth. XVIII. 11. Venit Filius hominis salvare, qvod perierat. Matth. XX. 28. Venit Filius hominis, ut daret animam suam λύτρον pro multis. 1. Tim. 1. 15. Certus sermo & omni acceptione dignus, qvòd Christus JESUS venit in mundum, ut peccatores salvos faceret. 1. Joh. III. 8. In hoc apparuit Filius DEI, ut dissolveret opera Diaboli.

§. XXXIX. Hinc Symbolum Nicenum: Propter nos & nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Et Augustinus: Tolle morbos, tolle vulnera, nec erit medicinæ caussa.

§. XL. Nec propter φιλανθρωπίαν, qvod qvidem ex Aug. Conf. sociis non nemo voluit, incarnari voluit, cùm & Scriptura de hoc fine taceat, & Filius DEI multis aliis rationibus eamdem hominibus declarare potuerit.

§. XLI. Prætereà sententiæ nostræ nec hilum officit, qvòd justificatio passim morti & sangvinis effusioni tribuatur in sacris. Siqvidem unius inclusio alterius exclusio non est, & hisce locis opponi possent alia, in qvibus justificatio nostra obedientiæ Christi activæ adscribitur. Est itáqve in ejusmodi dictis Synecdoche partis pro toto propter arctissimam utriusqve obedientiæ connexionem. Et hinc tota Christi vita passio activa & actio passiva nuncupatur.

§. XLII. Unicâ oblatione consummavit in perpetuum, qvi sanctificantur, Hebr. x. 14. non in

oppoſitione ad obedientiam activam, ſed ad multitudinem ſacrificiorum Leviticorum, qvorum imperfectionem ex repetitione iſta infert Apoſtolus. Sicuti & iſta unica προσφορᾷ ἐμφανισμὸν in cælis (Latinis utrumqve oblationis voce venit) non excludit. Qvod ſi dixiſſet μόνῃ ſolâ, non μιᾷ unicâ oblatione, fortius hunc nodum conſtringere poſſet Antagoniſta.

§. XLIII. Qvod ulterius inter πραχθέντα Salvatoris obſervandum, ſunt ſtupenda ipſius miracula, qvibus & vocationem & doctrinam ſuam probavit, prout diſcipulis Johannis περὶ τοῦ ἐρχομένου ſciſcitantibus ad miracula præſentia provocando realiter reſpondet, Matth. XI. 5.

§. XLIV. Fuerunt autem miracula tot, ut ſi omnia fuiſſent conſignata, ne mundus ea capere potuiſſet, Joh. XI. ult. & ſi Meſſias ipſe venturus eſſet, illorum qvoqve calculô, qvi Jeſum hunc Nazarenum pro Meſſia non agnoſcebant, plura non eſſet patraturus, Joh. VII. 31. ac tanta, ut ab Orbe condito talia non fuerint audita, Joh. IX. 31.

§. XLV. Hinc & Johannes Baptiſta, licèt aliàs vocatione gauderet immediatâ, miracula nulla edidit, ut ſcil. gloria miraculorum Meſſiæ reſervaretur, & ipſe hâc infallibili teſſerâ faciliùs à ſuo præcurſore diſcerneretur.

§. XLVI. Hæc fuerunt miracula iſta primitiva in ſcriptis Prophetarum, præſertim Eſ. XXXV. 5. 6. prædicta multis paraſangis à ſuccedaneis diſtincta; qvæ & noſtræ doctrinæ non novæ (prout à Pontificiis hôc nomine oſtentui habetur) ſed renovatæ tantùm, & à fermento Pontificio purgatæ fidem fecerunt.

§. XLVII. Et ita erant comparata, ut doctrina ſcriptis Propheticis omnino σύμφωνος miracula

iſta

iſta vel à mirandis tantùm, vel præſtigiis, vel aliis colluſionibus Diabolicis, qvarum ab Adverſariis poſtulabatur, facilè diſcerneret, & ita qvocúmqve oculô vel dextrô, vel ſiniſtrô doctrinam & miracula conſpexeris, reciprocam veritatis atteſtationem deprehendere potueris.

§. XLVIII. Qvi tamen circulus in probandis miraculis vitioſus non eſt (qvalis v. g. petitio principii, qvæ ad primam Syllogiſmorum impotentiam refertur, & Pontificiis non eſt infreqvens) ſed approbatus, qvalis in tertia Syllogiſmorum potentiâ locum habet, & ſuum uſum poſtmodùm ἐν κυκλοδείξει oſtendit.

§. XLIX. A Moyſis & Prophetarum miraculis non tantùm in eo differebant, qvòd erant gratioſa, regno Chriſti accomodata, ſed & qvòd ἰδίᾳ δυνάμει, i. e. propriâ virtute (undè pro adſtruendâ Chriſti Deitate ducimus argumentum) patrabantur.

§. L. Siqvidem Apoſtoli non ἰδίᾳ δυνάμει, ſed in nomine JESU Chriſti crucifixi & reſuſcitati miracula ſua edebant, Act. III. 12. & Chriſtus miraculis gloriam propriam manifeſtabat, Joh. II. 11.

§. LI. Qvamqvàm autem ſecundùm humanam naturam communicatâ virtute miracula feciſſe facilè concedamus, immenſô tamen intervallô à Prophetis & Apoſtolis, cum qvibus DEUS etiam concurrebat in producendis miraculis, diſtabat.

§. LII. Prophetæ ſiqvidem & Apoſtoli erant ſaltem ὄργανα ſeparata, non conjuncta; παραστατικά, non ὑποστατικά, perſonali unione cum DEO copulat

§. LIII. In qvo ipſo Reformatos carnem Chriſti ὄργανον ἀνενέργητον, qvale baculus erat Moyſis (qvod tamen

tamen ἔυχρηςον cana & ſana credidit antiqvitas) facientes notamus.

§. LIV. Hoc autem exercitium communicatæ majeſtatis ſtatum Exinanitionis minimè tollit, cùm aliud ſit χρῆσις ὁλικὴ, aliud μερικὴ; aliud dominatus inceſſans; aliud per intervalla temporum interruptus. Hunc ſiqvidem in ſtatu exinanitionis concedimus, illum autem negamus.

§. LV. Non qvidem nos præterit, fuiſſe, qvi plenarium exercitium communicatæ majeſtatis carni Chriſti à primo conceptionis momento, etiam in ipſa morte, conceſſerint, ſtatum exinanitionis per nudam κρύψιν definientes, cur tamen ab iiſdem non ſtemus hac in parte, rationibus ducimur & adducimur ſeqventibus.

§. LVI. Scriptura qvippe 1. ſtatum exinanitionis in propria ſede, Phil. II. 7. non per κρύψιν, ſed per veram κένωσιν, i. e. evacuationem uſus (prout εἰς τὸ κενὸν laborare operationi efficaci opponitur) definit.

§. LVII. Ita verò habent verba textûs ἐμφάτει penetrantiſſimâ plena: JESUS Chiſtus, cùm eſſet in forma DEI, non rapinam arbitratus eſt τὸ εἶναι ἴσα τῷ θεῷ, ſed ſemetipſum exinanivit formâ ſervi ſumtâ in ſimilitudine hominum conſtitutus, & figurâ repertus ut homo &c.

§. LVIII. Per formam DEI qvidam divinam naturam, qvidam Apoſtoli mentem penitiùs introſpicientes communicatam divinam majeſtatem, & rectiùs intelligunt. Sicuti enim per formam ſervi non intelligitur πρώτως humana natura; (cùm Chriſtus formam ſervi depoſuerit, humanam naturam nunqvam) Ita nec per formam DEI πρώτως divina natura, ſed carni communicata divina majeſtas intelligitur.

§. LIX. Interim tamen ſicuti per formam ſervi

ἐπο-

ἐπομένως humana natura (qvam ſtatus exinanitionis reqvirit) notatur: Ita per formam DEI divina natura (qvam communicatio divinæ majeſtatis præſupponit) conſeqventer indigitatur.

§. LX. Unde nec illis, qvi ex forma ſervi humanam Chriſti naturam, nec illis, qvi ex forma DEI divinam naturam probant, obeliſcum figimus, nec noſtrâ expoſitione Chriſtianis adverſus hoſtes tela ſua eripimus.

§. LXI. In ſubſeqq. verbis ἐχ' ἁρπαγμὸν ἡγήσατο particula negandi ad nomen, non ad verbum referenda eſt, ut ſit propoſitio infinita ex parte prædicati, & hunc habeat ſenſum: ἐχ' ἁρπαγμὸν non rapinam, vel ſibi jure competere arbitratus eſt τὸ εἶναι ἴσα τῷ Θεῷ i. e. ea, qvæ ſibi communicata erant, eſſe æqvalia DEO.

§. LXII. Verba hæc ipſa poſteriora, ſi primâ fronte reſpicias, obſcuritatis nonnihil habent. Sunt, qvi inter ἴσον & ἴσα diſtingvunt, & poſterius adverbialiter explicandum putant, nobis tamen placet ellipſis, qvam ex Camerario Præceptores noſtri obſervârunt, ſubaudienda eſſe hæc verba: τὰ ἑαυτῷ ſcil. communicata divina ἀξιώματα eſſe ἴσα τῷ Θεῷ. Ita ſenſus erit: JESUS Chriſtus, etiamſi haberet divinam majeſtatem communicatam, & ſciret jure (propter unionem perſonalem) eamdem ſibi competere, non tamen per eamdem ſemper operatus eſt in diebus carnis.

§. LXIII. Sed exinanivit ſemet ipſum, i. e. plenariò communicatæ majeſtatis uſu ſe evacuavit, ἄχει (qvæ particula eſt continuativa & terminativa) uſqve ad mortem, mortem autem crucis. Et huic exinanitioni poſtmodùm ὑπερύψωσις opponitur.

§. LXIV. Si Chriſtus in diebus carnis ne

habuerit qvidem, ubi reclinet caput, cùm tamen vulpeculis ſuæ ſint foveæ, avibus ſui nidi, cælum & terram ſecundùm humanam naturam exercitiô plenariô à primo conceptionis momento non gubernavit, niſi qvis ex profundiſſima Chriſti exinanitione meram ſimulationem & diſſimulationem facere, noſtræqve redemtionis precium imminuere velit. Et hûc alludit Apoſtolus, 2. Cor. VIII. 9. Scitis gratiam Domini noſtri JESU Chriſti, qvoniam propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut nos illius inopiâ diteſceremus.

§. LXV. 3. Nec in paſſione ſua virorum omnium abjectiſſimus fieri Eſa. LIII. 3. nec ab Angelo ſolatium accipere, Lucæ XXII. 43. nec à DEO deſeri, Matth. XXVII. 46. paucis, nec pati, nec mori, ſtante iſtâ de occulto regimine univerſali ſententiâ, potuiſſet. Unde Scriptura paſſionem & mortem exaltationi anteceſſus ratione præmittit, Luc. XXIV. 26. 27. Nonne Chriſtum hæc pati, & in gloriam ſuam intrare oportuit. Pſal. CX. ult. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

§. LXVI. 4. Scriptura demum poſt ſeſſionem ad dextram ſtatum plenarium exaltationis orditur, Act. II. 33. Poſtqvàm ad dextram DEI exaltatus eſt, & accepit promiſſum Spiritûs Patris, effudit hoc, qvod videtis. Pſal. CX. 1. Dixit DOMINUS Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

§. LXVII. Diſſentientes h. l. qvò θέσιν poſſint διαφυλάττειν, unionem inprimis perſonalem & communicationem τῶν ἀποτελεσμάτων urgent, qvarum priorem ſolvi, poſteriorem negari putant, niſi Chriſto

ſecun-

ecundùm carnem à primo conceptionis momento hoc plenarium regimen concedatur. Sed frustra sunt suis objectionibus. Distingv. enim inter præsentiam intimam & extimam, sive inter præsentiam carnis ad Λόγον, & carnis ad creaturas: Illam in diebus carnis concedimus, hanc aut negamus, aut in suspenso relinqvimus. Nec exclusivam qvantum ad communicationem operationum opponimus personæ, sed alteri naturæ largiendo vel qvatuor, si nobis essent, manibus, Λόγον qvidem post incarnationem omnia in carne, non tamen per carnem semper egisse.

§. LXVIII. Phrasin Leonis non Biblicam, sed Ecclesiasticam qvod concernit, Christum secundùm carnem à primo conceptionis momento ad dextram DEI fuisse evectum, à phrasi Biblica, Christum sedere ad dextram DEI, dicimus esse aliam. Si per evectionem istam vel ipsa unio personalis, vel communicatio τῶν αὐχημάτων divinorum intelligitur, à primo conceptionis momento locum ipsi relinqvimus: si verò αὐχημάτων communicatorum χρῆσις plenaria: post ascensionem in cælos demum cœpisse filum Scripturæ Ariadnéum secuti asseveramus.

§. LXIX. Verba cantilenæ istius Ecclesiasticæ: Gar heimlich führt er seine Gewalt. &c. sententiam nostram ἀνίκητον, καὶ ἀκίνητον stare permittunt. Non enim κρύψιν χρήσεως, qvod voluêre Tübingenses, sed κτήσεως respiciunt. Imò, si status exinanitionis in nuda occultatione regiminis universalis consisteret, Christus non suiipsius, sed aliorum respectu fuisset exinanitus.

§. LXX. Primam hujus sectionis partem altera, qvæ τὸ δικάσκειν continet, excipit. Utut verò boni Patrisfamiliàs exemplô Salvator noster è

thesauro suo & vetera & nova, legem & Euangelium protulerit, à potiori tamen factâ denominatione Euangelium, novis etiam adpensis sigillis, prædicâsse, suísqve discipulis prædicandum injunxisse Scriptura dicit, Lucæ IV. 18. Marci XVI. 15.

§. LXXI. Legis Doctorem cùm dicimus Salvatorem nostrum non statim novum Legislatorem cum Pontificiis & Photinianis, imò Turcis facimus, qvasi qvi legem Mosaicam in multis mancam & mutilam perfecerit, novísqve præceptis adauxerit.

§. LXXII. Non autem consideramus Christum h. l. ut Λόγον ἄσαρκον, qvatenus unà cum Patre & Spiritu Sancto legem in monte Sinai promulgavit, sed ut θεάνθρωπον, qvatenus in diebus carnis ab anno ætatis trigesimo usqve ad mortem crucis Ecclesiam suam docuit & instruxit.

§. LXXIII. Fidelem tunc legis Interpretem egit, qvando eamdem à corruptelis Pharisæorum (qvæ circa Maccabæorum tempora, & paullò pòst magnô numerô irrepserant) perpurgavit, suóqve nitori restituit.

§. LXXIV. Qvòd enim Moyses in lege sua παναρμονίαν omnium virium nostrarum reqvirat, nec actus duntaxat externos aut motus περιφερικὸς saltem vetet, partim ex præcepto decimo de concupiscentia, partim ex compendio legis, Deut. VI. 5. Sole meridianô clariùs apparet. Ut per singula præcepta id diducamus, instituti nostri non fert ratio, sed conflictui, si qvid movebitur, id reservamus.

ΤΜΗΜΑ III.

§. I.

Egressum, qvem ad adscensionem, totius itinerarii Christi felicem clausulam, h. l. non extendimus, sed in morte finimus, qvod spectat, controversias secundùm circumstantias qvasdam paucissimis delibabimus.

§. II. 1. Qvis passus & mortuus? Non nudus homo, uti volunt Photiniani, sed Filius DEI unigenitus & proprius, Joh. 1. 14. Roman. VIII. 32. DEUS verus, 1. Joh. V. 21. DEUS magnus, Tit. II. 13. DEUS benedictus in secula, Rom. IX. 5.

§. III. Nec per allæosin Cinglianam, qvam Diaboli larvam appositè vocat Lutherus, DEUS passus est. Propriô qvippe sangvine DEUS redemit Ecclesiam suam, Act. XX. 28. Autor vitæ interfectus, Act. III. 15. DOMINUS gloriæ crucifixus est 1. Cor. II. 8. Et nisi DEUS inesset in altera lance, uti ex Luthero pulchrè loqvitur Concordiæ Formula, lanx altera peccatis nostris onusta præponderaret.

§. IV. 2. Qvid passus est? Non mortem tantùm temporalem, ut volunt Pontificii, sed æternam, vel æternæ æqvivalentem. Qvî enim à pœnis infernalibus exemtus esset, in qvem DEUS omnia peccata nostra conjecerat, Esa. LIII. 6. qvem DEUS peccatum pro nobis fecerat, 2. Cor. V. 21. qvi peccara nostra in corpore suo super lignum portaverat, 1. Petri II. 24. qvi legis maledictionem subierat, Gal. III. 13.

§. V. Qvòd vero ex passionibus infernalibus

emerſerit, id facit dignitas perſonæ, qvæ infinita eſt, & triduanâ morte pati poteſt, intenſivè, cui omnes damnati extenſivè ferendo nec ſunt, nec erunt.

§. VI. 3. Cur paſſus eſt? Non ut ſibi gloriam futuram acqvireret, ceu volunt iterum Pontificii, cùm nobis natus, nobis datus, Eſa. IX. 6. adeóqve omne noſtrum ſit, qvidqvid agendo & patiendo acqviſivit.

§. VII. Neqve ut ſaltem pro peccato ſatisfaceret originali, uti docuerunt qvondam Scholaſtici, cùm ſangvis JESU Chriſti Filii DEI nos emundet ab omni peccato, 1. Joh. 1. 8.

§. VIII. Neqve ut ſaltem ab æterna pœna, non temporali nos liberaret, cùm omnis pœna peccatis noſtris debita, ut nos pacem haberemus, ſuper Chriſtum conjecta ſit, Eſa. LIII. 5. piorúmqve afflictiones non à DEO irato, ſed à miti & placatô Patre proficiſcantur. Hebr. XII. 6.

§. IX. Neqve ſaltem ut exemplar nobis relinqveret, ceu volunt Photiniani, ſed ut animam ſuam daret λύτρον pro multis, Matth. XX. 28. ut δικαίωμα τοῦ νόμου impleret, Rom. VIII. 4. ut eſſet ἱλασμὸς pro peccatis noſtris, 1. Johan. II. 2. & ἱλαστήριον in ſangvine ſuô Rom. III. 25.

§. X. 4. Pro qvibus paſſus eſt? Non pro electis tantùm, non pro qvibusvis tantùm hominibus, i. e. generibus ſingulorum, non ſingulis generum, aut pro omnibus ſufficienter, ſed non efficaciter, ſufficientiâ ſcilicet potentiali & hypotheticâ, ſi DEUS voluiſſet, uti Reformati docent, ſed pro omnibus & ſingulis hominibus qvi fuerunt, ſunt, & erunt. Paſſus enim eſt pro mundo, Joh. III. 16. paſſus

eſt

eſt pro noſtris peccatis, nec pro noſtris tantùm, ſed pro totius mundi peccatis, 1. Joh. II. 2. eſt Salvator omnium hominum, maximè fidelium, 1. Tim. IV. 10. ubi & principale & adæqvatum objectum connectit Apoſtolus. Imò qvi pereunt, hos ſangvine ſuô mercatus eſt, 2. Petri II. 1. Sed ne falcem forſan in alienam meſſem hæc latiore filô deducentes immittere videamur, hôc Eucharisticô Eccleſiæ pro nativitate, paſſione & morte omnibusqve beneficiis receptui canimus: *Grates nunc omnes reddamus DOMINO DEO, qvi ſuâ nativitate* (& pretioſô ſangvine) *nos liberavit de Diabolica poteſtate. Huic oportet, ut canamus cum Angelis ſemper GLORIA IN EXCELSIS, AMEN.*

FINIS.




* * *

* *

Adjiciam hìc è Cl. Dn M. Wilhelmi Stratemanni Oſnabrugâ Weſtphali Oratore Eccleſiaſtico, qvi Schleuſingæ annô M. DC LXII. in 12. *prodiit, p. m.* 339. (*qvi tamen numerus à manu mea eſt, qvia liber ſine paginarum numero editus*) *ſeqventem* CHRISTI *Curriculi vitæ in his terris actæ compendioſam deſcriptionem.*

JESUS CHRISTUS

ECCLESIÆ FUNDATOR.



Oſtqvàm beata temporis plenitudo apparuit, ut Synagoga cum typis & ceremoniis exſpiraret, & ſceptrum de Juda & politia Judaica auferretur: verbum caro factum eſt, ex virgine fabri ſponſa, xv. fortè annorum puella; (ſcribitur enim Maria ex patre Joachimo & matre Anna nata A. M. 3932.) ex qva Servator mundi naſcitur Annô orbis conditi 3947. ineunte octobri juxta alios, qvando apud Judæos Feſtum tabernaculorum erat peractum.

Naſcitur autem Bethlehemi & qvidem juxta Hieronymum, alióſqve, non in ipſo oppido; ſed in latere ejus orientali juxta mœnia in ſpelunca ſub rupe exciſa, qvæ viatoribus oppidô excluſis erat pro diverſorio, de qva tamen ſententia Juſtini, Epiphanii, Baronii &c. meritò docti dubitant.

Præcones nativitatis Dominicæ Angeli exſtiterunt,

runt, gloriam in excelſis Deo canentes, qvi Angelicus concentus ſancto Ignatio Martyri anſam præbuit, ut antiphonas ſeu hymnos alternatim canendos in Eccleſia inſtitueret; Cumprimis de exhibito Meſſia certiores fiunt paſtores, excubias agentes ſuper gregem de turri Ader, ut ſcribit Hieronymus. (*Epiſt.* XXVII.)

Ab his Bethlehemiticorum paſtorum vigiliis originem ſuam habere videntur pervigilia Chriſtianorum, diebus feſtis ſolennioribus olim inſtituta. Harum vigiliarum antiqviſſima eſt, qvam in Paſchali feſto celebrabant, ab ipſis Apoſtolis inſtituta, ſi fides habenda ſit conſtitutionibus Apoſtolicis, de qvibus tamen viri docti dubitant.

Acceſſêre poſteà aliorum etiam ſolennium vigiliæ, qvas cum magna reverentia priſci, uſqve ad noctem peragebant, donec à vero cultu ad ſuperſtitionem ea res delaberetur. Eccleſiæ Latinæ in hac natali vigilia ſolebant perlegere ſtiſtoriam nativitatis ex Matthæo.

Ceterùm in eadem hac ſpelunca (in qva poſterior ætas bovem & aſinum poſuit) die 8. puer Jeſus à nonnullis, ſed ſine ſolidis rationibus, circumciſus dicitur, qvô ipſô arrham redemtionis noſtræ & ſui ſangvinis primitias patri cæleſti obtulit. 40. pôſt die Hieroſolymis in Templo ſiſtitur, Deo devovetur, mater purificatur. Dum hæc fiunt, Magi Dynaſtæ ex Perſia gentium primitiæ adſunt, & novo Regi oblatis muneribus qvaſi homagium præſtant, iter emenſi trecentorum ſeptuaginta qvinqve milliarium Germanicorum, ducti à ſtella nova.

Intereà Herodes Tyrannus novum regem metuens infantes bimulos omnes in Bethlehemitico tractu occidi jubet, qvos proinde Eccleſia pro Martyrum primitiis veneratur: Sed puer Jeſus mani

bus Tyranni elapſus, in Ægyptum fugit, qvô adveniente, idola Ægypti corruiſſe, ſcribit Hieronymus (vixit ſeculô 4.) in c. XIX. I. *Eſaiæ.* Sozomenus tradit, juxta Hermopolim fuiſſe arborem, qvæ coram adventante Chriſto ſe inclinaverit, eumqve qvaſi, adoraverit, cujus arboris fructum poſteà fuiſſe præſentiſſimum remedium, ad omnis generis morbos propulſandos.

Bienniô vel juxta alios ſeptenniô exactô, poſt mortem infanticidæ, ſub Archelao redit non qvidem Bethlehemum, ſed in oppidum Galilææ Nazarethum, à qvo Jeſum Nazarenum, ejuſqve Sectatores Nazaræos vel Galilæos vocârunt.

Cetera ejus acta in annis adoleſcentiæ non conſtant uſqve in annum 30. niſi qvòd puer duodecennis cum Rabbinis in templo per integrum triduum diſputârit. Vero ſimile tamen eſſe putant nonnulli, qvòd fabrilem artem cum Joſepho exercuerit. Juſtinus Martyr ſcribit in dialogo cum Tryphone, eum ſæpè aratra & juga boum confeciſſe. †

Chri-

† Placet hæc inluſtrare verbis B. Jacobi Thomaſii è Præfatione XIX. p. m. 103. ſ. *Celebrant*, inqvit, *hodie temporum atqve Ephemeridum Correctores Pontificii feſtum Nativitatis JESU CHRISTI. Deum autem immortalem! qvot hic fabulas de Joſepho, de Maria, de miraculis qvibusdam, qvæ DEO naſcente paſſim contigerint, otioſi monachi, credulitati plebis illudentes, aut commenti ſunt ipſi, aut acceptas atqve in Pſeudeuangeliis qvibusdam diſſeminatas à vetuſtiſſimis hæreticis recoxerunt atqve incruſtârunt? Ita enim eſt: non parvus narratiuncularum ejusmodi cumulus ex illis rhapſodiis prodiit, qvibus aut librorum Euangelicorum venerandam appellationem imponere, aut eximii alicujus Eccleſiæ Doctoris nomen præfigere non puduit vel auctores, vel qvi alii fucum facere*

Christus in publico ministerio.

Triginta qvasi annorum erat Christus Jesus, qvando Johannes eremi incola, baptismum illi con-

facere vellent imperitis; qvippe qvi probè intelligerent sub veri auctoris confessione merces hujusmodi vanas & bonæ frugis cassas non facilè emptorem posse invenire. Talis, ut vel unum nominem, liber ille est opidò insulsus de nativitate Sanctæ Mariæ: qvem superiorum seculorum imperitia Beato Hieronymo attribuit, cùm revera prodierit ex officina Seleuci Manichæorum Apostoli, id qvod contra Christophorum de Castro evincit Casaubonus, Exerc. I. ad Baron. n. 15. p. 74. (m. 99.) *Sed qvantumcúmqve absurdæ atqve ineptæ sint hæ fabulæ: non est tamen dubium, iis hâc die in templis Papicolarum simplicis plebeculæ aures ad usqve satietatem oppletum iri. Qvòd si qvis hæc talia piarum fraudium titulô excusare tentet, qvasi qvæ eò valeant, ut sacrorum mysteriorum major sit in pectoribus hominum æstimatio, magísqve veneranda qvæpiam dignitas: is admonendus est, tam esse multa de sacris fidei miraculis prodita vera, ut nihil sit opus mendaciis. Neqve exspectandum est, ut fabularum istarum adminiculô in ardentiorem rerum divinarum contemplationem erigantur animi hominum. Qvin potiùs occupati illi næniis anilibus, dum aure patulâ atqve ore hianti fictis de nativitate Christi prodigiis inhiant; dum in fontem, qvi in spelunca natali exortus sit, cogitationes immergunt;* de qvo idem Casaub. Exerc. II. n. 3. p. 124. *dum fontem alium in liqvorem olei versum inspectant;* Stegman. Christognos. Part. I. melet. 5. p. 277. *dum tres Soles in oriente, qvi in unum mox coaluerint,* (id. ibid.) *lustrant, dum in arborem, qvæ se Domino in Ægyptum profitiscenti incurvaverit, conscendunt:* Casaub. Exerc. II. n. 14. p. 142. Glyc. Part. IV. annal. p. 388. *verorum interim miraculorum, qvòd* DEUS *homo factus sit, qvòd in stabulo vagiat Regis supremi filius, qvòd præsepe capiat qvem cælum non capit, obliviscuntur. Est igitur*

conferebat, cui actui adoranda Trinitas visibiliter aderat, Pater sub voce in nube: Filius in forma hominis, Spiritus S. in specie columbæ. Et qvidem Baptismus institutus annô ætatis 30. d. 18. Septembris, Festô expiationis, Johannes autem ante dies 10. die nimirum Tubarum, baptizare cœperat.

Ex divi corporis contactu aqva Jordanis miraculorum vim adepta est, ut sæpius leprosi inde mun-

igitur commentorum hujus farinæ utilitas nulla, ac potiùs incommodum manifestum, neqve nulla impietas; siqvidem talia qvi comminiscuntur, DEO ipso volunt esse sapientiores, qvasi qvem fugerit, qvæ nascente filiô portenta aut monstranda essent orbi, aut propaganda ad posteros. Sed omittamus totum hoc fabularum genus. Hæc Thomasius. De libro Hieronymi venit in mentem testimonium Bonfrerii, B. Gerhardo nostro adductum, in Comment. in Deuteron. VII. 14. p. m. 491. *Liber*, inqvit in Comment. in cit. loc. Deuteron. *de Nativ. Mariæ non est Hieronymi, sed Seleuci Manichæorum discipuli*: si modò hæc verba Jesuitæ sint & non potiùs ipsius Gerhardi, ipsum enim Bonfrerium ad manus in præsentia non habeo. Utut sit. *Docti sciunt*, inqvit Molanus de. Picturis, c. XXI. *fabulosum esse hunc tractatum & Hieronymô indignum.* Vide Rob. Cocum in Censura, p. m. 307. edit. opt. Helmestad. cIɔ. Iɔc. LV. in 8t. B. Gerhard. in Patrolog. p. m. 318. f. edit. Jenens. cIɔ. Iɔc. LIII. in 8t. D. Dorsch. in Anti Cornæo, c. XXVIII. §. II. p. m. 376. Si ad manus esset Cl. Dn. M. Hilscheri Dissertatio elegans de Erroribus Pictor. circa Nativitatem Christi, fortè nos aliqvid hic ex ea addere possemus, at destituor eâ, eamqve valdedesidero. De Fabulis Pontificiorum circa Nativitatem Christi prolixè tractant B. D. Joh. Schmidt in Programm. Dissertationi II. Admirandor. Jesu Dorschei præmisso, p. III. f. B. Dorscheus ipse d. l. p. 190. 230. f.

mundati recesserint, qvemadmodùm ex fideli relatione eorum, qvi ea loca accesserunt, recenseri scribit Gregorius Turonensis, lib. de gloria Mart. c. XVII. Baptizatum Dei Spiritus in eremum duxit, ubi 40. dierum jejunium & varias tentationes subiit, ex qva re jejunium qvadragesimale ortum est.

Ex eremo ubi rediit, collegium discipulorum, in qvo primi fuerunt Andreas & Petrus, instituit: Nec diu pòst nuptias Canæ Galileæ, in qvibus Johannem Apostolum sponsum fuisse, nonnullorum commentum est, miraculorum suorum primitiis honoravit.

Inde Capernaum reversus jus municipale in ea urbe obtinuit.

Cæterùm historia vitæ Christi commodè ad 5. † Paschata refertur, qvorum primum fuit annô 30. expletô, in qvo ementes & vendentes templô ejecit, & Nicodemus disputationem nocturnam cum Christo instituit. Pascha secundum erat annô 31. qvando per sata ibat, discipulis vescentibus, matura, qvòd non nisi Paschate accidere potuit, tùm enim in Palæstina messis erat.

Tertium Christi Pascha in annum 32. incidit, qvando cum Pharisæis de traditionibus Patrum disputabat. *Matth.* XXIII. I.

Pascha qvartum est annô 33 ad qvod dum iter suscipiebat, Apostoli Samaritanos igne cælesti corrigere volebant (*Luc.* IX. 5.) Accidisse autem hoc iter circa Pascha, ipse Christus innuit, cùm

per

† Vide B. Mart. Chemn. Harmon. p. II. a. b. Dn. Caspar. Heunischium Theologum Schweinfurtan. in doctissima Consultatione, num annus M. DC. LXX. futurus sit hujus Mundi ultimus §. XL. f.

per ſata tranſiens, ait: *Meſſis multa, operarii autem pauci.*

Paſcha qvintum & ultimum in annum 34. incidit, & paſſione Dominicâ notabile eſt. Intra hæc Paſchata Eccleſiæ ſuæ fundamenta habitis concionibus collocat, & miraculis ita inclareſcit, ut ipſe Joſephus (vixit ſeculô 1.) homo Judæus, rerum Judaicarum exactiſſimus ſcriptor, illuſtre ei præbeat teſtimonium: *Fuit*, ait, *Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere, erat enim mirabilium operum patrator, & Doctor eorum, qvi libenter vera ſuſcipiunt. Chriſtus hic erat, qvem noſtræ gentis principes accuſârunt, Pilatus cruci affixit: Sed qvi ab initio cæperant diligere eum, non deſtitêre. Tertiâ enim die vivus apparuit: Unde in hunc uſqve diem Chriſtianorum genus perſeverat* (*lib.* XVIII. *antiq. Judaic.* c. IV. al. VI.

Chriſtus in opere Redemptionis.

Circa qvintum Paſcha acerba Chriſti & cruenta pro nobis miſeris peccatoribus redimendis paſſio, tragica mors, læta reſurrectio & ſuper omnes cælos aſcenſio contigerunt. Et qvidem ex Hiſtorica antiqvitate paſſionem Dominicam hîc paullò uberiùs declarabimus.

Egreſſus autem eſt trans torrentem κέδρων (*Joh.* XVIII. 1.) Alii exponunt *trans torrentem cedrorum*; ut ſicut dicitur mons olivarum, ab olivis hinc inde conſitis: Ita torrens *cedrorum*, à multitudine earum in torrente conſitarum. Super torrentem Cedron David, perſecutionem à filio ſuo degenere Abſolone perpeſſus, flens & opertô capite cum exercitu tranſibat (2. *Sam.* XV. 23.) Ab Hieronymo cedron appellatur torrens ſi-

ve

ve vallis, juxta Jerusalem ad orientalem palgam.

De Gethsemane Matth. XXVI. 36. dicit Benedictus rias Montanus, idem Latinis esse ac hortum ornatum sive pingvem; seqve Tridenti hujusmodi hortorum vias vidisse. Angelus autem Caninius in Enarrat. Locor. aliqvot Novi Test. p. 44. edit. Paris. M. D. LIV. in 4to, dicit: *Gethsemane non est vallis pingvium nec fundus & prædium; Geth. enim Hebraicum non est; Sed sunt duo vocabula Syriaca* גת־שמני *pecuaria butyri.* גת *geth enim respondet Hebraicæ voci* מקנה, *&* שמן *seman est* חמאה *butyrum. Is enim locus à copia butyri id nomen nactus est.*

Ῥαπίζειν putat Theodorus Beza non posse exponi de alapis; sed exponendum esse tantùm de plagis baculô vel virgâ inflictis. Verùm primaria qvidem notatio ῥαπίζειν est ea, qvâ baculô vel virgâ percutere significat: Interim tamen negari neqvit, illud verbum & de percussione, qvæ manu fit, usurpari, ut *Es.* L. 6. *Matth.* V. 39. Est autem ῥαπίζειν palmâ; Κολαφίζειν verò pugnô aliqvem percutere, & Euangelistæ mens est (*Matth.* XXVI. 67.) alios qvidem pugnô; alios verò palmâ Salvatorem innocentissimum percussisse.

Porrò *columnæ* est adligatus *Leo* fortissimus *de Tribu Juda*, olim effigie Leonis præfiguratus, signatâ in vexillo, qvod tribus Juda in bellum progressa præferebat. Et ex suorum Majorum traditionibus referunt Judæi, in igne sacrificia absumente Leonis fuisse conspectam imaginem. Qvod si verum est, nullum est dubium, eâ re Christum Leonem, ob robur suum invictum ita dictum, adumbratum fuisse.

Traditus est Jesus militibus verberandus: *& illud sacratissimum corpus pectusqve Dei capax, flagella*

sen

senserunt. (Sunt verba Hieronymi in c. XXVI. Matthæi.) Barrabas exiit absqve scuticæ contactu, *qvi seditiones faciebat in turbis; qvi homicidiorum auctor erat, dimissus est populo Judæorum*, i. e. *Diabolus*; pergit ille, *qvi usqve hodie regnat in illis, & idcircò pacem habere non possunt*, Jesus autem à Judæis traditus, absolvitur ab uxore Pilati, & ab ipso præside justus appellatur.

Sed qværat, pergit, eruditus lector: qvomodo sibi conveniat, Pilatum lavisse manus & posteà flagellatum tradidisse Jesum? Sed sciendum, Romanis eum ministrâsse legibus, qvibus sancitum est, ut, qvi crucifigitur, priùs flagellis verberetur.

Flagra fuisse immania, instrumentorum atrocicitas aperit. Nam *virgis & loris taxillatis, pecuinis ossibus catenatis*, cædi, usus fuit. Sed mi Jesu, meritò exclamat ille, cur non aliqva nubium te texit? Cur non vel radium aliqvem potentiæ exseruisti? Cur non aliqvis Cherubinorum satelles te obumbravit?

Vidimus alapas & palmî & pugnô Salvatori inflictas, vidimus nudi corporis ad columnam fustigationem, videbimus jam ultimum supplicium & pœnam extremam. It jàm Servator tanqvàm crucis candidatus vestibus suis iterum indutus: ut ab omnibus posset agnosci, nec diu à virgis, fustibus, stimulis aculeatis liber. Ibat hinc illinc vapulans, compulsus, divexatus, dejectus, ejectus, inqvit alius, virgis & scuticis diverberatus & stimulis compunctus, post se trahens patibuli patentem & transversam partem, stipiti inferiori jam ante defixo jungendam.

Fuit Crux & *simplex* & *compacta*, *Hæc* fuit vel *decussata* formam literæ X. qvæ Andreana dicitur: qvòd tali Apostolus Andreas fuerit occisus: Vel *com-*

commissa, in formam literæ T. majusculæ: Vel *immissa*, in qva aliqvantum stipitis supra caput eminet ut †. Jam crucem Christi immissam fuisse testatur Justinus Martyr, qvi agnoscit partem supremam, qvam Tertullianus appellat crucis caput. Dicitur autem, integram immissam crucem longam fuisse qvindecim pedes; supra terram multùm eminentem & in terram longè defixam, & qvidem talem fuisse addunt; ut possent scalæ adscensuris militibus Christum affigentibus adplicari. Proinde integram crucem immissam; vix duobus bajulis portandam, Dominus præcedentis noctis & diei vigiliis, flagellatione, & circumductione delassatus, portare non potuit.

Sed jam à transversa parte videbatur Dominus opprimendus, qvare impellitur Simon Cyrenæus ad ferendum post Dominum ignominiosum & abominabile lignum: cujus vel contactum putabant inauspicatum. Refugis, bone vir, & crucem horres contrectare? Sed ô Simon, rectè exclamat noster Dilherrus; noli erubescere; noli pudefieri de cruce Christi, qvam portas. Hæc crux, pergit, est Labarum: qvod omnes Deo militantes seqventur: ac proinde tu vexillifer. Clavis est, qvâ aperiendi sunt cæli: & proptereà tu claviger. Gladius est, qvô jugulandus Dæmon: cujus tu es armiger.

De cruce Christi ita scribit S. *Augustinus* seculô qvintô (*De temp. serm.* CLXXXI. *in vigilia Pent.*) *Ipsa crux magnum in se mysterium continet: cujus positio talis est*, † ut superior pars cælos petat; inferior terræ inhæreat fixa; in infernorum ima contingat. Latitudo autem ejus partes mundi adpetat. Qvia & Christus per passionem crucis Angelis profuit in cælo: qvorum numerus, qvia per apostatam Angelum imminutus fuerat, ex

animabus fidelium qvotidiè adimpletur: & nobis, qvi ſumus in terra, & illis, qvi ob peccata ſunt in inferno; Sed & ipſis, qvi in diverſis mundi partibus habitant. Jacens verò crux qvatuor mundi partes adpetit, orientem, occidentem, aqvilonem & meridiem, qvia Chriſtus per paſſionem omnes gentes ad ſe trahit, omniaqve ſibi ſubjugavit.

Deventum ad locum feralem, in qvo cæleſtis Iſaac, qvi ipſe ſuum attulerat lignum, verè mactandus, & hoſtia tot hoſtiis præfigurata cædenda, dejicitur in terram, qvô ſolô ſuſtinente ſtat, qvisqvis non cadit. Omnia membra immaniter diſtenduntur, pectus & brachia funibus crudeliter ligantur; manus atrociter ferrô fodiuntur, lignum transverſarium terebrâ utrinqve in iſtis locis, ad qvæ manus porrigere poſſe putabant, perforatur; poſteà ſtipiti vectibus jungitur, funibus aliis pectus, ſub ipſas alas ambientibus, aliis brachia comprehendentibus, à militibus, qvi admotis utrinqve ſcalis inſiſtebant, attrahitur. Violentis funium vinculis brachia denuò convelluntur, ad patibuli foramina adiguntur, & manus clavis jam perterebratæ, & poſteà etiam pedes eâdem atrocitate figuntur. Nec cancellati, ut docet *Gregorius* Turonenſis, ſed ſeparati duobus figuntur clavis.

Ligni ſuppedanei aut tabellæ, in qva innixi & ſimul pedes fixi, antiqviores non meminêre. Neqve verò, ſi maximè ponatur cum Gregorio Turonenſi (vixit ſeculô VI.) qvem Scaliger ſeqvitur, ſuſtinendæ moli qvidqvam feciſſet. Nam qvô arctius corpus & pedes recto ſtipiti adplicantur, eò illud prorſum ruit proniùs. Mentionem autem injiciunt Irenæus, Tertullianus aliiqve ſcriptores vetuſtiſſimi, ligni, medio ſtipiti arrectario impacti. Et hujusmodi cornu medii uſus cruci erat ne-

necessarius, cui insiderent crucifixi; & in qvo qvasi veherentur, ne ruptis manuum nervis, & tendinibus, cùm dies sæpè plusculos penderent, proni corruerent. Et in tali sedili & Salvator noster sedit & qvasi vectus fuit. Et ut cruciatus eò diriùs cruciaretur, istud sedile fuit acutum: qvò sedentis membra exqvisitò secarentur, horrore. Hodie autem ut & olim absqve isto sedili fuerunt cruces expressæ, qvòd Christiani primùm ductibus digitorum crucem in aëre formarent, vel fronti suæ, tanqvàm fidei in Christum crucifixum tesseram, qvasi imprimerent.

Caussa mortis & titulus capiti crucis emicanti in tabella adpensus lingvis Ebræâ, Græcâ, Latinâ: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Syrus habet: *Hic est Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Matth. XXVII. 38. Per lingvam autem Ebræam intelligitur Syriaca, tempore Christi Judæis vernacula, qvæ in N. T. etiam vocatur *Ebræa.* Et qvidem *Ebræâ*, propter Judæos; *Græcâ*, propter Gentes undiqváqve congregatas, qvarum pleræqve non ignaræ erant hujus lingvæ, per totum ferè orbem, tum diffusæ, teste Cicerone. *Latinâ* propter Romanos, in qvorum potestatem Judæi à Pompejo Magno primùm erant redacti (circa A. M. 3900.)

Regem verò Judex injustus vocavit: non qvòd Regem Sionis ipsum esse crederet; Sed qvòd seditionis, in Imperatorem Romanum excitatæ, regníqve affectati, fuisset insimulatus. Dicunt enim Judæi: *Camperimus istum dicere, se Christum* i. e. *Regem esse.* Luc. XXIII. 2. Summa itáqve accusationis hæc erat:

Reus hic docuit: Cæsari tributa non esse danda, sed sibi potiùs. Qvia ipse sit Christus, promissus ille mundi Messias, cui omnes alios Reges obedire conveniat. Nimis enim animis eorum

insederat opinio, Messiam fore Regem mundanum, qvi veterem Israëlis majestatem sit vindicaturus & amplificaturus. Cùm illa tempora, qvæ multum splendoris rebus Judæorum ademerant, variis seditionibus & clandestinis molitionibus infamata essent: Illa calumniatorum accusatio non videbatur nihil probabilitatis habere. Romanâ verò lege auctores seditionis pro qvalitatis dignitate, aut bestiis objiciebantur, aut in crucem tollebantur.

Facili negociô redarguuntur blasphemi Judæi, qvi negant, Christum vivum esse crucifixum; sed tanqvàm blasphemum priùs Judaicô more lapidatum. Scribunt qvidem ita: *Non fuit mos in Israël, ut clavi figerentur in pedibus & manibus hominum lapidatorum & suspensorum. Nam tradita sunt qvatuor genera mortis Judicibus:* scilic. *lapidatio, combustio, occisio, strangulatio.* Occisio fit gladiô: & est lapidatio durior combustione, & combustio gravior gladiô, & gladius durior strangulatione. Non autem invenitur, qvòd homo clavis figi debeat ad crucem: Sed suspendendus est blasphemus & idololatra, juxta id qvod dicitur: *Maledictus est suspensus.* Suspenduntur autem in hunc modum, pergunt Rabbini: *postqvàm lapidaverunt eum, demittunt stipitem in terram; è qvo protenditur lignum; & duabus manibus, conjunctis suspendunt eum versus occasum solis; & solvunt eum paullò pòst: & lignum, in qvo fuit suspensus, sepelitur cum eo.* Hæc illi: Sed addunt & seqventia: *Qvadraginta annis ante Templi secundi destructionem, potestas judiciaria fuit sublata, eò qvòd homicidæ invaluerunt, & dissipaverunt judicia capitalia ex Israël.*

Hoc posterius alii etiam probant ex *Joh.* XVIII.

XVIII. 31. *Nobis non licet ullum occidere.* Qvæ verba an hoc probent, nonnulli dubitant.

Aliàs notum, qvòd per Romanos illis fuerit ablata poteſtas; & qvidem ita, ut non liceret illis ſine adſenſu præſidis, ſententiam capitis ferre in eos, qui ſecundùm legem morte erant afficiendi.

Sciendum autem hìc, crimina eſſe commiſſa vel contra leges Romanorum, ut furta, latrocinia, homicidia, ſeditiones &c. Et hæc ſolus Præſes Rom. vindicabat; vel contra legem Judæorum, ut blaſphemia in Deum, aliáqve de qvibus Romanorum leges ſilent: & tùm ſi pœna capitis juſſu legum Judaicarum eſſet infligenda, ab ipſis fiebat judicium, Præſidis tamen conſenſu, qvô in delictis minoribus non erat opus.

De modo ſuſpenſionis ſive cruxifixionis Judæis uſitatæ, hæc habet *Moſes Maimonides*: *Non ſuſpendunt ſuper arbore: qvæ radicibus ſolo adhæreat; Sed ſuper ligno eradicato, ut ne ſit ejus occiſio moleſta. Nam lignum, ſuper qvo fuit aliqvis ſuſpenſus, cùm ſuſpenſo ſepelitur; ne maneat illi malum nomen, nec dicant homines: iſtud eſt lignum, in qvo hic vel ille ſuſpenſus eſt. Sic lapides, qvibus aliqvis fuit lapidatus, & gladius, qvô aliqvis occiſus fuit; Sic ſudarium, qvô aliqvis fuit ſtrangulatus, omnia hæc cum iis, qvi perierunt, ſepeliuntur:* Hæc ille.

Ceterùm, qvamqvàm lignum illud, in qvo fixa fuêre *membra Chriſti morientis, eidem fuit cathedra docentis*, ut S. Auguſtinus loqvitur, *& intercedentis*; nemo tamen erat, qvi miſereretur. Ne qvidem à tortoribus impetrare poterat potûs reficientis hauſtum. Illi enim tam *longè ab omni aberant humanitate*, ut ait Cyrillus; *ut pro juvante potu & jucundo, nocentem & acerbum obtulerint: & hu-*

manitatem, qvâ moveri videbantur, cùm petenti potum darent, in impietatem converterunt.

Et miles, qvi pilum sive præpilatum gestabat, ejus sive ferro, sive extremo acumini, propter crucis altitudinem, spongiam acetô madentem adfixit, atqve ita ori morientis admovit. Supervacaneum autem hîc est, magno cum æstu huic spongiæ incumbere, & multis verubus Sancti Scriptoris verba confodere, & pro cujusqve cerebri fuligine non tàm declarare, qvàm obnubilare.

Sed dicunt alii, qvî hyssopo, *herbæ humili*, ut Augustinus vocat, & fruticulo exiguo imponi spongia potuit? Verùm nemo sibi imaginetur hyssopum in Thuringia vel Westphalia; sed in Palæstina nascentem, ubi hyssopus jam olim inter arbores fuit connumerata. Sic Sinapi apud nos levi surgit caule: De eo tamen in Palæstina nascente Salvator dicit, qvòd semniatum exsurgat & majus sit omnibus oleribus, (*Marc.* IV. 31. 32.) simile qvid de hyssopo dici licebit. Per κάλαμον (*Matth.* XXVII. 29. 30. 48. *Marc.* XV. 19. 36.) intelligunt apud Johannem calamum hyssopi: & qvod illi dixerant in genere, hunc specialiùs voluisse indigitare, alii existimant.

Deniqve qvidam (qvem auctor meditationum, qvæ Augustino adscribuntur, vocat Longinum, juxta alios sic dictus ex λόγχη, i. e. hasta, qvòd hastâ sive lanceâ Domini latus periverit, &c.) miles petulanti ictu latus Christi confodit, ipsum cor, vitæ fontem, periturus, &, si nondum esset mortuus, vitam sceleratissimo, ut putabat, mortalium abrupturus: ex qvo *petræ viventis foramine* sangvis & aqva fluxit.

Et qvidem in Græco Joh. XIX. 34. est πλευρά vox generalis. Hinc Bernhardus, Bonaventura, Innocentius vo-

volunt; dextrum latus esse percussum, cùm & versio Arabica habeat *dextrum*, sed cùm miles explorare voluerit, an verè mortuus esset Dominus? alii veterum existimant, ipsum vitæ fontem, cor, qvòd magis in sinistram, qvàm in dextram pectoris partem inclinat, petiisse. Grave autem vulnus fuisse, innuit sanctus Historicus, qvi verbô νύσσειν (*Joh.* XIX. 34.) utitur, qvod & apud prophanos Autores de gravissimis vulneribus aut ictu usurpatur. Et Augustinus inqvit: *Vigilanti verbô Euangelista usus est: ut non diceret: Latus ejus percussit, aut qvid aliud: sed aperuit, ut illinc qvodammodo vitæ ostium panderetur*: unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt: sine qvibus ad vitam, qvæ vera vita est, non intratur.

Judæi etiam mortuum corpus contumeliâ adficere conabantur. *Sed contumelia illis in miraculum vertebatur*, dicit Theophylactus in Johannem. Et sangvinem qvidem ex mortuo corpore prodiisse admirabile est. Verumtamen posset qvis sycophantarum dicere, qvòd verisimilius sit, vitalem qvamdam virtutem adhuc fuisse in corpore: aqva autem egressa omnem controversiam miraculô tollit. Qvare verò aqva? qvare sangvis? Aqva ut emundaret; sangvis ut redimeret. Qvare de latere? Qvia unde culpa, inde gratia: Culpa per feminam, ex latere Adæ formatam: gratia verò per Dominum nostrum Jesum Christum.

Et Ambrosius (*lib.* V. *de Sacram* c. I.) inqvit: *Vulnerari voluisti ô bone Jesu, in capite, ut sanares omnes nostras obliqvas intentiones*: In manibus, ut sanares omnes nostras remissas operationes: in pedibus; ut omnes nostras immundas & terrenas adfectiones. In corde; ut omnes nostras vanas & noxias cogitationes: ac tandem flagellari & vulne-

rari in toto corpore; ut totam ſanares noſtram vitam & converſionem.

Ceterùm mortuus eſt Chriſtus annô ætatis ſuæ 34. (juxta alios 35.) nondum exactô. Nam qvod Irenæus ſcribit, qvinqvagenarium fuiſſe, falſum eſt.

Porrò qvia feriâ ſextâ hebdomadæ magnæ Dominus in cruce exſpiravit, Eccleſia in ejus rei memoriam, jejunium feriæ ſextæ per ſingulas hebdomadas, nec non feriæ qvartæ, qvô die conſilia de Chriſto occidendo cœpta ſunt, inſtituit, qvæ duo jejunia omnium antiqviſſima ſunt.

Mortem creatoris ipſa natura deflebat; Sol nigrô tenebrarum amictu exſeqvias Deo ire viſus eſt, concuſſa eſt tellus, petræ ſciſſæ; Sed Chriſtus tertiô die ex clauſo monumenti delubro, qvod etiam ferrô obductum fuiſſe putant, redivivus prodiit, comites habens ſanctos defunctos, qvos primos Patriarchas, Adam, Abraham, Iſaac, Jacob, fuiſſe, Patrum opinio eſt. Ex qva re ſeqviori ævô Limbus Patrum introductus eſt, qvi ſanctorum uſqve ad hæc tempora receptaculum fuerit, ſed cum deſcenſu Chriſti ad inferos evacuatus, &c.

Memorantur porrò mulieres, qvæ emtis aromatibus corpus Chriſti condire ſategerunt, qvi mos ab Ægyptiis traductus eſt, qvi defunctorum corpora ita exſiccabant, ut velut lapideſcerent, & à putredine diu ſervarentur.

Hinc dicit Beatus noſter Lutherus, Com. in Gen. Auguſtus cùm veniſſet in Ægyptum, oſtenderunt ei corpora Alexandri M. & Ptolemæi, qvæ fuerunt multis annis in ſepulturis condita, qvod vehementer miratus eſt, ita ea ſervari potuiſſe, ut exſtaret adhuc cutis & omnia membra.

Reſurrectionem exceperunt 10. apparitiones, per qvas Thomas incredulus fidei reſtitutus, & Jaco-

bus

bus Apostolus votô solutus est, de qvo Turonensis scribit, qvòd juraverit, se panem priùs non comesturum, qvàm Dominum suscitatum vidisset.

Primam apparitionem B. Hieronymus tribuit Beatæ Virgini, sed absqve Scripturæ suffragio. Qvadragesimô deniqve die post resurrectionem facta est ascensio de monte oliveti, in qvo vestigia Dominica per aliqvot secula conspici potuerunt. Et qvidem duo circa hæc vestigia accidisse referuntur miracula: 1. Qvòd terra non potuerit exhauriri, fideles qvidem confluxerunt & partem terræ sustulerunt, semper tamen vestigia pristinum statum retinuerunt. 2. Qvòd Basilica super hæc vestigia constructa sit, cujus cacumen concamerari non potuerit, marmora enim, qvæ artifices apponere voluerunt, in ora apponentium resilierunt, teste Sulpitiô Severô, II. XLIX. 4. 5. aliisqve. †

Argentei 30. *Matth.* XXVI. 15. XXVII. 3.

Amanuensis Spiritûs S. Matthæus dicit: constituerunt ei Pontifices 30. argenteos, per qvos nonnulli intelligunt denarios communes, juxta qvorum sententiam pretium vix ad 4. florenos adsurgeret, qvod nec avaritiæ Judæ, qvâ motus Christum vendidit, nec cupiditati Pontificum, qvâ Christi venditionem desiderabant, satis convenit. Alii intelligunt 300. aureos sive coronatos. Camerarius dicit se ex Græcorum commentariis didicisse, singulos valuisse idem ac minam atticam centenariam, i. e. centum drachmarum atticarum. Juxta hunc calculum venditus fuisset 300. coronatis Francicis.

Alii mediam sententiam arripientes, intelligunt per 30. argenteos 30. stateres, & ita summa ad 15. imperiales adsurgeret.

† Tu vide B. Dorsch. part. 1. Theol. Zach. Dissert. VII. §. extr. p. 186. s.

C. XXVII. 25. *Sangvis ejus super nos, & super filios nostros*, i. e. si, qvod tu metuis, sangvis hujus Jesu Nazareni injustè effundetur, nos & omnis nostra posteritas rei erimus, & sangvinis malè effusi pœnas perpetuò luemus. Mementote vos, Judæi hodierni, vocum parentum vestrorum: Sangvis ejus super nos, & super filios nostros.

Crucifixio Dominica.

In historia cruxcifixionis, ut breviter contrahamus, tria sunt præcipua: 1. *Erat flagellatio*, qvæ apud priscos adeò freqvens erat, ut raro crucifixos reperias, qvi non ante ita purpurati, i. e. flagellis usqve ad sangvinem cæsi. Fieri illa solebat, post edictum præconis: *Arbori infelici suspendito.* Verbera vel intra, vel extra pomœria fiebant. Flagellatio cùm in domo fieret, maleficus ad columnam adligari solebat; qvod de Christo sit factum, Euangelistæ expressè non memorant, habet tamen antiqva traditio, Christum nudô corpore ad columnam adligatum, fustigationem sustinuisse. Scribit etiam Hieronymus, qvòd illa columna exsecranda, ad qvam Servator cæsus, fuerit fulcrum in Templo suâ adhuc ætate. Sicut autem columna olim erat fortitudinis Symbolum hoc: *frangar, non flectar*: Sic Christus fortitudinis amorem designaturus, ad columnam ligari voluit.

2. *Est deductio per plateas*, qvæ cum magno ludibrio erat conjuncta; Ipsi enim malefici crucem suam vel integram, vel partem ejus ferre cogebantur. Ante crucifixionem usitata erat *nudatio*. Simul ac ad crucem erat ventum, hominem omni vestitu exuebant, qvi mos erat in plerisqve suppliciis, forsan svasu naturæ, qvæ nudos in hanc vitam inducit & educit.

3. *Est*

3. *Est ipsa suspensio*, qvam conseqvebatur mors, vel ex sangvine destillante propter perforatas manus pedesqve & propter acria flagella. Aliqvando mors erat ex fame, diu enim in cruce supervivere poterant, anteqvàm perirent: Aliqvando novem dies supervixisse leguntur: Alii de patibulo spectatores suos conspuerunt: Alii de cruce iterum sumti & in vivis servati sunt, nec rarò ab avibus discerpti, qvia se movere non poterant. Aliqvando lanceis per latera verberabantur, ut mortem accelerarent.

Qvod crurifragium attinet, vulgò existimatur, crucifixis omnibus crura fuisse fracta, qvia tale qvid latronibus cum Christo crucifixis contigit. Verùm non fuit hic mos nisi apud Judæos, qvòd Deus (*Deut.* XXI. 23.) jusserat, sub Solis occasum suspensos deponere: sed qvia pleriqve tùm adhuc vivebant, fuit hôc modô mors acceleranda.

FINIS.



V.

V.

AUXILIANTE DEO!

DISSERTATIONEM HISTORICO-THEOLOGICAM

De

B. VIRGINIS MARIÆ NATALIBUS,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Plur. Reverendi, Amplissimi, Excellentißimi

DN. ÆGIDII Strauch, SS. Th. D.

Venerand. Facult. Theolog. Assessor. Histor. P. P. longè celeberrimi,

Domini Præceptoris, Hospitis, ac Patroni ætatèm venerandi,

Publicæ Eruditorum disqvisitioni submittit

M. HENRICUS Alischer, Lign. SS. Theol. Theol. Studiosus.

Ad D. 4. Maji, In Auditorio Majori. Annô M. DC. LXVII.

V



DE NATALIBUS B. VIRGINIS MARIÆ.

PRÆFATIUNCULA.

Arduum molimur opus & abstrusa rimamur abdita: Originem ejus, qvæ dedit Originem ei, à qvo omnia suam habent Originem. Opus aggredimur, qvod ipsâ sententiarum diversitate, non dicam repugnantiâ, suiqve ipsius obscuritate facillimè qvem deterreat: Opus, in qvo tot hactenus viri solidissimè eruditi non tantùm laborârunt sed maximô desudârunt opere. Genus evolvimus ejus, qvam Deus voluit Filii sui Matrem esse, à qva Verbum DEI suum Genus derivat. Radicem, immò aridam stirpem qværimus, ex qva Virga Isai insolitô qvôdam modô sine humectatione naturali propullulavit, inqve Arborem toti Fidelium orbi umbriferam excrevit. Poterat nos eqvidem deterrere ipsius Materiæ gravitas & manifesta difficultas, anceps item maleferiatorum de Exercitiis talibus judicium, nec non Clarissimorum Virorum freqventes eam ob rem qverelæ. Interim tamen indefessi ad instar viatoris nolumus ad

psuim

ipsum itineris caput defatigatis similes anhelare, sed alacri gradu pergere, qvàm utcumqve cœptum turpiter negligere stadium, certi, fore, ut, si alicubi, qvod in ancipitio necessum est, hallucinati fuerimus, æqvum LECTORIS *judicium nobis excusationi potius qvàm detractioni cedat. Ne itaqve B L. diutiùs in cortice hæreas,* MARIÆ VIRGINIS BEATISSIMÆ NATALES *explicare pro modulo animus concepit. Háncqve* DEI *sanctissimam* Matrem *ab insulsis* Monachorum, *aliorumqve Fanaticorum Fabulis & Mendaciis liberaturi, Filium ejus unicum* JESUM CHRISTUM *per suam, qvam nostri caussâ ex B. Virgine adsumsit Humanitatem supplices veneramur, ut nobis Spiritu suô sanctô adsit, & cogitationes gubernet omnes, qvò vergant in sui nominis gloriam, Ecclesiæ emolumentum, & Reip. Literariæ prolixissimum incrementum. Fiat!*

§. I.

BIpartitum, qvod aggredimur, negocium est, partim Historicum, partim Theologicum, adeóqve nunc in amœnissimos Historicorum hortos exspatiandum erit, nunc graves audiendi erunt Theologi. Pro unica ergò totius hujus discursus norma præter sanctissimi Spiritûs dictamina & Historicæ veritatis alia monumenta ἀξιόπιστα nihil qvidqvam agnoscere animô stat. Fabulas eqvidem recensebo aliqvas, non tamen ut inde gratiam aliqvam nostra nanciscatur dissertatio (qvid enim gratiæ turpitudo largiri posset?) sed ut priscæ ætatis facilitas in credendo, & studium in fingendo pateat, B. verò MARIA ab istiusmodi vanissimis mendaciis liberata, suo pristino splendori reddatur. Concernit enim controversia, utut ab initio

initio levicula & merè Hiſtorica videatur, reverà fundamentum totius fidei Chriſtianæ, qvô ſublatô totum de veritate noſtri Meſſiæ dogma periclitabitur, jamqve lata via Judæis qvævis de eodem vaticinia rejiciendi aperietur. Inter enim argumenta, ex qvibus Judæos convincimus, Chriſtum noſtrum verum eſſe MESSIAM, minimum profectò non eſt, qvô oſtendimus, eum fuiſſe ex ſemine Davidis, id qvod nonniſi ex genere MARIÆ, utpote à qva unicè ſecundùm carnem deſcendit, demoſtrari poteſt.

§. II. Qvam hujus dogmatis neceſſitatem ipſe Spiritus Sanctus clarè & apertè ſatis indigitat, dum non uno in loco MULIERIS iſtius, qvæ filii ſui Mater futura erat, honorificam valdè mentionem injicit. Ipſum Prot-Euangelium jam Virginis Beatiſſimæ meminit, dum MULIERIS SEMEN nominat. Eqvidem Pontificii nimii Laudum MARIÆ præcones, & Sanctorum ad ſuperſtitionem avidi Cultores hôc non contenti ipſam contritionem capitis ſerpentini MARIÆ attribuunt, & ſic hac etiam in parte, ne in Mariam iniqvi videantur, in Chriſtum ipſum fiunt injurii, detrahendo eidem, qvod Spiritus Sanctus ipſemet ei attribuit, & addendo MARIÆ, qvod Spiritus Sanctus additum noluit. Lubricis verò totam hanc rem inniti fulcris ex eo manifeſtum eſt, qvòd inter ipſosmet etiam Pontificios inventus fuerit *Coſterus*, cui hæc ſuorum ſententia non placet, de Laudibus Mariæ præfat: *Nuſqvàm*, fatetur, *reprehendi in Eccleſia hanc lectionem*, *IPSE CONTERET CAPUT TUUM*, *qvomodo poſt B. Hieronymum legit B. LEO Pontifex*, *vel IPSUM conteret caput tuum*, *ſicut nonnulla Latina Exemplaria habent*, *& verè legendum eſſe non ſolùm ex pronomine* הוא *diſcimus*, *ſed*

ſed ex verbis & affixis Maſculinis ישופך *conteret Tibi,* תשופנו *conteres ei. Sic enim ad verbum Ebræa habere:* ET IPSE CONTERET TIBI CAPUT, ET TU CONTERES EI CALCANEUM.

§. III. Nos in ipſo textu incorrupto nucleum & ſenſum Spiritûs S. qværimus, non verò in corticibus unius Vulgatæ hæremus, qvæ fundamentum eſt perqvàm multorum eorúmqve craſſiſſimorum apud Romanæ Eccleſiæ Patronos errorum. Nec confugimus ad dicta, qvæ Papiſtis de Maria agere videntur, ſed in rei veritate nihil minus probant, qvàm qvod Pontificii inde eliciunt, qvalia ſunt, Prov. xxx. 19. item qvæ ex ejuſdem Proverbiorum libri c. IIX. & aliunde deſumunt, ſed claris & manifeſtis Scripturæ dictis, qvæ vel κατὰ ῥητὸν, vel κατὰ διάνοιαν noſtram ſententiam exhibent, unicè inhæremus.

§. IV. Speciatim verò, qvando de Nativitate MARIÆ, qvæqve eam vel proximè anteceſſerunt, vel ſecuta ſunt, ſolliciti ſumus, vix credet aliqvis tam emotæ mentis hominem inventum iri, qvi MARIAM inter homines referendam diſertis & expreſſis verbis negaret. Et inventus tamen eſt Weigelius, homo Fanaticus, qvi auſus eſt adſerere MARIAM Evæ Filiam non fuiſſe, ſed conceptam ab æterno à Spiritu S. part. III. Poſtillæ, p. 69. Factô id negâſſe olim Collyridianos, hæreſin maximam partem ex mulieribus & aniculis conſtantem mirum non eſt: Teſtatur id Epiphanius, Hæreſ. LXXIX. Ubi cultum & honorem divinum MARIÆ exhibitum ita deſcribit: τινὲς γυναῖκες κούρικόν τινα κοσμοῦσαι, ἤτοι δίφρον τετράγωνον ἁπλώσασαι ἐπ᾽ αὐτὸν ὀθόνην, ἐν ἡμέρα τινὶ φανερᾷ τοῦ ἔτους, ἐν ἡμέραις τισὶν ἄρτον προτιθέασι

τιθέασι καὶ ἀναφαίρουσιν εἰς ὄνομα τῆς Μαρίας. αἱ πᾶσαι δὲ ἀπὸ τοῦ ἄρτου μεταλαμβάνουσιν. Mirum hoc, inqvam, non eſt, cum hodiè idem faciant Pontificii non ſolùm circa MARIAM, ſed & circa alios Sanctos demortuos, qvare operæ pretium erit in Genus MARIÆ diligentiùs inqvirere & NATALES ejusdem qvà pote evolvere, unde pronum erit elicere, MARIAM ex numero hominum eximendam nullâ ratione eſſe.

§. V. Ex Abrahami Poſteris MARIAM fuiſſe, dubium ferè amplius non eſt, cùm nemo etiam, qvod ſciam, Judæorum neget MARIAM ex ſemine Iſraëlitico natam, cui ſententiæ non leve pondus addunt omnia de MESSIA vaticinia, in qvibus Idem Abrahamo promiſſus eſt, in qvibus Abrahamo promittit Deus in ipſius ſemine benedictionem omnibus gentibus terræ, Gen. XXII. 18. Confer Geneſ. XXVI. & alia loca.

§. VI. Propiùs accedit Patriarcha JACOB, qvi in ultimis, qvæ ad Filios ſuos fecit, verbis, iiſqve qvaſi Teſtamentariis Genus MESSIÆ prædicit. Non deſiſtet Tribus à Juda, neqve Legislator è Medio pedum ejus, uſqve dum venturus erit SCHILO, Gen. XLIX. 10. qvam vocem ultimam alii per τὸ FILIUS EJUS explicant, vide Buxtorf. in Lexico ſub R. שלה ad vocem שילה p. m. 805. ſeq. Ubi Interpretes advertunt non ſine cauſſa hanc notam Adventus Meſſiæ prædixiſſe JACOBUM, ſed ſimul indigitâſſe ex eadem Tribu, qvam ad illa uſqve tempora non ceſſaturam prophetavit, Meſſiam oriundum eſſe, unde & qvidam iſta vocabula מבין רגליו repetunt, & ad Adventum Meſſiæ etiam adplicant, ut hic ſenſus ſit: Non deſiſtet Tribus à Juda, ne-

qve Legislator è Medio pedum ejus, usqve dum venturus erit Schilo è Medio pedum ejus, qvæ est phrasis Ebræorum de naturali posterorum ex Majoribus generatione usurpari solita. Hoc verò Vaticinium in nostro impletum exactè esse, hodierna Judæorum testatur conditio. Imò ipse sanctissimus *Paullus* tunc etiam, qvando ipsi cum Ebræis res est, ad unanimem Gentis Judaicæ consensum provocat. *Palam est*, inqvit, *è Juda exortum esse Dominum nostrum, cui Tribui nihil de Sacerdotio locutus est Moses*, Eb. VII. 14.

§. VII. Ad eumdem Judæorum consensum *Galatinus* qvoqve provocat *de Arcanis Cathol. Veritatis*, lib. VII. c. XII. p. 408. Citat qvemdam Ebræorum Doctorem, qvem ipse Rabbenu Hakkadosch (alii R. Nasi audiisse perhibent) vocat, hunc Rabbenu Hakkadosch dicit consultum fuisse à Consule qvodam Romano cui nomen Antonino, de Genere Mariæ Matris Messiæ, qvi ab Elia priùs in spelunca qvadam informatus responderit hisce verbis: Qvod autem petisti cujus esset Filia, ex qvaqve Tribu: animadvertere debes, parentem ejus duplicem habiturum nomen, unum Heli alterum Jojakim, &c. Tribus autem Juda descendit ex Domo Zerubabelis filii Sealthiel, sicut scriptum est Zach. IV. 7. qvis tu mons magne coram Zerubabel? In planum deducet Petram primariam. Hæc petra primaria est Mater Regis Messiæ. Hæc Rabbi Hakkadosch, qvæ mihi sublestæ perqvàm fidei videntur, tum qvòd fabulosæ per Eliam factæ revelationis mentio fiat, tùm qvòd Galatinus ab aliis etiam vapulet propter fabulas Judæorum nimis confidenter expositas, tùm etiam qvòd tota hæc res recentiora secula sapiat, qvia de Jojakim Patre Mariæ primis seculis prorsus nil qvidqvam constitit.

§. VIII. Certius nobis de dubio hoc argumentum suppeditat, præprimis qvia potissimum cum Christianis res agitur, Genealogia Christi à duobus Euangelistis descripta. Molesti eqvidem hìc nobis sunt ab initio statim Judæi, & gratis hæc omnia à nobis asseri dicunt, cùm Christi Genealogia per solum Josephum ab utroqve Euangelistarum ducatur, suppressô prorsus Mariæ nomine. Aut Ergo concedendum esse Christum nostrum habuisse verum & naturalem Patrem Josephum, utpote per qvem ejus Genealogia deducitur, aut Christum non fuisse ex Tribu Juda, cùm de Familia Mariæ prorsus non constet. Vera hæc sunt dubia, & in qvibus solvendis tot propemodùm sensus sunt qvot capita. Aliqvi nodum hôc modô solvere conantur: Opponunt Judæis Morem penes eos consvetum, qvô Genealogiæ à Maritis deducuntur, cùm Proverbium penes eos sit. Familia Matris Familia, non est. Atqve ob hanc caussam, qvia Judæi putabant: Christum esse naturalem Josephi Filium eô ipso Euangelistam eos convincere voluisse Christum esse ex semine Davidis. Verumenimverò hæc Explicatio locum vix invenire poterit. Qvis enim unqvàm fidelium & orthodoxorum ausus est Spiritui Sancto Mendacium attribuere, qvod reverà faciunt, ita qvi Locum explicant, nec enim opus habet veritas Laciniis Mendaciorum & Larvâ Falsitatis. Falsum etiam est præstereà Euangelistam tacere voluisse Mysterium Incarnationis ex Virgine, cùm illud omnibus potiùs modis deprædicet & disertè ex clarissimo de partu virgineo Esaiæ vaticinio deducat.

§. IX. Adde qvòd sic Objectioni Judæorum non satisfiat. Jam enim suppositô, Genealogias à solis Maritis fuisse deductas (qvamvis & hoc

in Casibus solùm Ordinariis, ubi Pater præstò est valeat) unde jam probabitur, MARIAM fuisse ex tribu Juda & ex Familia Davidis? Nec enim hìc sufficere videtur Exceptio de non ducenda nisi contribuli. Multa enim Judæi in medium producunt contraria Exempla, utpote Aaronis qvi Uxorem duxit è tribu Juda Exod. VI. 23. Davidis qvi Filiam Saulis duxit, à tribu Benjamin, qvam ille promiscuè cuivis promiserat, qvi Goliathum percuteret 1. Sam. XVII. 25. Israëlitarum, qvi juramentô confirmârunt se Benjamitis Filias suas non elocaturos, Jud. XXI. 1. Jojadæ sacerdotis, qvi Jehoschabhath Filium Regis Joram duxit, 2. Chron. XXII. 11.

§. X. Qvid ad hæc responderi soleat videbimus. Urgeri adhuc posse ajunt Legem Dei nimis expressam & generalem Num. XXXVI. 6. seqq. omnes omnino ἐπικλήρους obligantem. Ἐπικλήρους verò non Illos solùm esse, qvi lautam & splendidam familiam sustentant, sed ipsissimos etiam pauperes inde non excludi, qvi per hæreditates agnatorum & fratrum poterant possessionibus lautis ditari. Exempla prorsus non obstare. Aaronem priùs conjugium iniisse, qvàm hæc Lex data sit, Saulis Exemplum Legi nil præjudicare, esse enim Fuctam animi trepidantis & in ultimo periculo constituti. Ad Exemplum Jojadæ nihil reponunt nisi hoc: id insolitum non fuisse sed licuisse Sacerdotibus ex aliis etiam tribubus Uxores ducere, præprimis verò commixtionem tribuum Sacerdotalis & Judaicæ fuisse usitatissimam. His & talibus aliis responsionibus tantum abest, ut Judæi vincantur, ut potiùs eorum caussa mirum in modum iisdem adjuvetur. Si enim id in more positum fuit, cur non & de Joseqho tale qvid præsumi posset, nihil obstare video. At dicunt ἐπίκληρος erat

erat MARIA. De Eo adhuc certatur acerrimè. Nos, utut has rationes ut probabiles non prorſus rejiciamus, pro ſufficientibus tamen agnoſcere nullo modô poſſumus, ſed longè firmius argumentum ſuppeditari putamus ab ipſo Luca, à qvo MARIÆ Majores ordine recenſeri toti ſumus perſvaſi. Qvâ hypotheſi interim adſumtâ in poſterioribus verò diludidè probandâ patet rectè argumenti locô adſumi Genealogiam Chriſti. Et hæc ipſa ratio eſt, qvare poſt Davidem in duas diverſas ſcinduntur partes Matthæus & Lucas, illo per Salomonem Joſephi, hôc per Nathanem Mariæ Genus deducente.

§. XI. Suâ ergo jam ſponte ruunt omnes illorum ſententiæ, qvi unam eamdémqve ab utróqve Euangeliſta deſcriptam volunt Genealogiam, ruunt inqvam, nec poſſunt aliter, cùm nec ipſi hujus ſententiæ Patroni inter ſe conveniant. Inter enim eos ſunt, qvi prorſus in dubium vocant auctoritatem utriuſqve Scriptoris, & alterum falſitatis arguendum cum Fauſto Manichæo autumant, qvi apud Auguſt. Tom. VI. oper. lib. III. c. Fauſt. c. I. p. 219. *Conatus diu ſum hoc ipſum qvalecúmqve eſt, perſvadere mihi, qvia ſit natus Deus, ſed offenſus duorum maximè Euangeliſtarum diſſenſione, qvi Genealogiam ejus ſcribunt, Lucæ & Matthæi hæſi incertus, qvémnam potiſſimùm ſeqverer. Fieri enim poſſe putabam, ut, qvia præſcius non ſum, qvem mentiri exiſtimarem, ipſe diceret verum: & qvem vera loqvi, ipſe forſitan mentiretur. Infinitâ ergo eorum prætermiſſâ lite, & interminabili mihi, ad Johannem & Marcum me contuli, nec impariter à duobus ad duos, & ab Euangeliſtis ad ejusdem nominis Profeſſores. Qvorum mihi principia interim non immeritò placuerunt, qvia nec David, nec Mariam inducunt, nec*

 Joſeph,

Joseph, sed Johannes qvidem in principio fuisse verbum dicit, & verbum fuisse apud DEUM, *&* DEUM *fuisse verbum Christum significans; Marcus verò Euangelium, inqvit,* JESU CHRISTI *Filii* DEI, *tanqvàm Matthæum exprobrans, qvi posuerit Filium David.* Hæc Faustus, cujus sententia ipsuis verbis clarissimè proposita cuivis jam patebit. Arguit nimirum Faustus ab initio alterutrum Euangelistarum Mendacii, tandem utrúmqve rejicit, & duos reliqvos se adsumere dicit, propterea qvod ibi Christus non vocetur Filius David, vel MARIÆ vel Josephi. Sed Faustus (qvod ipse etiam subindigitare videtur) non multum in Lectione hac Euangelistarum forteau absolvit, sed titulos saltem Librorum obiter ac perfunctoriè adspexit. Aliàs enim non adeò gloriari potuisset de consensu Marci, cùm Is c. XI. 25. 28 talia habeat, qvæ omnino Fausti sententiæ adversantur, nec de consensu Johannis, qvi in ipso primo capite v. 14. Verbi Incarnati mentionem facit.

§. XII. Hæc, utut levicula & à B. Augustino prorsus prætermissa, ad malitiam Spiritus Hæretici, qvi Sophistam plerúmqve agit, confundendam & arguendam adducere volui. Ad caput caussæ ut perveniamus, dum responsionem parat Augustinus, ipse in alium errorem lapsus est cum aliis Patribus. Nec evitare errorem istum potuit, qvoad in ea sententia fuit, eamdem ab utróqve Euangelista describi Genealogiam. Respondet nimirum: alterum Euangelistam veros & naturales recensere Patres, alterum eos, qvorum Filius adoptionis vel alio Jure Christus fuerit. Clariùs se explicat, lib. XXIII. c. Faustum c. IIX. ubi eqvidem concedit Mariam Virginem fuisse ex cognatione Davidis, sed nihilominus è stirpe Sacer-

dotali.

dotali. Nos ergo, inqvit, credimus, etiam MARIAM fuiſſe in cognatione Davidis, qvia ſcripturis eis credimus, qvæ utrúmqve dicunt, & Chriſtum ex ſemine Davidis ſecundùm Carnem, & ejus Matrem MARIAM, non cum viro concumbendo, ſed virginem, *& poſt aliqva.* Ipſe verò (Fauſtus) convincat, non eam pertinuiſſe ad Semen David, & hoc oſtendat non ex qvibuſcúmqve literis ſed Eccleſiaſticis, Canonicis, Catholicis &c. &c. Et adhuc clariùs, Tom. v. Oper. lib. de xxc. Qq. p. 565. A David in duas familias Sacerdotalem & Regiam Origo illa diſtributa eſt, qvarum duarum familiarum, ſicut dictum eſt, Regiam deſcendens Matthæus, Sacerdotalem aſcendens Lucas ſecutus eſt; ut Dominus noſter JESUS Chriſtus Rex & Sacerdos noſter & cognationem duceret de ſtirpe Sacerdotali, & non eſſet tamen de tribu Levi, ſed eſſet de Tribu Juda, hoc eſt de tribu David, ex qva tribu nemo intendit altari. Ideò & Filius Davidis maximè dicitur ſecundùm Carnem, qvia & Lucas adſcendens & Matthæus deſcendens in David ſibi obviam facti ſunt. Hæc Auguſtinus.

§. XIII. Et hæc aliorum qvoqve Patrum mens fuit, qvos, (qvi mos eſt Pontificiorum, Patres, ubi aliqvid humani paſſi ſunt, velut qvosdam qvaſi ſemi-Deos ſeqvi) Cardinalis *Baronius*, *Appar. ad Annal. ſect.* xxx. *ſeqq.* ſeqvitur: ubi etiam ad Teſtimonium Patrum provocat. Sed omnino lapſi & decepti ſunt Patres in eo, qvòd putârint in ipſa Nativitate MESSIÆ utramqve unctionem Sacerdotalem & Regiam repræſentandam fuiſſe. Cùm tamen, ſi ipſa Scripturæ divinæ Oracula conſulas, contrarium advertere liceat. CHRISTUM Sacerdotem eſſe debuiſſe, abſit ut qvisqvam noſtratium neget, ejus tamen Sacerdotium Leviticum

& ad, modum Aaronitici fuisse, id est qvod ἀπολύτως negamus. Expressè ei contradistingvitur ab ipso Christi Atavo DAVIDE, Ps. cx. 4. Ebr. VII. 11. Et utut tam liberales essemus, ut MARIAM ex Sacerdotali stirpe ortam esse concederemus, nihil exinde caussa Patrum juvabitur. Præsuppositô enim, qvod nemo unqvam ἀντιλεγόντων negavit, Josephum fuisse ex stirpe & familia Davidis, nullum prorsus jus ad Sacerdotium Christus habuisset, sicqve omnia hæc gratis dicuntur.

§. XIV. Qvas verò tandem adducere solent, qvi huic sententiæ favent rationes? Nimirum recensitos à Luca esse Sacerdotes descendentes ex Nathan, Elisabeth Zachariæ Sacerdotis uxorem cognatam dici B. Virginis, qvam rationem speciatim etiam Augustinus urget, urgent etiam nomen Levi, qvod apud Lucam aliqvoties occurrit, illud verò nomen sacerdotale fuisse. Unicam ferè Augustini auctoritatem cum aliorum paucorum allegat Baronius. Sed Baronium hìc cum Patribus errantibus etiam errare nimis est in aprico. A Luca Sacerdotes recensitos esse meros, qvis sibi qvæso persvaderi patietur? Autoritas Augustini nos prorsus non constringit, cùm eadem cum expressis Scripturæ indubitatò orthodoxæ verbis pugnet, qvæ Christum ex una, eadémqve Judæ stirpe oriundum prædicit. Et qvid indignius tantis Patribus, qvàm hæc sententia excogitari posset, FAMILIAM DAVIDIS PER NATHANEM SACERDOTALEM FUISSE? cùm tamen David ex Tribu Juda fuerit, qvæ Tribus ad altare nihil juris unqvam habuit. Valet hìc Regula Civilis: *Testator ad Hæredem jus non transmittit, qvod ipse nunqvàm habuit.* Confundunt verò Patres, (qvòd doctè annotat *Casaubonus, Exerc. I.*

in

in Baron.) Nathanem Prophetam cum Nathane Filio Davidis, qvod ipſe Auguſtinus agnovit, & propterea ingenue retractavit. Levi nomen qvod attinet, mirum non eſt ſæpius illud adhiberi, nec exinde argumentum pro Sacerdotali ſtirpe deduci poteſt, non magis qvam ex nomine Juda pro Regia ſtirpe, cum æqve facile nomina talia Sacerdotibus atqve aliis impoſita fuerint.

§. XV. De Elizabeth qvod objiciunt, difficultati ſubjacere videtur. Non enim negari poteſt, Angelum expreſſe id teſtari, Luc. 1. 36. ubi ab ipſo vocatur συγγενὴς cognata MARIÆ. Sed tamen ſalva adhuc res eſt, neqve enim hoc ſeqvitur, MARIAM & Elizabeth ex Tribu Sacerdotali fuiſſe. Poterat enim fieri, ut more conſveto Pater Elizabethæ uxorem ex ſtirpe Judaica duceret, ſicqve Elizabetha qvidem συγγενὴς non tamen contribulis erit, erit enim Elizabeth Sacerdotalis, MARIA, vero Regii generis: vel etiamſi ex eadem tribu fuerint, potuit tamen Elizabeth eaſdem ob cauſſas Sacerdoti nubere, & ſic etiam huic dubio ſatisfactum opinor. Addo unicum, qvia cum Pontificiis hic etiam diſputandum, hanc ſententiam confirmari ex vulgata verſione poſſe, qvam illi pro authentica adſumunt, qvia ibi uſurpatur de Elizabeth vox cognata, qvia vero cognatio inter eos eſt, qvi alias non ex eadem linea ſunt, in hac ipſa voce conſangvinitas cum qvadam ampliatione inferri videtur, præſertim cum omnes Judæi invicem συγγενεῖς adpellari ſoliti ſint.

§. XVI. Sed aliæ adhuc examinandæ circa idem punctum reſtant ſententiæ. Sunt etenim, qvi putant nihilominus eamdem eſſe Genealogiam ab utroqve, alia utut itemqve alia ratione deſcriptam, alterum nempe Euangeliſtarum (Matthæum ſcil.

propter vocem γεννᾶν) Genitores secundùm carnem, Lucam verò Genitores secundum Spiritum, seu Viros sanctos, qvi propter sanctitatem inter Majores Christi relati fuerunt, recensuisse. Verùm, hi scopum Euangelistarum non attendunt, qvibus non erat propositum Sanctorum texere Catalogum, aliàs enim Eliam, Samuelem & alios fors non neglexissent: Genealogiam Christi exhibere animus erat, & instituatur modò Examen, utrum omnes à Luca recensiti sancti futuri sint. Ego eqvidem totus ambigo.

§. XVII. Alii solutionem in nominibus qværunt, Eosdem ab utróqve recenseri sed diversis nominibus, cùm id inter Judæos infreqvens non fuerit. Ita ferè per omnia sentit *Casaubonus, Exer. 1. n. 30. in Baron.* nisi qvòd alias etiam agnoscit caussas, nimirum adoptionem &c. Sed lubrico hæc sententia iterum innititur fundamento, scil. Identitati Genealogiæ utriúsqve, qvod falsum esse vel ex hoc adparet, qvòd Lucas multò plures Matthæô numeret, qvod infallibile indicium est, vel alios prorsus recensere Lucam & Matthæum, vel Lucam aliqvos sæpius qvàm unâ vice aliis atqve aliis sub nominibus numerâsse, aut Matthæum, qvot in Luca plures sunt, omisisse, qvorum neutrum veritati consentaneum videtur. Deinde, etiamsi numerus exactè responderet, qvæso, cur Spiritus Sanctus hanc crucem nobis posuisset, & cur, dum Genus Christi voluit explicare, magis illud magisqve intricatum reddidisset?

§. XVIII. Qvæ seqvitur communissima ferè omnium est sententia, eorum nimirum, qvi putant alterum Parentes Christi legales, naturales alterum describere. Et hæc sententia in duas iterum partes scinditur. Ab altera parte stant, qvi dicunt, Matthæum legales, Lucam naturales describere-

ſcribere, ab altera qvi ſtant, per omnia contrarium ab illis ſentiunt. Illi pro ſe citant collationem Numerorum, cùm plures ſemper ſint patres naturales qvàm Legales, Matthæus verò pauciores referat, ſponte ſeqvi, eum legale Chriſti genus deſcripſiſſe, adhæc, Lucam adſcendere ad Adamum uſqve, Matthæi verò ſcopum fuiſſe ſolummodò oſtendere Chriſtum legitimô ordine Davidi in Regno ſucceſſiſſe. Qvi è contrario Matthæo naturales & Lucæ Legales Parentes tribuunt, urgent pro ſe potiſſimùm vocem γεννᾶν, qvæ non poſſit niſi de verè generantibus, & Patribus naturalibus accipi. Utraqve tamen pars qvod de Legalibus Parentibus dicunt, ad unius Joſephi Patres ſe referre ferunt. Et hi in iſta ſententia defendenda Africanum potiſſimùm ſeqvuntur, cujus auctoritatem hìc omnibus ſufficientibus rationibus deſtitutam nobis obtrudi non patimur, nec enim hâc ratione ſatisfit dubiis ſatis intricatis. Si in unico Joſepho adqvieſcunt, in ejus Avo coaleſcet Linea rurſum, & hinc idem qvod circa priorem ſententiam dubium recurret.

§. XIX. Peculiare qvid hìc ſapit Marcus Antonius de Dominis, Homo plerumqve novitatis nimiùm ſtudioſus. Is eqvidem non negat prorſus, Chriſtum eſſe ex familia Davidis, negat verò, qvòd propter matrem ex ea Tribu dicendus ſit ortus, cùm potiùs reſpiciendum velit ad Patrem, ſive is legalis ſit ſive naturalis, lib. VI. de Rep. Eccleſ. §. VIII. Objicit varia, ſed ad qvæ in prioribus jam reſponſum eſt. Ad morem Ebræorum provocat, penes qvos in texendis Genealogiis Feminarum nulla habita fuerit ratio. Benè, ubi Maritus & Pater præſtò erat, hìc verò cùm caſus detur Extraordinarius, & Chriſtus ſecundum humanam naturam

turam ſit ἀπάτωρ mirum etiam non eſt per Matrem ejus Genealogiam duci, reliqva, ne crambem bis coactam adponere cogar, taceo. Sententiam ſuam l. c. exponit his verbis: Qvemadmodùm, inqvit, ſi frater non relictâ prole deceſſiſſet, alius frater ſuſcitabat ſemen fratri, ſupplens cum vidua relicti fratris pro fratre, & hæc proles ad fratrem mortuum, qvi tamen illam non ſuſceperat, omnino pertinebat, & filius natus verè & propriè Filius dicebatur illius mortui: perindéqve erat in Civilibus, atqve ſi naturalis ejus filius fuiſſet: cùm Spiritus Sanctus suppleret pro Joſepho in ſuſcipiendo ex Virgine Filio, qvæ erat vera & legitima uxor Joſephi, certè ipſe Chriſtus erat verus & legitimus Filius Joſephi non naturalis ſed legalis, qvia ex ipſius legitima uxore ſine adulterio ſuſceptus eſt, Spiritu Sanctô pro eo ſupplente, & ex hoc Chriſtus meritò propter Joſeph, qvi erat de domo & Familia David, Matth. 1. 18. Luc. 11. 35. erat verus & legitimus Filius David, non naturalis, ſed Legalis.

§. XX. Plauſtra abſurdorum ex hac ſententia oriuntur. Ad Parentem legalem, qvalem de Dominis Joſephum facit, reqviritur, ut qvando Filius ipſe naſcitur, Pater Legalis jam deceſſerit. At Joſephus adhuc vivebat. Filius, qvi Legalem Patrem habebat, debebat etiam habere naturalem, at Chriſtus ſecundùm carnem ſine Patre fuit. Pater Naturalis Legalis erat Frater, at Fratrem Joſephi circa generationem Chriſti de Dominis nominare, qvod puto, non audebit, nec etiam poterit. Patrem Legalem oportebat ſine prole deceſſiſſe, at Joſephum liberos anteà genuiſſe, pleriqve etiam Pontificii conſentiunt, nec ipſe M. Antonius de Dominis abnuit. Matrem Filii Legalis oportebat eſſe viduam, qvid hoc ad Mariam, qvam ipſe de Domi-

Dominis Uxorem Joſephi legitimam vocat ? Impium verò prorſus, blasphemum, Chriſtianóqve eſt indignum, qvòd Spiritum Sanctum pro Joſepho ſupplêſſe dicit, & tamen aſſerere vult ſupplente alio natum legitimóqve virô adhuc in vivis exſtante ſine adulterio naſci. O hominem impuriſſimum, qvi non veretur tantas fœditates de ſanctiſſimo Spiritu effutire. Eat nunc puriſſimus homo, & glorietur ampliùs de ſua ſententia, ſic omnibus omnino occurri difficultatibus. Certè ſi nullis implicata fuiſſet hæc res dubiis, ſic profectò maximis involveretur. Locus qvem ille adducit, Rom. I. 3. de *Filio facto ex ſemine Davidis, ſecundum carnem*, noſtram probat ſententiam. Si enim Spiritus Sanctus ſupplêſſet pro Joſepho, & ex Maria Genus Chriſti probari non poſſet, qvod ipſe M. Antonius de Dominis docet, unde qvæſo Chriſtus ſecundùm carnem ex ſemine Davidis genitus dici poſſet ? Tandem prorſus elevat hanc qvæſtionem, l. c. §. 9. p. 496. Nulla, inqvit, nos neceſſitas cogit, Glorioſiſſimam MARIAM facere de ſtirpe David generatam, nam ſive reverà ſit ex ea ſtirpe edita, ſive non ſit, Chriſtum nihilô ſecius David Filium eſſe modô explicatô eſt certiſſimum. Qvàm certum hoc ſit, modò oſtendimus.

§ XXI. Nos putamus his effugiis prorſum opus non eſſe, ſi modò adſeramus ab utroqve Euangeliſta recenſeri Parentes naturales à Matthæo qvidem Joſephi, à Luca verò MARIÆ & hoc ſi oſtenderimus, ſalva res erit, MARIAM EX TRIBU JUDA ET FAMILIA DAVIDIS ESSE. Maximum dubium eſt, qvòd etiam apud Lucam nominetur Joſeph & ille dicatur Filius Heli. Sed nos ut breviter nos expediamus, cùm res omnino difficultate careat, opponimus huic objectioni morem loqvendi apud Ebræos uſitatum,

tatum, qvem ex *Philon* lib. *de Monarch.* citat *Baron. Appar. ad Annal. n.* XXXIII. GENERI LOCO FILIORUM SUNT SOCERIS, ET HI LOCO PARENTUM SUNT GENERIS. Ut sensus verborum hic sit: Joseph, qui fuit Filius Heli, i.e. propter uxorem suam, qvæ erat Filia Heli, cùm Uxor & Maritus sint caro una, Gen. II 24 Addunt alii in antiqvis qvibusdam Codicibus aliter hunc textum distingvi, ut legatur h. m. ὢν (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ) τοῦ Ἡλί. Erat (ut existimabatur Filius Joseph) reverà verò Filius, i.e. nepos Eli. Verùm utut id simpliciter nolimus negare, nec tamen huic fidere tutò possumus, qvia tale Exemplar hodiè vix qvisqvam vidit. Id nobis sufficere putamus, qvòd hæc explicatio textui vim nullam inferat, faciat πρὸς τὸ ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας, tot tricis & gyris non implicetur; qvàm qvidem reliqvæ. Et sic etiam plenam hactenus & perfectam Christi Genealogiam habebimus & à vera Matre & à Patre nutritio cui & nomen & jus paternum in Christum Scriptura tribuit, Luc. II. 48 51. jámqve Caussa patet cur Genealogiæ Christi a Matthæo conscriptæ alteram superaddiderit Lucas. Sícqve firmô stare talô putamus MARIÆ GENUS E TRIBU JUDA ET SPECIATIM FAMILIA DAVID DEDUCENDUM ESSE.

§. XXII. Propiùs nunc ad Mariam & ejus Natales accedimus, numqvid certi de Parentibus ejus sciri possit, visuri. Jam otiosorum Monachorum fabulæ qvædam, eâ, qvâ recensentur facilitate, erunt rejiciendæ. Pauca enim de hac parte memorata Scriptura, nec qvidqvam scimus, præterqvàm qvòd Patrem Mariæ nominet Eli, qvis verò ille Eli fuerit, qvæve ejus Uxor, & horum qvæ conditio, altum in ea est silentium, qvô pertinet illud

lud *Baronii* ea de re judicium qvod habet, *Appar. ad Annal. Sect.* XXXIIX. ubi rectè & prudenter animadvertit: Euangelistas satis sibi esse putâsse, qvòd promissum Patribus antiqvitus erat, DEI Filium unigenitum ex Genere Abrahæ, ex Tribu Juda, progenie David, atqve ex ipsa sanctissima virgine MARIA secundum inscrutabile divinum consilium humanam sibi sumsisse Carnem testatum relinqvere, ad ipsius Christi facta, cujus caussâ opus susceperant, enarranda tantùm intentis. Hincqve factum est ut in primis IV. seculis nihil qvidqvam de ea re scitum fuisse adnotent Chronologi & Historiarum scriptores. Ipsi Augustino, qvi seculô V. vixit, parum adhuc de Parentibus MARIÆ constitit, unde & qvæ à Fausto de iisdem afferebantur, adsumere noluit, desiderans probationem ex Libris Ecclesiasticis, Canonicis & non Apocryphis, unicéqve provocans ad Testimonium scripturæ, qvòd Christus nasciturus fuerit ex semine Davidis, atqve sic ex eodem colligit MARIAM etiam ex semine Davidis nasci debuisse, qvæ collectio firmissimè concludit.

§. XXIII. Alia omnia inveniet, qvi antiqvorum mendacissimas Legendas consulet, & fabularum integras videbit Myriades, qvæ exercendis pulmonibus erunt plusqvàm sufficientes. Meritò easdem rejicit *Baronius*, *Apparat. ad Annales Sect.* XXXIX. & laudem propterea candoris & prudentiæ promeruisset, nisi ipse etiam fabulosissimo Nicephoro in hac caussa nimium credidisset. Non decet virum: qvi modò fabulosum de Nativitate MARIÆ Librum, qvi Hieronymo tribuitur, sed falsò, rejecerat, ob hoc ipsômet eum laudante Casaubonô, Exercit. ad num. XXXIX. p. 99. seqq. mox Hippolytum Martyrem Portuensem apud Nicephorum, lib. II. c. III. nimium credulum hæc
referre

referre: Tres fuêre sorores Bethlemiticæ; Filiæ Matthan Sacerdotis, & Mariæ conjugis ejus sub Cleopatræ & Casoparis Persæ Regno, ante Herodis Antipatris Filii Regnum, primæ MARIÆ, secundæ SOBE, tertiæ ANNÆ nomen fuit. Nupsit prima in Bethlehem MARIA & peperit Salomen Obstetricem, nupsit qvoqve secunda SOBE in Bethlehem & genuit Elizabeth, nupsit postremò tertia ANNA in terra Galilaæ, & protulit MARIAM DEI Genetricem ex qva nobis natus est Christus.

§. XXIV. Vix mihi persvadere possum, Baronium hæc dum scripsit seriô scripsisse. Qvoties enim aliàs ipse Nicephoro dicam veritatis scribit! Fabulosissimum auctorem vocat hunc Nicephorum Casaubonus & judicii in Literis nullius p. 104. & haut dubiè speciosô Hippolyti titulô deceptus fabulas maleferiati Monachi pro scripto Hippolyti Portuensis Martyris celebrati legit, qvod fragmentum suppostititium esse dudum demonstravit Casaubonus ad locum Baronii citatum. Primus, qvi nominis Joachim (sic enim vocant Patrem Josephi) mentionem fecisse adnotatur est Epiphanius, qvi circa A. Chr. CCCLXX. vel CCCLX. vixit, idqve nomen habet, Hæres. LXXIX. c. V. ubi nec simpliciter adprobat, nec rejicit simpliciter; qvæ ex Historia Nativitatis Mariæ & Traditione haberi refert. Qvæ hodie circumferuntur de Parentibus MARIÆ non sunt ferè nisi suppostititia, qvò etiam spectat Oratio ipsi Epiphanio tributa de laudibus S. Mariæ deiparæ, qvam Cardinalis Baronius pro se citat, Martyrolog. ad diem XX. Martii, & habetur Oper. recensente Petaviô, Tom. II. p. 291. seqq. Ex istis fabulis innumeris propemodùm pauculas qvasdam habitô selectu sistere volui. Habentur Fabulæ in oratione Epiphanii citata,

in Libello Hieronymi † de Nativitate Messiæ, qvi reverà est Seleuci cujusdam Hæreticissimi & habetur, Tom. II. Oper. Hieron. recensente Erasmô, fol. 207. seqq. apud *Baron.* in Appar. apud Bernardinum de Bustis, Marial. part. II. serm. III. apud Pelbartum in stellario Coronæ, lib. I. part. I. in Historia Lombardica, num. 126. fol. 191. B. in Legenda rara & cara de Sancta Anna, c. III. IV. V. ex qvibus hanc subseqventem contraxi narratiunculam.

§. XXV. Joachimus & Anna Conjuges postqvàm diu steriles vixerant, accidit aliqvando, ut, cùm more consvetô Hierosolymis inter alios munera offerrent, summus sacerdos Issaschar Joachimi munera respueret, additis verbis, maledictum esse, qvi non genuisset Masculum. Joachimus hâc voce turbatus furtim se aufert & ne à contribulibus suis contumeliosè haberetur, veritus, ad pastores suos in campo cum gregibus suis commorantes venit. Qvadam verò die Angelus insigni fulgore circumfusus ei adparet, & MARIAM Filiam promittit, idqve signi dat, Annam Hierosolymis reverso ad Auream Portam obviam futuram. Angelus verò iste fuit Gabriel, de qvo Bernardinus de Busto, l. c. longum texit sermonem, qvantum gavisus fuerit, qvando hoc secretum DEUS Ei revelavit, & misit eum nuncium Patri & Matri ejus. Neminem posse enarrare, qvantas gratias egerit, qvòd Eum ad tam mirabile opus præelegerit, qvàm celeriter & cum qvanta lætitia ad parentes Virginis pervenerit, qvàm juçunde sit visus per agmina Angelorum transire, atqve aliis Angelis revelare: postqvàm verò virginis nativitatem nunciârit, rediens ad Cælestia, qvàm magnum gaudium & tripudium factum sit ab omnibus Angelis,

† Vide supra dicta p. 263.

gelis, cùm intellexissent, MARIAM nascituram ipsorum dominam futuram.

§. XXVI. Qvis hìc non in maximam abripietur admirationem considerans, qvàm manifestis & anilibus propriissimè fabulis secula ista aures apertas exhibuerint? Hodie certè vix sagacissimæ nutrices balbutientes adhuc † infantes talia persvadeant. Sed tamen ne sine ratione hæc ab illis allata videantur, argumenta ex scriptura desumunt. Et qvidem Bernardinus de Bust: ineptissimus bipedum, Mariæ Nativitatem miraculosam probare conatus ex, Gen. I. 1. seqq. Cujus loci, egregiam scilicet! accipite qvæso, Explicationem stolidissimi hominis. *In principio creavit Deus cælum & Terram* Joachimum & Annam, *& Terra erat inanis & vacua*, & Anna erat sterilis & infœcunda *& Tenebræ erant super faciem abyssi* & tenebræ afflictionis & confusionis erant super faciem ipsius Annæ, *& Spiritus Domini ferebatur super aqvas* scil lacrymarum ad consolandum Eam, *dixit verò Fiat Lux* Fiat virgo Beata. An hæc & alia hujus furfuris risum potiùs an dolorem propter nimium seculorum istorum torporem mereantur, ambigo. Rejicula certè sunt, & qvæ eo ipso dum recensentur, repudiantur.

§. XXVII. Objiciunt eqvidem omnes ferè Pontificii cum *Baronio*, se non putare, qvemqvam tam emotæ mentis reperiri hominem, qvi non intelligat, magna & admiranda per omnia præcessisse Natalem Mariæ, cùm talia de Isaaco, Simsone, Samuele, Johanne Baptista, & aliis observata legantur, qvorum tamen dignitas nondum tanta fuerit; qvanta MARIÆ, qvæ ab æterno (sic loqvuntur) meruerit Mater DEI esse. Eqvidem non negamus absolutam & infinitam DEI potentiam nec in hoc actu limitibus circumscriptam fuisse,

† Lege *balbutientibus adhuc infantibus*.

ſe, potuiſſe DEUM miracula circa nativitatem & conceptionem MARIÆ etiam edere, nos defendimus, ea tamen facta eſſe, Scripturâ prorſus tacente, aſſerere non audemus.

§. XXVIII. Si aliqva ex his, qvæ Pontificii crepant, miracula fieri vel debuiſſent, vel etiam facta fuiſſent, haut dubiè id vel Deus in V. T. per aliqvem prophetarum prædixiſſet, vel Euangeliſtæ in Hiſtoria ſua illud non ſubticuiſſent, præprimis cùm de Johanne Baptiſta adcuratiſſimè omnia obſervârint. Et, ſi qvæ accidiſſent notatu & admiratione digna, ubi qvæſo illa ad ſeculum uſqve qvartum latuiſſent? Unicum ſcimus miraculum ibi accidiſſe, idqve longe præſtantiſſimum. Ecqvid enim majus fingi poteſt, qvàm hoc: Electam eſſe ante jacta Mundi fundamenta Virginem, cujus beata viſcera DEI fierent auguſtiſſimum Templum, in cujus Utero divinæ & Humanæ naturæ fieret concilium, ex qva IMMANUEL naſceretur, qvæ conciperet, pareret & virgo tamen maneret. Qvod ipſum etiam ſignum à DEO datum expreſſè vocat Eſajas, c. VII. 11. ſeqq. Cauſſam ſi qvis qværat cur adeò Pontificii pro Miraculis circa Conceptionem Mariæ pugnent tanqvàm pro aris & focis, dicam: Sunt hæc qvædam qvaſi præluſiones, & Exordia ad immaniorem longè & magis Impiam Opinionem, qvâ illi MARIAM ex numero hominum peccatorum eximere allaborant. Largiores videntur hac in parte Weigelio, ſed reverâ æqvè abſurdi cum ipſomet ſunt. Diſerta hæc multorum eſt adſertio MARIAM SINE PECCATIS CONCEPTAM ET NATAM ESSE. Multorum, inqvam: tanta enim veritatis vis eſt, ut multi etiam ipſorum Pontificiorum hîc nobiſcum faciant, ſeqventes judicium B. Auguſtini de hac lite, qvod tulit de Geneſi

ad literam, lib. x. c. xviii. p. 650. *Virginis carо*, inqvit, *etiamsi de peccati propagine venit, non tamen de peccati propagine concepit, ut ne ipsum qvidem corpus CHRISTI ea Lex severit in utero MARIÆ, qvæ in membris posita corporis mortis repugnat Legi. Proinde corpus CHRISTI: qvamvis ex carne Feminæ adsumtum est, qvæ DE ILLA CARNIS PROPAGINE CONCEPTA FUERAT, tamen, qvia non sic in ea conceptum est, qvomodo fuerat concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati*. Hæc Augustinus.*

§. XXIX. Bernhardus, utut aliàs insignis & nimius qvidem cultor B. VIRGINIS, declinat hanc Qvæstionem, magis tamen ad nostram inclinare videtur partem, qvod ad conceptionem attinet. Ita enim ille in Cœna Domini, Serm. xiii. p. 1338. *De qva* (MARIA) *cùm de peccatis agitur, nullam volo habere Qvæstionem.* In Epist. clxxiv. ad Canonicos Lugdunenses: *Si licet loqvi*, inqvit, *qvod Ecclesia sentit (& verum ipsa sentit) dico, Gloriosam de Spiritu Sancto concepisse, non autem conceptam fuisse, dico peperisse Virginem, non tamen partam à Virgine. Alioqvin, ubi erit prærogativa Matris Domini, qvæ singulariter dicitur exultare, & munere prolis & integritate carnis, si tantumdem dederis & Matri ipsius? Non est hoc virginem honorare, sed honori detrahere &c.* Ea cereroqvin propria ejus mens fuisse dicitur, MARIAM in peccatis & cum peccatis eqvidem conceptam, sine tamen peccato natam fuisse. Id enim inferunt expressissima ejus verba, Serm. iv. super Salve Regina: *Ego qvoqve piâ fide opinor in utero Matris tuæ ab originalibus te absolutam peccatis nec vana est fides, nec opinio falsa* &c. *Augustinus* hac in parte ἐπέχειν sustinere mavult, & qvæ-stionem

*. Confer. Rich. Holdsworth Prælectiones Theolog. Lect. xli. p. 361. s.

ftionem non aliter atqve Bernhardus, l. c. declinat, lib. de Natura & Gratia contra Pelagianos, c. xxxvi. Cum Bernardo verò expreſsè facit Thomas part. iii. q. 27. art. 3.

§. XXX. Gravius ſine dubio errant, qvi etiam ſine peccatis conceptam perhibent. Inter qvos agmen ducat Ferd. Qvir. de Salazar, utpote cujus Fabula reliqvos omnes antevertere videtur. Is in Prov. iix. n. 353. ſomniat: Primum hominem motum qvemdam circularem confeciſſe, qvia cùm per creaturas in Deum debuiſſet tendere, detorqvens motum, à ſe profectus in ſemetipſum rediit, divinitatem ſibi arrogare volens. Hôc motu alios omnes homines tanqvàm primum qvoddam mobile ſecum arripuiſſe, ac tranſgreſſionis ſuæ reos feciſſe. Attamen motum ipſum MARIÆ Empyreum Cælum minimè attigiſſe, qvia Deus illam longô intervallô ſuper Adami injurias evexit effecítqve, ne inordinatus illius motus ad illam pervenire potuiſſet. Cauſſam ſi roges, in promtu eſt, qvia *Maria erat Cælum Empyreum*, qvod Deus ſibi in ſedem Thronúmqve elegerat, atqve ideò & immotum & conſtans ab initio eſſe oportebat. Sed profectò hìc Salazar manifeſtum committit circulum. Probare volebat, Mariam conceptam non eſſe in peccatis, probat id, qvia non aberravit à Deo, non verò aberrâſſe à Deo, qvia Deus eam longô intervallô ſuper Adamum evexit, annon hoc eſt id ipſum, qvod primitus in qvæſtione erat? Verùm hic mos eſt probandi apud Pontificios. Qvod Salazar ſub figuris alii expreſſis verbis ſcribunt & loqvuntur.

§. XXXI. Dici tamen non poteſt, qvantas hæc aſſertio tum alibi, tum in Concilio Tridentino & variis in locis poſt habitum illud conciliabulum inter ipſosmet Pontificios turbas dederit, legat,

qvi lites Paterculorum desiderat, Petrum Svavem in Histor. Concil. Trident. lib. II. p. 142. Edit. Latin. in folio, & Lucam Waddingum de hac re peculiari scriptô, qvod Lovanii prodiit, A. M. DC. XXII. qvódqve in compendium redegit & exhibet Andr. Rivetus, Apolog. pro SSa. Virgine MARIA, lib. I. c. V. seqq. p. 611. seqq. Nec in hunc diem decidere hanc Controversiam vel ausus est Papa, vel potuit: extremis & sine spe compositionis inter Dominicanos & Franciscanos eorúmqve asseclas gliscentibus odiis, in Hispania unica Franciscanorum thesis obtinuit, coguntúrqve omnes Doctorandi illorum dogma subscribere. Dominicani qvi à nostris hoc in puncto stant, partibus Scripturæ dicta urgent, Franciscani contra præter vix qvidqvàm habent, qvod proferant.

§. XXX. Eqvidem ad Decalogum provocant, teneri Christum vi præcepti qvarti Matrem suam honorare omni possibili modô, i. e. præservare etiam à Labe naturali, uti mentem suam explicat Bernardinus de Bust. part. I. Serm. I. part. III. Lubricum hoc nimis fundamentum est, unde nec rigidissimis MARIÆ Cultoribus placuit illa sententia. Et qvomodo eam, qvæ nondum erat, ut Matrem colere Christus poterat? Prius erat producenda, & tunc in Matrem CHRISTI eligenda. Nec propterea impius filius, qvòd colligit Bernardinus, CHRISTUS dici potest, qvi virgini peccatrici & in peccatis conceptæ & natæ honorem hunc detulit. Cúmqve Pontificii omnem suam fidem in auctoritates humanas resolvere soleant, audiant, qvid *Canus* LL. Theolog. lib. VII. c. I. habeat: Sancti, inqvit, omnes, qvi in ejus mentionem incidêre, uno ore adseverârunt, B. Virginem in peccato Originali con-

 ceptam,

ceptam, in cujus rei argumentum plurimos ex Patribus citat. Cruciat se hic mirum in modum Salmeron, Tom. IIX. Oper. in Rom. v. nec tamen, unde evadat, invenit. Exceptiunculas qvasdam affert, solutu tamen usqve adeò non difficiles. Locum nempe ab auctoritate haberi pro infirmo, Patribus allegatis alios posse opponi, consentire enim secum universam Ecclesiam. Contra suos & suorum ita Salmeron respondet Hypotheses. Firma satis sunt argumenta ab auctoritate deducta, qvando cum ipsis Pontificiis agitur, καί ἄνθρωπον firmius argumentum adduci non potuisset. Patres Patribus opponi posse non negamus. Interim tamen forsan & apud ipsos Pontificios non omnium eadem erit autoritas. De consensu qvæ gloriatur, sunt mera commenta. Ubi tot membra deficiunt, anne ibi amplius est tota Ecclesia. Ostendat Salmeron (si sal habet) aut hos non fuisse Ecclesiæ membra, aut eosdem idem secum docuisse. Imò qvid multis opus est? Ipse, utut nolens laudat eos, qvi sententiæ sibi adversæ adhærent, laudandam dicit eorum humilitatem, qvòd nolint insolens aliqvid in Ecclesiam invehere; eosdem piô & humili timore correptos auctores seqvi Illustres. Qvid ab amico faventius dici potuisset?

§. XXXIII. Qvid ergò obstat, qvô minus & nos huic laudandæ humilitati studentes adseramus, MARIAM IN PECCATIS OMNINO NON CONCEPTAM TANTUM, SED ET NATAM ESSE. Ducunt nos eò perspicua & expressa Scripturæ dicta, qvæ à labe originali nullum omnino hominem excipit; sed ad unum omnes vult inclusos, Roman. v. 12. seqq. 1. Cor. xv. 22. Omni exceptione major est adsertio ipsiusmet veritatis Christi;

Qvidqvid ex carne natum est, caro est,

Joh. III. 6. Nec enim Adamus & Heva, ut solitariæ personæ & sibi solis lapsi sunt, sed ut stirps & parentes omnium subsecutorum Hominum & adeò etiam nobis. Si nobis, etiam Mariæ, nec ipsâ exceptionem hanc admittente, qvando in egregio suo Cantico Christum ex se nasciturum Salvatorem suum nominat, Luc. I. 47.

§. XXXIV. De conceptione & Nativitate nunc certi, de qvibusdam breviter circumstantiis solliciti etiam erimus, non ut (qvod hìc promitti neqvit) certi aliqvid polliceamur, sed ut ab ineptiis Pontificiorum eorumdémqve nimio & ad superstitiones maximo studio cavere nobis discamus. Primùm de tempore qværitur, tum conceptionis tum etiam Nativitatis. Unâ operâ utrúmqve videbimus. Conceptam ergo dicunt B. MARIAM die VIII. Decembris, natam verò VIII. Septembris, Annô V. C. DCCXXXVII. ab Augusti Triumviratu XXVI. COSS. Furniô Nepote & Juniô Silanô; Olympiadis CXCæ, annô tertiô, *Baron. app. ad Ann. n. XLIX.* alii tamen annum subseqventem adsumunt, verùm de hoc facilè transigi posset, dummodò firmis uterentur argumentis. Supponit utráqve pars, MARIAM Annô ætatis XV. peperisse CHRISTUM, unde jam facilis foret Computus retrogradô ordine si progrederemur. Nos tamen, cùm res hæc omnino fundamentis & testimoniis tum αὐτοπίστοις tum ceteroqvin ἀξιοπίστοις destituatur, meritò eam suo loco relinqvimus, & ignorantiam nostram fateri, qvàm Monachorum otiosorum nugis tantam adhibere fidem malumus.

§. XXXV. Provocant eqvidem ad constitutionem

nem & consvetudinem Ecclesiæ aliqvot jam abhinc seculorum, qvæ diem VIII. Decembris conceptioni MARIÆ sacrum esse jubeat. Sed & hoc lubricum perqvàm est argumentum, cùm nec annus nec character aliqvis, ex qvo annus indubitatò elici possit, additus reperiatur. Adhæc Festum illud recentius est, & fatetur ipse Baronius in Martyrolog. Rom. ad d. VIII. Septembr. tempore Caroli M. & Ludovici Pii Seculô IX. in Galliis nihil de hoc Festo cognitum fuisse. Pari nunc, qvâ annum, certitudine diem etiam scimus, scilicet qvia Pontificii sic perhibent. Nec habent, qvô confugiant, nisi ad aniles qvasdam Fabulas, qvas magnô numerô hìc allegare solent. Historia Lombardica, n. cxxxvIII. de Conceptione S. MARIÆ Virginis, fol. 294. Editionis antiqvæ Argentinensis Annô MCDXCVI. copiosa est in enarrandis istis fabulis. Unam atqve alteram saltem tanqvàm specimina Pontificiæ frontis in medium adducam. Helsyno qvodam † Abbate ex Dacia, qvò à Gvilelmo Rege Normannorum ablegatus fuerat, reverso, patriámqve repetenti naufragii periculum imminuisse, ipso* verò VIRGINEM invocanti adparuisse virum pontificiali vestitu ornatum, cúmqve svasisse, ut, si evadere vellent, sponderent sibi & DEO, qvòd dein conceptionis & Creationis Matris CHRISTI JESU festum celebrare & celebrandum prædicare velint, id verò fieri debere sextô Eidus Decembris, idqve liberatum & suis restitutum Abbatem effectum dedisse.

§. XXXVI. Sed, ut appareat, qvantum præsidii qvivis etiam Nebulones, & desertores à MARIA exspectare habeant apud Pontificios, alias duas recensebo tribus verbis; Temporibus Caroli Regis Francorum, Clericus qvidam ordine Levita

† Lege *Cuidam Abbati* * *ipsi*.

Regis Ungariæ Germanus admodùm dilexisse B. VIRGNEM MARIAM dicitur, consiliô verò Parentum nubere voluit, acceptâqve jam benedictione Sacerdotali nondum eâ die MARIÆ Horas sese legisse recordatur, missâ itaqve domum sponsâ, claussis Templi foribus ad altare solus accedit, & Horas more solitô canit. Cantanti verò hæc verba: PULCRA ES ET DECORA: Maria adparere, & qværere ex eo, cur, si tam pulcra esset, eam contemneret. & aliam præ se diligeret? Ipse missâ sponsâ domum non redire, sed in Monasterium abire, & juxta præceptum MARIÆ VIII. Decembris die Conceptionis MARIÆ FESTUM celebrare. Hoc qvod seqvitur spurcitiem & stultitiam Pontificiorum magis & apertiùs prodit. Clericus qvidam cum uxore alterius (sit venia Latinis & Ciceronianis auribus) adulteratus fuerat, & domum super Sacanam reverti volebat. Horas verò MARIÆ canebat, tunc spectrum diabolicum ipsum cum Navicula submersit: MARIA verò tertiâ die pòst ad locum, ubi ille torqvebatur, veniebat, & disceptabat cum dæmone de anima, hócqve excipiente, se in operibus suis eum invenisse, puta Adulterum, illa regerebat minimè: Scias enim eum Horas legisse. Qvô auditô diabolis hinc inde aufugientibus MARIA animâ ad corpus reductâ & cum eo unitâ Clericum ex aqva vivum eduxit, hôc in mandatis additô, út Conceptionis suæ Festum ordinaret VIII. Decembris celebrandum. Nos ista prorsus non movent, fides enim nostra innititur revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qvi Canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qva fuit, aliis doctoribus factæ, orthodoxè prorsus consentiente Thomâ, part. 1. qvæst. 1. art. 5. ad primum.

§. XXXVII.

§. XXXVII. De Loco res æqvè per omnia incerta est. Hierosolymis conceptam & natam censet Adrichomius de Jerusal. numer. XVII. idqve vulgò Hierosolymis dici, templum etiam & Cœnobium Virginum ibi Locorum fuisse Divum Annæ appellatum propè piscinam probaticam, idem refert. Qvod anteà etiam docuerat *Johannes Damascenus de Orthod. Fid.* lib. IV. c. XV. τίκτεται δὲ ἐν τῷ τῆς προβατικῆς τοῦ Ἰωακεὶμ οἴκῳ. Eamdem demum in Oratione prima de Nat. Virginis ita alloqvitur: *Fausta Tibi sint omnia, ô probatica, patrium Reginæ domicilium, fausta Tibi sint omnia, ô probatica, Seminum Joachim vetus Fanum, nunc autem Ovilis ratione præditi Ecclesia, Cælum imitans, atqve olim qvotannis Angelum excipiens aqvam turbantem, & unum valetudini restituentem.* Auctori Libelli de Nativitate MARIÆ, qvi perperàm *D. Hieronymo* tribuitur, NAZARETH Patria B. VIRGINIS est, cum qvo etiam facit *Abulensis*, in Matth. II. *nata est in Nazareth, ut asserunt, vel in Sephoro, qvod est oppidum distans à Nazareth tres Leucas, contra Aqvilonem; nam de ipso Loco dicunt fuisse Joachim, alii D. Annam ibi ortam dicunt.* Et huic posteriori sententiæ *Baronius* etiam calculum suum adjicit, *Natam ferunt Nazareth. Apparatu ad Annal. n.* XLVIII. Hæcqve communissima & veritati proxima, ideóqve nec simpliciter rejicienda est sententia, qvia in eadem urbe Nazareth MARIA vixit, & ab Angelo annunciationem Filii DEI in ipsa concipiendi, & ex ea nasciturì accepit, qvia tamen & hanc litem Scriptura non decidit, præter probabilitatem & meras conjecturas hic nihil habemus.

§. XXXVIII. Vidimus nativitatem ipsam, & qvæ cum ea conjunctæ fuerint, Circumstantias Loci & Temporis. Nunc & qvæ Nativitatem proximè

proximè ſubſecuta ſunt, erunt videnda. Miraculoſè per Legationem Angelicam, eô prorſus modô, qvô Chriſti Nativitas adnunciata Paſtoribus legitur, Nativitatem Mariæ patefactam fuiſſe, fabulatur Bernardinus de Buſt. part. II. Marial. Serm. III. de Nativitate MARIÆ. *Credendum eſt*, inqvit, *Angelos, idqve indubiè, Nativitati B. Virginis interfuiſſe, de omnibus BB. Angelorum Ordinibus copioſam multitudinem de Cælo deſcendiſſe, qvi Sponſæ æterni Regis naſcenti omnis generis Muſicorum dulciſſimum ſonitum faciebant, ſvavisſimáqve Carmina cum mellifluis & ineffabilibus melodiis decantabant, qvæ ipſa benedicta puella audiens & intelligens, qvia uſum rationis habebat, (qvæ tamen expreſſè negat Thomas, part.* III. *q.* 27. *art.* 3.) *magnam dulcedinem & conſolationem ſentiebat.* Idqve poſtmodùm variis adparitionibus & revelationibus confirmatum fuiſſe perhibet, *Hiſtor. Lombardica, fol.* 192. *C.* qvarum fabularum recenſioni parco, ne in tempus & chartam injurius videar, qvorum neutrum putidiſſimæ merentur ineptiæ.

§. XXXIX. Ad Natales meritò etiam nomen referri totus perſvaſus ſum. Paucula ergò adhuc, priuſqvàm claudam, de nomine MARIÆ & ridiculis ejusdem expoſitionibus qvædam dicere placet. MARIÆ nomen Virgini fuiſſe certò conſtat ex Hiſtoria Euangelica, Luc. I. 17. qvòd verò ſic nominata fuerit ab Angelo, priuſqvàm in utero materno conciperetur, nusqvàm in Scriptura obſervare eſt. Excipiunt eqvidem, (ne vel minima pars ſtultitiæ Pontificiæ lateat) Nomen hoc omninò in Scriptura prædici, & qvidem in primo ſtatim capite Geneſeos, commate decimo. Scilicet *Pelbartus* eſt, qvi ita egregiè Scripturam ex ſua vulgata interpretatur, *Stellar. Coron. lib.* VI. *part.* II. *art.* I. Verba Scripturæ hæc ſunt; *Ari-*

da autem vocavit Deus terram, congregationem verò Aqvarum Mária. Qvid ad hæc veſanus homo? *Notate verba*, inqvit, *ſignate Myſterium, qvid eſt enim congregationes aqvarum, niſi congregationem Gratiarum in unum locum, id eſt, Virginem MARIA?* Qvaſi verò מים, qvod aqva notat, idem ſit, qvod MARÍA. Produnt hìc homines Pontificii, qvi tamen ſe ſolos ſapere putant, ſuam ſupinam negligentiam, extremam inſcitiam, & hallucinationes, ipſâ Priſciani ferulâ dignas. Simile qvid Rabbenu Hakkadoſch apud Galatinum nugatur, lib. VII. de Arcanis Cathol. Veritatis, c. XIII. p. 412. lit. c. qvi nomen MARIÆ ex verbis Eſajæ IX. 7. לםרבא המשרא Ad multiplicandum Dominium ita exponit, ut ex illis fiat לםרים שרה Mariæ Dominæ.

§. XL. Videamus Metamorphoſin. In לםרבא retinet לםר ה ultimum in Lemarbeh & Emphaticum in Hammiſra coagulat in unicum Jod, rationem dat, qvia duo He & unum Jod eumdem conficiunt numerum apud Ebræos nempe denarium. His ita ſe habentibus aſſumit ex voce Hammiſra ם, ſicqve habet jam Lemirjam לםרים. Si qvis de ב qværat qvorſum venerit? latere id dicet in Mirjam, & additum ſaltem apud Eſajam fuiſſe in medio vocis Lemarbeh, unde Lemirjam deductum, ut unà cum Mem clauſo indicet perpetuam B. Virginis MARIÆ virginitatem. Superſunt ergò nonniſi tres literæ שרה qvæ ipſa ſunt Sarah, habet ergò jam, qvòd volebat. Gratulatur ſibi mirum in modum Galatinus de egregio Judæi hominis conſenſu, non advertens, vel ad minimum advertere non volens, mera hæc eſſe commenta, & omni fundamentô carere, uti ab aliis alibi ſufficienter demonſtratum eſt. Sed & præfiguratam dicunt MARIAM per mulieres qvasdam in Veteri Teſtamento celebriores, idqve ex literis

ris Nominum Muliebrium initialibus probare satagunt, Præfiguratam fuisse per Michal propter M. per Abigail propter A. per Rachel propter R. per Judith propter J. per Abisag propter A. verùm si ita procedere liceret, qvis homo neqvissimus non præfiguratum se dicere posset à Viris oppidò sanctissimis?

§. XLI. Aliam nos prorsus rationem subesse putamus cur hoc nomen, MARIÆ scilicet, Infanti impositum fuerit. Notum qvippe est, apud omnes ferè populos id in more positum esse, ut virorum vel feminarum inter suos celeberrimorum nomina Proli suæ ad incitandum eos ad similes virtutes indant, unde etiam pleríqve sub eodem Principe nati, ad aucupandum simul Domini favorem, Principis nomine insigniuntur. Cùm verò inter Feminas Israëliticas easqve antiqviores, vix celebrior inventa fuerit, qvàm MIRJAM, Mosis Soror, haut dubiè impositione nominis MIRJAM sive MARIA respectum fuit & hîc ad Feminam Illam longè celeberrimam.

§. XLII. Qvid verò hoc nomen notet & unde propriè derivetur,

Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.

Hieronymus Patrum Ebraicè doctissimus, libr. de nominibus Ebraicis, per stellam Maris vel Amarum Mare interpretatur. *Mariam*, inqvit, *pleríqve æstimant interpretari illuminant me isti, vel Illuminatrix, vel Smyrna Maris, sed mihi neqvâqvàm videtur, melius autem est, ut dicamus, sonare eam STELLAM MARIS sive AMARUM MARE.*

RE. Error haut dubiè librariorum eſt, qvi pro STILLA ſcripſerunt STELLA. מר enim Ebræis non ſtellam ſed ſtillam ſive guttam notare ſolet.

§. XLIII. Et nihilominus hoc Etymon omnes aſſumunt Pontificii, & lubrico huic fundamento innititur Univerſus Pontificiorum cultus Idololatrico Marianus. Expreſsè ſiqvidem *Salmeron*, Tom. III. Tract. IV. *Habet ſtella hæc nempe Lucifer, ſeu Heſperus directionem in ſuo ductu, nam dirigit navigantes ut perveniant ad portum: & ita Mater MESSIÆ in omni periculo nobis ſuccurrit, ut ad portum Gratiæ DEI vel vitæ æternæ perveniamus.* Si unqvam, hìc certè implebitur uſitatum proverbium: OMNE SIMILE CLAUDICAT. Claudicat certè hoc ſimile in utrámqve partem. Qvis enim qvæſo nautarum ad Heſperum vel Luciferum reſpicit? Fallax nimium hic dux & perbrevis foret, qvi Solem à qvo longe non recedit, & præcedentem non à longè ſeqvitur, jamqve appropinqvantem non multum antecedit. Eruditum & Aſtronomum non infimum eſſe oportet, qvi juxta Luciferum vel Heſperum curſum ſuum dirigere vellet. Qvônam ergò duce, qvi verſus Orientem tenderet, Heſperô à tergo conſtitutô duceretur & vice verſâ? Bonus ille Salmeron videtur qvid pro qvo accepiſſe, (ut loqvuntur) Heſperum cum Cynoſura, Stellam erraticam cum fixis commutâſſe. Scio eqvidem & Chriſtum conferri cum Heſpero ſed alias ob rationes, ob Inſignem Lucem, ob annunciationem diei Euangelicæ &c. His tamen miſſis, ubi ad probationem ventum fuerit, cur Maria ſit Dux noſtrarum actionum aqva ipſis hæret, Chriſto hic titulus competit ut vocetur Stella matutina, Ego, inqvit Jeſus, miſi Angelum meum, ut hæc vobis teſtificaretur in Eccleſiis,

Ego

Ego sum stirps & progenies illa Davidis, STELLA ILLA SPLENDIDA ET MATUTINA, Apoc. XXII. 16.

§. XLIV. Impietatem suorum magis adhuc propalat *Viegas Jesuita in Apoc.* XII. ubi comparat nomen MARIÆ cum nomine יהוה, eò, qvòd non sine Mysterio tetragrammaton sit. Dicit esse nomen ineffabile ipsis etiam Angelis, esse nomen post JESU nomen super omne nomen, ut in nomine ejus omne Genu flectatur &c. qvô auditô gaudeant animæ in purgatorio, qvemadmodùm æger jacens in lecto auditô solatii verbô, qvod æqvè ac MESSIÆ nomen propagari voluerit DEUS. Et *Pelbartus Stellar. Cor.* lib. VI. part. I. *Hæc sunt Illa dignissima, illa dulcissima nomina, videlicet JESUS & MARIA, sub qvibus oportet salvos fieri credentes, & ad qvorum Invocationem omnis nobis gratia præstatur & peccatorum venia.*

§. XLV. Nos detestamur hæc & alia, qvæ Pontificii lubricis fundamentis superstuxerunt, Impietatis ædificia. Nobis non parum probatur explicatio & interpretatio *Angeli Caninii* eruditissima, *Libr. de Locis Scripturæ Ebraicis*, c. XIII. sive penultimô, p. m. 46. edit. opt. Paris. M. D. LIV. in 4to. *Mariam*, inqvit, *compositum nomen esse qvidam putant, & mare salsum, vel stellam Maris interpretantur; sed ridiculè primùm, tùm contra Ebraicæ Lingvæ Analogiam. Cùm enim scribatur* מרים *mirjam & bisyllabum sit, omnes Ebraicè docti fatebuntur, Heemanticum esse ac simplex. Cùm enim præter Mem, tres Thematicæ adpareant, necessariò Mem cum chirek Heemanticum est. Thema itaqve est,* רם *Ram, eminuit, in qvo media qviescit, qvæ in derivato movetur ut à* קם *kam fit* קים *kijam & Syriacè* קים *kejam. Mariam ergo, sic enim dicitur Syriacè, est excelsa, sublimis, atqve eminens, qvod etymon optimè*

me tàm è Lingvæ ratione, qvàm ex merito per gratiam ſanctiſſimæ Virgini convenit. Hæc ille, cum qvo conſentit etiam *Druſus*, *Comment. poſter ad voces* N. T. c. xv. † Et hæc ferè prorſus tota fuit ſententia etiam *Damaſceni de Orthod. Fid.* lib. iv. c. xv. τίκτει τοι γὰρ οὖν ἡ χάρις (τοῦτο γὰρ ἡ Ἄννα ἑρμηνεύεται) τὴν κυρίαν τοῦτο γὰρ σημαίνει τῆς Μαρίας τὸ ὄνομα. Et hæc etiam de nomine. Nihil jam ſupereſt, niſi ut Lectoris æqvum & humanum ſperemus de Exercitio hoc qvali qvali Judicium: Tibi verò DEUS Optim. Max. ſit Laus, Honor, & Gloria pro Verbo tuo, qvod hactenus nobis purum conſervaſti, deduc nos porro in omnem veritatem, & fac, ut Unica Veritas, & Sanctiſſima tui nominis Gloria ſit Unicus omnium noſtrarum actionum & cogitationis beatiſſimus

FINIS.

SEPTENOS inter qvondam Cui Laurea Serta
SILESIOS frontem circumcinxêre ſerenam,
Publica Doctorum conſcendis pulpita rurſum;
SEPTENOQVE Tibi Muſas obſtringis Amore.
Qvæ DEPENDENTIS ratio, qvæ MAGNA PATRANDI
Sit VIRTUS, qvando NATUS de virgine CHRISTUS,
Qvalis Adamiticus MENSIS, Grajus, Latiúſqve
Germanúſqve olim fuerit, tua Lingva probavit,
Et tua commendat multis Te Cura DIEI.
Qvin & verba DEI Doctorum dogmata verſas,
Et, qvàm SCRIPTURÆ ſacræ ſit ORIGO tremenda,
Defendis, varias Hominum fraudéſqve refellis
Qvos perverſa tenet Studiúmqve & cura docendi.
Nunc qvæ ſit MATRIS CHRISTI diſqviris ORIGO,
Et ſalsè rides veterum Commenta, MARIÆ

† Vide & Glaſſ. lib. iv. Philolog. Tract. iii. Obſ. xi. p. m. 964. al. p. 809.

Priſtina reſtituis ritè argumenta decoris.
Patria ſic nobis tua porrò mittat alumnos
SEPTEM, SEPTENIS vicibus qvos Cura fatiget
Inclareſcendi, SEPTEM qvò Laurea Phœbus
Verticibus ponat SLESORUM ſigna Minervæ,
Et ter SEPTENO verſu gratabor Honores.

Clariſſimo Dno. M. Reſpondenti Diſp. Autori, Convictori & Domeſtico ſuo dilectiſſimo animitus gratulabatur

ÆGIDIUS Strauch.

D. Coll. Th. Adſeſ. Hiſtor. P.P.



VI.

يوحنا بن زكريا.

Hoc est,


INQVISITIO PHILOLOGICA IN HISTORIAM JOANNIS FILII ZACHARIÆ,

Quam

BENIVOLO SUPERIORUM PERMISSU
instituit & censuræ publicæ
submittendam curavit

PRÆSES
M. JO. ERNESTUS BUTNERUS
KIRCHHAYNA-LUSATUS,
RESPONDENTE
JO. LEONARTO GLEISSIO
MARCOBRAITA-FRANCO.

a. d. Decollationis JOANNIS
CIↃ IↃC. LXX.



PRÆFAMEN.



ACrimoniâ judicii præ aliis polleat necessum est, qvi καθ' ἀκρίβειαν *omnia velit expendere. Tantum ergo abest, ut juvenis omnino par sit iis, in qvibus ingenia Oedipode sæpe subtiliora sudant, ut potiùs in his se non rarò totus intricet. Non tamen iccirco penitus animô frangi convenit, aut res sublime qviddam redolentes intactas planè relinqvere. Qvamvis enim fœtus, qvos hujus generis ingenia edunt, ex Tripode Apollineo non statim à primo exortu videntur orti; paullatim tamen successus capere feliciores pergunt. Ut non tam benè qvàm verè dicant Arabes:* وال الشجر النواة h. e. *principium arboris est ossiculum; magnarum rerum parva solere esse initia indigitantes. Nec ullus unqvàm ita natus est omni ex parte perfectus, hujus ut ætas prima virili adæqvata fuerit. Hinc mihi JOANNEM tenui qvodam penicillô adumbraturo L. B. facile condonabit, si fors minùs rectè omnia tetigero, aut accuratè satis notavero. Sin verò, qvod Poëtæ ait:*

Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν,

& de me qveat dici, qvòd punctum qvoddam tulerim; mihi qvidem gratulabor; ut tamen hoc omne, *qvid-*

qvidqvid etiam futurum est meliore lapillô dignum, malim DEO in solidum acceptum referre, qvi mentem & calamum solus rexit, Fautores item concessit Viros dudum clarissimos, qvorum Amaltheis raritate librorum maximè instructis fruisci licuit, & per gratiam Ipsorum adhucdum licet; qvos ideo publicè venerari par est. Qvare animos mihi eò proniores polliceor, qvô modestiorem me in operosiùs exarando hoc themate sentient. At Tu summe DEUS;

هلم ان تنصر.

VENI UT ADJUVES.


CAP. I.

DE

Etymo & Ortu

JOANNIS.

§. I.



Udæos nominum propriorum etymologias sæpissimè adeò expiscari, ut tales ex iis qvalitates aut res gestas hominibus attribuant, qvæ cum etymologia conveniunt, autor est *Jo. Leusden, Philolog. Ebr. mixt. Dissert.* XIII. *p.* 95. Et qvidem non rarò in Scripturis sacris

nomina

nomina rebus & perſonis ab eventu vel alio qvodam accidente fuiſſe impoſita, ſine admonitione clarum eſt: qvorum etiam bene multa congeſſit *B. Glàſſius in nunqvàm ſatis laudanda Philologia Sacra, lib.* IV. *Tract.* III. *Obſerv.* IX. *&* X. *p. m.* 951. *& ſeqq.* Cetera ut ſilentio jam involvamus, vel unicum ſufficiet teſtimonii locô adjicere. Qvàm ſvave enim eſt nomen, qvô Meſſiam noſtrum ipſe Angelus, *Matth.* I. 21. *Luc.* I. 31. vocatum iri indigitat JESUM h. e. Salvatorem, ab הושיע *ſalvavit, ſaluti fuit:* qvia ſalvaturus erat populum à peccatis, ut ipſe Angelus ſubjicit. Non verò, ut *Beidavi, Alcorani commentator, apud Hötting. Hiſt. Orient lib.* I. *c.* III. *p.* 157. ridiculè putat, ab Arabico عيس qvod *fuſcum, albô rufóqve variegatum* notat; qvalem fuiſſe Eſavum ex Hiſtoria Moſis, *Gen.* XXV. 25. conſtat: cujus proinde animam in JESUM Nazarenum per Gilgul eſſe circumvolutam blaſphemè ait *R Abarbenel in libro virulentiſſimo Maſchmiah Jeſchua, fol.* 19. *col.* 3. citante & refutante *Dn. Friſchmuthiô in Diſſertatione de Adventu Eliæ, ex Malach.* IV. 5. 6. *c.* II. §. 29. Qvibus eâdem virulentiâ & anathemate recutitus ille addit, qvòd vocetur ישוע, qvia literis iisdem conſtat nomen עשו Eſau. Horrendum ſane cogitatu, nedum auditu vel pronunciatu! Aliam, ſed tamen Chriſtianiorem, ex Arabiſmo nominis hujus derivationem petit *Kirſtenius, not. in Euang. Arab. Matth. præf. p.* I. à particula exclamandi يا *ô* & سوع qvod *receptionem clamoris* (bene autem convenit cum Ebræo שוע *clamor* & verbo שעה *reſpexit, attendit, oblectavit*) ſignificare inveniſſe ſe ait; ut ita nomen يسوع idem ſit, qvòd *O receptio clamoris*: qvia ſcilicet JESUS omnem ſe in ſpiritu & veritate invocan-

vocantem verè exaudit, ejusqve clamorem recipit. Qvòd satis piè dictum, nec derivationi angelicæ adeò repugnaret, ni ipsissima Spiritus S. verba aliud svaderent. Parili modô non vulgarem gratiam nomini JOANNES sua parit etymologia, qvam ex qvacunqve petas lingva, omini bono semper respondebit. Agnoscit enim radicem חנן, qvæ & in matre & filiabus lingvis significat *gratiosus*, *misericors fuit*, *gratiam & misericordiam præstitit*. Qvapropter *Gregorius Francus*, *Lexic. Sanct. n.* CXIIX. *p. m.* 153. JOANNEM, sive Ebræum יוחנן, idem ait significare ac *Gratiosum*, sive, *qvi gratiam consequutus est*, indéqve nostrum petit Günstig, Gunst, Gnade: in qvo plurimos habet consentientes. *Christianus* enim *Becmannus*, *de Origin. Latin. Ling. p.* 571. *edit. qvartæ, annô* 1629. Latinis efferri dicit *Gratius*, *Gratianus*, Græcis aliàs χαρίτιος & Germanis *Huldericus* i. e. dives gratiæ, pro qvo nunc nostrum *Ulricus* & *Uldaricus*. Cum qvo bene convenit, qvod *Centuriatores Magdeburgici*, *Centur.* I. *lib.* I. *c.* X. *p.* 356. habent, qvibus Græcè id nomen *Eucherius*, Germanicè Huldreich sonat. Sic *Benedictus Aretius in* Joan. *c.* I. *p.* 770. explicat *gratiosum* & *amabilem*, *à qvo procul exulat omne mendacium*. *Kirstenius* verò *in c.* III. *Matth.* V. I. *p.* 10. *a.* præter etymologiam, qvam deducit à حنّ *gratiosum esse, gratiam præstare*, & inde nomen JOANNES notare ait idem, qvòd *Gratiosus* & *amabilis*, ut Herodi Baptistam fuisse, *Marc.* VI. 20. perhibet, & Apostolum Salvatori in ultima cœna, *Joan.* XIII. 23. adducit etiam aliam à حنين i. e. *opus subtile*, qvasi *subtilis* vel *delicatus*, qvalem Euangelistam fuisse & credibile est, & ejus qvoqve scripta satis supérqve testari dicit. Alii autem hoc nomen compositum arbitrantur ex יהו

nomine DEI *τετραγραμμάτῳ* & ſubſtantivo חן *Gratia*, verbi חנן. Unde *Chryſoſtomus*, *Homil. de Jo. Baptiſt. Tom.* III. *Latin. edit. Baſil. an.* 1558. *p.* 423. *&* 425. *Johannes Domini gratia* interpretatur. *Jo* enim dicitur *Domini*, *anna* dicitur *Gratia*. Et *Cornelius Janſenius*, *Comment. in Concord. ſuam ſ. Tot. Hiſt. Euang. Part.* I. *c.* II. *p.* 19. *an.* 1606. Nomen *Joannes*, vel, ut dicerent Ebræi, *Jehohanan*, componitur ex duabus dictionibus, nempe ex nomine DEI tetragrammato, & verbo *chanan*, qvod *precari* & *miſereri* ſignificat; vel nomine inde derivato, qvod *gratiam* ſignificat & *miſericordiam*. Proinde (pergit) malè qvidam interpretantur: *In qvo eſt gratia*: Rectiùs vero illi, qvi interpretantur *Dei Gratiam*. Cum qvibus etiam *Paſor*, *Etym. Nom. Propr. voc.* Ἰωάννης, *p. m.* 37. facit. *Grotius* autem *Annot. in N. T. ad Luc.* I. *p.* 603. *Tò* יוחנן propriè ſignificare dicit, Θεὸς ἠλέησεν aut ἐχαρίτωσεν. Qvo in caſu ſuum cuiqve liberum relinqvitur judicium, qvô tam diu abundet, qvam diu carceres Philologicos non planè transſiliat.

§. II. Adſpirationem hujus nominis paucis adhuc tangere, Critico forſan non videtur aurum è fumo petere. Eqvidem totò experimur die, non modò vulgus literatorum, ſed etiam Viros cetera doctiſſimos invehi in illos, qvi adſpirationem nominis hujus in lingva Romana negligunt. Radix ſcilicet Ebræa cùm duplicatam agnoſcat adſpirationem, unicam minimùm in Latio retinendam eſſe autumant; qvod potiſſimùm urgere obſervavi *Druſium*, *Comment. prior. ad voces N T. p.* 92 *edit. an.* 1636. *Jo. Leuſden*, *Philol. Ebr. mixt. diſſert.* XX. *p.* 138. *&* *Spicileg. Philolog. Cent.* I, *c.* I. *ſect.* IX. *p.* 349. & *Paſorem*, *Etym. Nom. Prop voc.* Ἰωάννης, *p.* 37. Sed, qvod pace illorum dixerim,

tas

rationem adferunt ſine ratione. Utut enim agnoſcamus, primam vocis JOANNIS etymologiam ab Ebræo eſſe petendam; omnes tamen literas in qvavis lingva retineri aut retinendas eſſe conſtanter negamus: aliàs ſeqveretur, lingvas qvoqve exoticas omnes idem obſervare debere, cùm tamen compertum ſit, Gallum ſcribere *Jean*, Italum *Giovanni*, Hiſpanum *Juan.* Adde ipſum *Druſium* pro *Joanne* ſe vocare *Janum* ſine; non autem *Jhanum* cum adſpiratione, procul dubio ex indole lingvæ. Nec, qvod ad hoc qvidem attinet nomen, qvidqvàm valet, qvod objicere ſolent, neceſſitatis eſſe, qvòd Græci ſcribunt Ἰωάννης, qvia nomina in medio non adſpirant ex proprietate lingvæ Græcæ; qvid enim obſtitiſſet, ſi ſcriptum fuiſſet Ἰωχάννης ad ſimilitudinem τȣ̃ Ῥαχὴλ, *Matth.* 11. 18. ex Ebræo רחל, qvomodo ſatis exprimi potuiſſet Ebræum ח, ni fortè idiotiſmus lingvæ id repudiâſſet. Alii verò mediam eunt viam, & ſive cum, ſive ſine adſpiratione ſcribatur, perinde putant: qvi tamen fere omnes in eo conveniunt, ut etymologiam ab Ebræo petitam vocent *remotiorem*, hanc verò à Græco *proximiorem*. Cujus ſententiæ fautores ſunt *Becmannus*, *l. c. Cornelius Janſenius*, *l. c.* & alii, Qvæ etiam, utut ex parte videatur locum invenire, malumus tamen cum iis facere, qvi iſtam adſpirationem planè negligunt. Potior enim reſpectus ſemper habetur ad proximius qvàm ad remotius, qvod qvidem rerum originationes ſpectat. Inde cùm Græci hanc adſpirationem nomini JOANNES interponere recuſent, hos merito ſeqvimur. Nec minùs claram nobis præferunt facem antiqviſſima monumenta, qvæ annis retro mille & ampliùs hanc ſcriptionem fuiſſe uſitatam ad oculos monſtrant. Exempla, ſi vacat, videri poſſunt in *Antonii Boſii Roma Subterranea*, ubi, *lib.*

II. *c.* VIII. *p.* 126. *edit. Roman. in 4to. annô* 1650. inter alia hæc cernitur lapidis inſcriptio :

LC. JOANNIS ALICENSIS
SE VIBO COMPARAVIT
P. C. VIATORIS.

qvem JOANNEM vitâ functum annô Chriſti 496. *Gelaſiô Papâ*, ex Viatoris conſulatu ibidem concludit. Ut primævam hanc fuiſſe ſcripturam vero parum videatur abſimile. Qvamqvàm aliàs minimè eamus inficias, à multis etiam ſeculis tam ex lapidibus qvàm MSCtis adſpirationem probari poſſe, uſu tamen ab antiqvitate tranſlatô potiùs qvàm abuſu id factum vix perſvaderi patimur: conſtat enim imperitos monachos perſæpe vocibus inſeruiſſe & hodienum inſerere ſpiritum, qvos nec ratio nec ulla urſit aut urget neceſſitas, qvod præcipuè in voce JHESUS obſervare licet.

§. III. Sed ut tandem eò deveniamus, qvò potiſſimùm tendimus; in confeſſo apud omnes; imò fide divinâ certum eſſe remur, multos, & in veteri & in novo Fœdere, nomine יוחנן & Ιωάννης fuiſſe inſignitos. In veteri offendes יוחנן filium Kareach, 2 *Reg.* XXV. 23. *Jer.* XL. 8. XLI. 11. *ſeqq.* XLII. *& alibi*, alium יוחנן ex Gibeonitis, 1. *Chron.* XII. 4. alium item ex Gadditis, *ibid. v.* 12. &c. Ιωάννην patrem, 1. *Macc.* II. 1. & filium, *ibid. v.* 2. Matthathiæ &c. In novo verò reperiuntur (1.) Ιωάννης Filius Zebedæi, *Matth.* IV. 21. *Marc.* I. 19. *Luc.* V. 10. &c. Euangeliſta & Apoſtolus, item Θεόλογος κατ' ἐξοχὴν aliàs dictus (2.) Joannes cognomine Marcus, *Act.* XII. 12. (3.) Filius Zachariæ ſacerdotis de ordine Abiæ, *Luc.* I. 5. 13. 36.

c. III. 2. &c. qvi etiam Baptiſta Euangeliſtis, *Matth.* III. I. *c.* XI. II. 12 XIV. 2. 8. XVI. 14. *Marc.* VI. 14. 24. 25. IIX. 28 *Luc.* VII. 33. *&c.* audit. De ultimo hoc ex inſtituto agere nobis propoſitum eſt, ut ſtatim cuivis ex inſpectione Rubricæ illud ad oculum patet. Hunc *Centuriatores*, *loc. cit.* gratioſô hôc nomine vocatum aſſerunt ideò, *qvia officium ejus erat, Gratiam Dei per Chriſtum annunciare, h. e. doctrinam tradere de remiſſione peccatorum gratuita, per fidem in Chriſtum, qvâ qvidem doctrinâ nihil eſt gratioſius, nihil jucundius.* Qvod nos ad Theologos mittimus. Interim *Janſenius*, *loc. cit.* aliam adhuc ὀνομαθεσίας hujus adhibet rationem, qvando fatur: *Ut in aliis nominibus peculiaribus, ita & hìc reſpectus habitus eſt ab angelo, qvòd dixit:* Exaudita eſt deprecatio tua. *Nomen enim* Joannes *omnium rectiſſimè ſignificare intelligitur idem, qvod* Dominus miſertus eſt, *qvod optimè convenit cum eo, qvod dicitur:* Exaudita eſt deprecatio tua. *Luc* I. 13. Scilicet alluſionem inſtituit inter יוחנן nomen proprium & תחנה, qvod *precationem, ſupplicationem* &c. denotat. Subjicit enim paullò poſt, *Tehinna* derivari ab eadem radice, qvâ *Joannes.* Sic *Grotium, c. l.* qvoqve reſpectum ad εὐαγγελισμὸν habuiſſe patet, ut tamen explicationem nominis non in eo, qvô *Janſenius*, Lucæ commate, ſed proxime ſubſeqventi: καὶ ἔσαι χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις, καὶ πολλοὶ ἐπὶ τῇ γεννήσει αὐτοῦ χαρήσονται, *Luc.* I. 14. qværere non dubitet. Nam poſtqvàm præmiſerat, יוחנן propriè eſſe Θεὸς ἠλέησεν aut ἐχαρίτωσεν, ſtatim, *utrúmqve hoc verbum apud Helleniſtas, ut & Ebræum illud ſæpe ſignificare ſolere inſignis gaudii exhibitionem*, annectit.

§. IV. Jam propiùs ad Nativitatem JOANNIS noſtri acceſſum paramus. Juvabit verò adhuc

huc paucis qvædam de parentibus ipſius prælibare. Patrem in ſuperioribus diximus *Zachariam*, qvi apud memoratum Lucam, c. 1. 5. dicitur ἱερεύς ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά, *ſacerdos de vice Abiæ. Homonym. Abiæ vid. ap. Glaſſ. Phil. S. lib.* IV. *Tr.* III. *obſ.* XI. *p m.* 960. Ubi meminiſſe oportet, non unas ſacerdotum recenſeri ſpecies: ſed reſpectu muniorum dignitates etiam fuiſſe diverſas. Alius enim dicitur כהן הראש *Sacerdos caput*, ſeu, *princeps*: vel כהן גדול *Sacerdos magnus.* Chaldæis כהנא רבא *Sacerdos multus*; Græcis ἀρχιερεύς & ἱερεύς μέγας; interdum etiam כהן & ἱερεύς κατ' ἐξοχὴν talis. Nobis *Pontifex* vel *ſummus Sacerdos.* Alius verò כהן המשנה *Sacerdos ſecundarius*; Rabbinis סגן הכהנים *vicarius* ſeu *antiſtes ſacerdotum* h, e. *Vice-Pontifex*, qvi nempe ſummi Pontificis vices obibat, qvando peccatô qvôdam ſeſe polluerat, ut non licitum eſſet ipſi ingredi ſanctum ſanctorum, & hoſtias pro peccato populi Deo offerre. Præter qvos ſacerdotum gradus, Pontificis nempe ſummi & סגן Sagan ejus Vicarii, alios ex Talmudiſtis adfert *Jo Lightfootus, Hor. Ebraic. in Matth.* II. 4. *p.* 27. *&* 28. qvos in tres claſſes diſtribuit, nobiliorem infimô, inferiorem primô ponens locô. Claſſi primæ adſcribit כהני עם הארץ *ſacerdotes plebejos*, qvi non qvidem erant è plebe, educatione verò ſcholaſticâ carebant, atqve inter doctos, ac religioni devotos, non numerabantur. Addit enim, totum Aaronis ſemen fuiſſe ſacerdotale & ſacerdotes non tam factos qvàm natos eſſe, ut mirum non ſit, inter eos & rudes & pauperes fuiſſe repertos, qvi nihilominus vices ſuas ad altare pro ſorte ſubierint. In claſſe altera locat eos, qvi כהנים הדיוטות *ſacerdotes idiotæ* vel *privati* vocantur: hos, qvamvis & doctos & munere publicô ad altare fungentes, privatos tamen dici; ait, eò, qvòd inferioris

rioris & non dignioris ordinis essent sacerdotes; sive in ordine & respectu ad qvosdam superiores. Ultimos verò & tertiæ classi annumeratos itidem facit qvadruplices: *Primos* dicit capita Ephemeriarum ראש משמר numerô viginti qvatuor. *Secundos* capita familiarum in unaqvaqve Ephemeria ראש בית אב. *Tertios* שהיו ממונים במקדש præfectos variis officiis in templo. *Qvartos*, qvi sacerdotes & Levitæ qvidem, qvamvis non ex his ordinibus, cooptabantur in summum synedrium. Qvæ ordinum sacerdotalium divisiones fortè Patribus & aliis viris doctissimis ansam dedêre dissentiendi invicem de Zachariæ gradu. Ubi sanè plures licet reperire, qvi hunc munere sacerdotis summi functum fuisse mirô conatu adstruunt: in qvos proinde non sine caussa animadvertunt *Jansenius*, *l. c. p.* 18. *Baronius*, *Apparat. ad Annal. Eccl. n.* 70. *seqq. Tom.* I. *p.* 27. *seqq. Spanhemius*, *Dub. Eu. Part.* II. *Dub.* XII. *&* XIII. *n.* 5. *p.* 212. *seqq Calvisius*, *Isagog. Chron. c.* XLVIII. *p.* 235. *seqq. Scaliger*, *Canon. Isagog. lib.* III. *part.* II. *Epoch.* CII. *Diatrib. p.* 306. *Vossius*, *Diss. de Temp. Nat. Christi Part.* II. *n.* 4. *p.* 39. & qvos citat *Carolus Sigonius*, *de Rep. Ebr. lib.* V. *c.* III. & *Didacus Stella*, *Comm. in Luc.* I. aliiqve qvàm plurimi, qvos hæc pagina vix caperet. Potissimùm verò eos juvat argumentum, qvod ipse suppeditat Euangelista, qvando, Zachariam de vice Abiæ fuisse, eiqve sorte obtigisse, ut odorem incenderet, expressis verbis asserit, *Luc.* I, 5. 8. 9. Qvatuor autem & viginti fuisse familias sacerdotum, in qvas Eleazari & Ithamari, filiorum Aaronis posteritas fuit divisa, obviam est, & non tantùm sacræ probant Pandectæ, I. *Chron.* XXIV. 7. *seqq &c.* verùm etiam tota Rabbinorum caterva confirmat. In sacris communiter appellantur מִשְׁמָרוֹת, I. *Paral.* IX. 23.
Neh.

Neh. XII. 9. 24. 45. *c.* XIII. 30. *& alibi.* qvod *Pagninus* modò vertit *vigilias*, modò *custodias*, modò *observationes*; Græcis diceres φυλακὰς, qvemadmodum & *Lutherus* vertit die Hut, interdum & die Wacht. Liber הגדול מצוא cujus Autor Moses de Kotsi dicitur, *Part.* II. *c.* CLXX. *fol.* 211. *fac.* 3. in unitatis numero מעמד h. e. *stationem* ejusmodi familiam appellat, ut etiam *Scaliger*, *l. c. Epoch.* CI. *diatr. p.* 303. in Talmude vocari מעמדות observat. *Euckerio*, *in lib. Reg. p.* 186. dici *sortes* sive κλήρους *Drusius*, *Præter. lib.* III. *in Luc.* I. 8. *p.* 81. memorat. At Euangelistæ *l. c.* vox ἐφημερία placet, *Josepho*, *in vita sua*, *ferè ab initio*, autem ἐφημερὶς q. d. *Qvotidianeitas*, qvia, ut explicat *Pascor*, *Lex. Gr. Lat. voc.* ἡμέρα *p. m.* 333. vices hæ, qvoties ordo tetigit, qvotidie & indesinenter explendæ erant. Qvò etiam tendit *Aretius*, *in Luc.* I. *Loc.* II. *p.* 529. qvi ἐφημερίαν dicit *classem seu ordinem rerum in singulos dies per certas familias exseqvendarum.* Alio adhuc vocabulô *Josephus*, *lib.* VII. *c.* XI. *Antiq. Jud. p.* 248. *edit. Genev. an.* 1634. *& alibi.* nominat πατριὰς, procul dubio, qvia è stirpe Aaronis descenderant omnes, & per successionem qvasi hôc munere Ecclesiasticô fungebantur: qvemadmodùm etiam Plutarcho aliisqve πατρία ἱερωσύνη dici solet tale sacerdotium, qvod à parentibus per successionem traducitur ad posteros. Nec minùs congruè *vices* dicuntur, qvia, ut *Nehemias*, *c.* XII. 24. habet, ita fuit ordinatum à Davide, ut משמר לעמת משמר *custodia ex opposito custodiæ*, vel, *contra custodiam*, h. e. alternis vicibus, & ut bene vertit Megalander noster: Eine Hut üm die ander, ministraret DEO & munus suum obiret. Certos autem principes cuiqve ordini fuisse, ex *Lightfooto* antè percepimus & ex ipsis etiam sacris literis patescit.

Dicun-

Dicuntur enim *Nehemiæ*, c. XII. 7. ראשי הכהנים *capita sacerdotum* & ראשי האבות *capita patrum*, sive, *principes familiarum*; *ibid. v.* 12. & 23. *Jonathani*, *in Jer.* I. 1. ut *Drusius*, *l. c. p.* 80. annotat ראשי מטרת כהניא *capita custodiarum sacerdotalium*: qvos etiam esse reor, qvos laudatus liber מצות הגדול, *ib. fac* 4. vocat ראשי המעמד *capita stationis*; horum verò inferiores, vel in genere sacerdotes *ib. fol.* 212. *fac.* 1. *Conf. Petr. Cunæum de Rep. Hebr. lib.* II. *c.* X. אנשי מעמד *viros stationis*, qvi Græcis forsan dici possent σαλωνάριοι qvemadmodùm gentium sacerdotes, in qvibusdam sacrificiis stationes suas habentes, dictos fuisse *Scaliger*, *Can. Isag. lib.* III. *part.* II. *in c.* II *lib.* II. *Epoch.* 101. *diatr. p.* 304. observat, & qvoqve in epistola qvadam Flaminum Augustalium ad Flamines Tyrios, plüries mentionem fieri στατίωνος εἰς λειτουργίας καὶ θυσίας; qvin etiam *stationarios* ejusmodi ἐφημερεύοντας vocatos esse subjicit. Ipse verò, *l. c. p.* 303. & 304. principes familiarum nostrarum propriè πατριάρχας dici posse, eósqve *Philoni* τὴν εὐθὺς μετὰ τὸ πρῶτον τάξιν εἰληχότας, h. e. *qvi primum statim locum post summum Pontificem obtinent*, esse refert: qvos tamen in Euangelio ἀρχιερεῖς nuncupari & ipse & *Drusius* asserunt. Ubi fateri cogimur, qvemadmodùm כהן גדול sæpe de iis dicitur, qvibus tamen sacerdotium summum non competit, veluti Joannem & Mattathiam, Hasamonæos, appellatos esse *Abraam Zachutus Juchas. fol.* 60. *b. R. Maimonides*, *Præf. Seder Zeraim p.* 128. *Portæ Mosis Pocokii*, & alii ostendunt, ipsúmqve Joannem Baptistam in Historia Ebræa isto sæpius venire nomine *Drusius* commemorat: nos verò *Gorionidem in editione Veneta p.* 9. 2. & *Ebræo-Germanica Pragensi* eidem id tribuere nominis observavimus, utut *Munsteri* editio c. XLVI. non habeat; pari modò

etiam

etiam vocem ἀρχιερεὺς interdum in rigore, nonnunqvàm autem latiùs in Scripturis accipi. Unius ut hâc vice Lucæ adferamus testimonium, inqvit ille, *Act.* v. 24. ὡς δὲ ἤκουσαν τοὺς λόγους τούτους, ὅ, τε ἀρχιερεὺς, καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, καὶ οἱ ἀρχιερεῖς &c. ut habet editio Complutensis & Ariæ Montani, opus item regium Hispaniense, nec non Versio Arabica N. T. Dieu; alios enim codices pro ἀρχιερεὺς, legere ἱερεὺς vidimus, qvales sunt Bezæ, Roberti Stephani ex Bibliotheca regia Parisiensi editus; Hafenrefferi, Casauboni, Argentoratensis Bœcleri, Wittenbergensis & alii: opus item πολύγλωττον, in qvo Syrum & Æthiopem illud planè omisisse offendes: qvæ verò lectionis diversitas nobis haud qvidqvam adversari videtur, qvi tam priorum qvàm posteriorum Autoritate sententiam nostram satis munire valemus. Scilicet ex textu sine torsione colligitur, illum qvi primô stat locô (sive ἀρχιερεὺς sive simpliciter ἱερεὺς dicatur,) sacerdotem esse summum κατ' ἐξοχὴν talem, ceteros verò dici ἀρχιερεῖς tantum in ordine ad qvosdam inferiores, vel respectu suarum familiarum, ut *Slevogtius*, *Dissert. de Ephem. Sacerd. V. T. n.* 14. qvondam satis innuit. Cujusmodi proinde sacerdos, num, ut pro certo habet *Drusius*, fuerit Zacharias, licèt usqve adeò improbabile non sit; an verò ex Lucæ colligi possit verbis, meritò dubitamus; & inde hanc controversiam, ut minoris momenti, nostram nunc non facimus.

§. V. Ad matrem qvod pertinet, nec ea obscura est. Dicitur enim & ipsa prognata ex filiabus Aaronis, qui sacerdotiô summô clarus erat. Cujus proinde nomen tali Matronæ haud inconveniens Euangelista, *Luc.* 1. 5. *seqq.* exprimit: ELISABET. Qvod sive efferas Ebraicè אֱלִישֶׁבַע

ut vult

ut vult *Gregorius Francus, Lex. Sanct. n.* 869 *p.* 651. sive אֱלִישֶׁבַע per שׁ, qvô nomine Aaronis uxorem fuiſſe celebrem conſtat *Exod.* VI. 22. veluti placet *Paſori, Etym. Prop. Nom. p. m.* 20. sive אלישבח, ut idem aſſignavit *Gregorius, l. c. & n.* 70. *p.* 89. aut, ut *Aretius, Comment. in Luc.* I. *Loc.* 2. *p.* 529. eloqvitur, אֱלִישֶׁבָת; ſive tandem, uti pro optimo venditat *Aretius, loc. cit.* אֱלִישֶׁבַט, parum intererit. Nomen enim DEI ubiqve habet præfixum, cui talis annexa eſt vox, qvæ, qvoad originem, bonam rei indolem indigitat. Prima radix eſt שָׂבַע, qvod, ut *Dn. Geierus, Prælect. ſuper Pſ.* XCI. 16. *part.* 2. *p.* 289. obſervat, ad *abundantem commodorum vel rerum utilium ac jucundarum perfruitionem & omnimodam ſaturitatem* transferri poteſt. Vel, ut idem laudatus Vir *in Pſ.* CIII. I. *Part.* 2. *p.* 478. explicat; *adeò abundè impertire* ſignificat, *ut deſideriis tuis cupidiſſimis ſatisfiat ex voto; ad inſtar famelici, cujus appetitus largâ ciborum ingeſtione cum voluptate tandem ſiſtitur; ita ut qvieto rurſus liceat eſſe eidem homini.* Qvod ſi Philologicô qvodam modô ad Eliſabetam velis applicare, qvòd, cùm enixa eſſet filium, adeò ſatiata ſint ejus deſideria, ut qvieto & hilari animo eidem tum eſſe licuerit, falſi nihil adferes; qvamvis ſaturitatem iſtam ex DEO, ipſiusqve verbo hauſiſſe eam Euangeliſta, *Luc.* I. 6. prodat, qvando juſtam ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, & ſine qverela ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ κυρίου incedentem eam pronunciat. Altera radix eſt שֶׁבַע *ſeptem*: in qvo aliàs myſtici qvippiam qværere ſolent Ebræi, cujus forſan ex obſervatione *Gregorius, ibid. n.* 19. *p.* 22. qvoqve ab eo *propter numeri plenitudinem & ſanctitatem* derivari ait נִשְׁבַּע *juravit*; unde anſam arripiunt eruditi hanc nominis *Eliſabet* dare explicationem, ut nempe

 circa

circa hoc fœderis gratiæ, qvod juramentô nobis-
cum pepigit DEUS, admonendi sumus; qvemad-
modùm Theologorum scholæ nos informant. Ter-
tiô modô exaratum nomen ortum trahit vel à
שָׁבַת *qvievit cessavit &c.* unde שַׁבָּת *qvies, cessatio*:
vel infinitivo שֶׁבֶת τοῦ יָשַׁב *sedit, mansit, permansit,*
habitavit, incoluit, qvi nominascens idem significat
ac *habitatio, commoratio*: *Vid.* Geier *in Ps.* XXIII. 6.
Part. I. *p.* 394. XXXIII. 14. *p.* 562. LXIIX. 17.
p. 1339. *&c.* qvâ ratione dicere posses, qvemad-
modùm DEUS semper habitare gaudet in piis
& se diligentibus, ita meritò istud nominis no-
stræ Elisabetæ convenire, qvæ, cùm impensè adeò
adhæserit mandatis divinis, *domicilium, mansio &*
qvies DEI rectè dicatur. Circa qvartum verò,
à שֵׁבֶט *virga, baculus, tribus* &c. denominationem
suam sortitum, observari convenit, egregiè ali-
cui ansam exinde suppeditari, qvi suæ ex parte
indulgere velit Philologiæ, *Dn. D. Geierus, insi-*
gnis & Theologus & Philologus, in Ps. CXXII. 4.
Part. II. *p.* 1015. haud vulgare qvid observat,
qvando secundùm nonnullos unicuiqve *tribui* (שֵׁבֶט)
ex tribubus Israëlis, suam peculiarem *virgam* (שֵׁבֶט)
seu *baculum*, nomine suô inscriptum, qvem, tan-
qvàm potestatis insigne, tribuum principes manu
gestaverint, fuisse refert. Qvò etiam historiam
XII. *Virgarum* in contentione de sacerdotio, *Num.*
XVII. 2. *seqq.* trahit: ex qva præcipuè hoc videre
est, *virgam Aaronis*, æqvipollente τῷ שֵׁבֶט nomine
מַטֶּה dictam, licet *aridam*, tamen *floruisse* & a-
mygdala tulisse. Descendere, inqvam, posset ad
nostram אֱלִישֶׁבַע, qvæ ante sterilis, senectâ de-
mum, & ubi nulla procreandæ subolis spes su-
pererat, clarô partu edidit filium, qvem JOAN-
NEM ante diximus. Ad cujus Nativitatis tempus nos
jam accingimus.

§. VI.

§. VI. *Cardinalis Baronius*, *Annalium Ecclesiasticorum Scriptor*, *Appar. ad Ann. Eccl. n.* 68. *Tom* I. *p.* 127. JOANNEM hunc in utero materno conceptum ait annô ab U. C. 750. Coss. Sabinô & Rufô, Olympiadis CXCIV. annô I. Augusti Imper. à Triumviratu initô annô 39. IIX. Calendas Octobris, post æqvinoctium, solennis jejunii tempore. Qva ex hypothesi natus esset XXIV. Junii seqventis anni, tempore solstitii æstivi. *Matthæus Beroaldus*, *Chron. lib.* IV. *c.* II. *p* 364. 376. contra rejiciens hanc sententiam, conceptionem solstitio æstivo, seu mensi Junio adscribit; qvod ex ratione ephemeriarum evincere conatur: provocat enim ad ordinem sacerdotum à Davide, I. *Paral.* XXIV. institutum, de qvo jam supra actum. Scilicet qvemadmodum in classes XXIV. hæc facta fuit distributio, ita necessum qvasi putat, duas familias singulis mensibus fuisse deputatas, eaqve ratione hunc ordinem cum anno in circum rediisse. Deinde verisimile dicit, primam ephemeriam à Martio, tanqvam primô, seu eô, qvô res sacræ & festa numerata fuerint, mense incepisse, adeóqve conseqventer sortis Abiæ, ut qvæ est octava ordine, functionem in mensem Junium incidisse. Nativitatem ergo locat in medium mensis Martii. A qvo, qvod Nativitatis tempus attinet, non multum discrepare videtur *Lightfootus*, *Hor. Ebr. in Matth.* III. I. *p.* 33. *&* v. 16. *p.* 63. qvando circa festum Paschatos ad æqvinoctium vernum contigisse arbitratur.

§. VII. Ab utrisqve his dissentiunt *Scaliger* & *Calvisius*, nobile par Chronologorum hujus & anterioris seculi. Utérqve circa finem Julii JOANNEM conceptum ajunt, nisi qvod Nativitatem ejus *Scaliger*, *Canon. Isagog. lib.* III. *Part.* II. *in c.* I. *lib.* II. *Epoch.* 101. *Temp. Hist. Diatrib. p.* 305. vel ex errore typothetæ, vel calami præcipitantia,

 aut

[illegible]

[illegible] I. de Doctrina Temporum lib. II. c. I. p. I. (qvam-
[illegible] castigandum cum pareret, qvod
Periodi hujus inventorem ac methodi solum fuis-
se glorietur, qvam tamen à Græcis transtulerit)
[illegible] tudit, æræ Julianæ, cui etiam denominationem
debet, adaptatum est; qvod ipse etiam modò ci-
tatus fatetur Petavius, ibid. c. VI. p. 18. dum il-
lam tutiorem & liqvidiorem esse dicit Chronolo-
giam, qvæ ad annos mundi, si qvidem hos præ-
terire nolit, Julianæ periodi annos adjungit. Fun-
damentum verò assertionis suæ constituunt in En-
cæniis Maccabæorum, in qvibus restitutio templi
Hierosolymitani post Antiochi profanationem fa-
cta est per Judam Maccabæum. Ab eo enim tem-
pore [illegible] usqve LXX. Christi Dionysianum,
[illegible] sunt Hierosolyma, nullam in-
[illegible] sacro qvotidiano, ne in summis
[illegible] criminibus, intervenisse pro cer-
[illegible] c inde ab hac templi restauratio-
[illegible] Nativitatem usqve Christi & ultra
[illegible] labore æstumant simplici. Con-
[illegible] Maccabæorum historia tam de-
[illegible] vastat.

vaſtationis qvàm reſtitutionis templi annus & dies. Caput primum libri primi vix habet aliud qvod recenſeat, qvàm qvomodo Antiochus, poſt ſuum ex Ægypto reditum, templum non modò omni ornatu privaverit, pretioſiſſima vaſa, ſacris peragendis deſtinata, ſpoliaverit & ſecum abduxerit; verùm etiam, qvod auſu omni gravius, larvali Jovis Olympii idolô dehoneſtaverit & profanaverit: die enim xv. menſis Casleu in templo fuiſſe collocatum, & die xxv. eidem in ara nova ſacrificatum perinde annotat. Repurgationem igitur & omnimodam reſtitutionem factam ferunt, (*Vide* I. *Macc.* IV. 52) die xxv. menſis Casleu anni Alexandræi ſive Græci 148. eôdem die, ut habet *Chronicon Carionis*, *lib.* II. *p. m.* 160. qvô ante tres annos idolum in templum collocatum, vel potiùs, ut ſacra hiſtoria, *l. c. Maccab.* & *Bucholzerus*, *Indic. Chron. p.* 78. indigitant, qvô ei ſacrificatum fuerat. *Scaligero*, *lib.* V. *de Emend. Temp. p.* 435. eſt annus P J. 4549 *Calviſio*, *Iſag. Chronic.* XLVIII. *p.* 237, *it. Op. Chron. p.* 402. annus M. 3785. embolimæus abundans. Qvocirca notandum, qveis noſtra æra, ſive Juliana, annis hiſce Græcorum reſpondeat, ne fortè dubio remaneat locus. De hoc *Scaliger*, *lib.* IV. *de Emend. Temp. p.* 298. ita nos inſtruit; meminiſſe ſcilicet oportet, annos Græcorum qvondam dies habuiſſe CCCLIV. qvibus tamen ſingulis bienniis exactis, vel, ut Herodotum loqvi ait, διὰ τρίτου ἔτεος, XXII. & XXIII. dies alternis intercalati fuerint; qvi anni tum vocati ſunt *embolimæi*, menſis inſititius *embolimus*, actus verò inſertionis *emboliſmus*; ut hinc cum noſtro bene conſpirent anni iſti. Sed ne qvidqvam ſileamus, unica ſe adhuc prodit diverſitas, qvando Chronologorum qvidam hunc menſem Casleu dicunt nonum, alii tertium. Judæi enim duplicem nume-

numerabant annum: Civilem & Ecclesiasticum: Hunc à verno tempore, seu Martio, incipiebant, qvi eductionem ex Ægypto, post qvam demum institutus est, respiciebat; illius verò, sive politici, initium autumnus erat, & hujus universi creationem spectabat, qvemqve in annis sabbaticis & Jubilæis, etiam post introductum annum Ecclesiasticum observare solebant. Cùm ergo *Bucholzerus l. alleg.* mensem Casleu dicit nonum, nominat eum ita in respectu ad annum Ecclesiasticum; civilis enim anni mensis est tertius.

§. VIII. His ita præmissis Scaligerianam & Calvisianam penitiori considerationi submittemus sententiam. *Calvisius, Isag. Chron. c.* XLVIII. *p.* 237. ergo calculum suum ita instituit: Annum Græcorum 148. inchoari ait in anno M. 3785. in Septembri. Novilunium mensis Paschalis hujus anni 3785. secundum Judæos incidere in diem IIX. Martii, fer. 7. primùm autem azymorum diem celebratum fuisse d. XXII. Martii, h. e. die à Calendis Januarii XXCI. cui si addantur dies CLXIII. qvi conflunt dies CCXLIV. desinere dicit primô Septembris eodem annô Mundi fer. 2. qvem diem dicit primum mensis septimi. Peractâ tunc inqvisitione, ex Calendario Judæorum reperit, annum hunc esse Embolimæum abundantem, cujus mensis octavus dies habeat XXX. non XXIX. Dies ergò XXX. mensis VII. dies item XXX. mensis octavi & dies XXV. noni mensis efficientes XXCV. & simul sumtos cum Calendis Septembris efficere ait dies CCCXXIIX. designantes XXIV. Novembris feriam 2. qvâ primùm accenderint lumina in candelabris & suffitum fecerint & panes proposuerint & holocaustum obtulerint, eodem die, qvô ante triennium templum profanatum fuisset. Iniisse ergo familiam Joarib, qvæ ordine prima erat, suam vicem,

nem, hinc reliqvas ordine ad ultimum templi excidium seqvutas, & orbem illum sacerdotum hieraticum continuatum, neqve unqvàm posteà interruptum esse. Deinde tanqvàm certum supponit, ut qvod antè demonstrâsse se ait, Christum natum annô M. 3947. Ergo Joannem Baptistam conceptum annô 3946. concludit. Tum ab anno M. 3785. qvô templum est repurgatum, ad annum usqve 3946. incipientem annos Julianos numerat CLX. & dies XXXIX. qvot à XXII. Novemb. usqve ad Calendas Januarias seqventis anni superesse dicit; annos verò CLX. Julianos redactos in dies efficere in una summa 58479. qvi si dividantur per 168. dies, qvot consumebantur, anteqvàm ephemeriæ in orbem redirent, prodire orbes hieraticos CCCXLIIX. & dies insuper XV. qvi ostendant, annô M. 3945. die XVII. Decemb. fer. 7. primam familiam Joarib suam vicem iterum inchoâsse. Ut verò propiùs ad conceptionem JOANNIS accedat, unum adhuc orbem sive dies CLIIX. addit, qvi pertingunt ad diem usqve CLIII. à Calendis Januarii, an. 3946 sive ad diem II. Junii fer. 7. ubi iterum familia prima Joarib vicem suam obiisse dicitur. Porrò cùm Zacharias fuerit ex familia Abiæ, octava in ordine, septem familias præcessisse & vices suas implêsse diebus XLIX. necesse est, qvi additi ad II. Junii pertingunt ad CCII. diem à Calendis Januarii & ostendunt Zachariam inchoâsse liturgiam suam d. XXI. Julii fer. 7. & complevisse dies officii d. XXIIX. Julii, indéqve domum redîsse, & ita JOANNEM circa finem Julii annô 3946. conceptum esse. Eumdem in modum etiam *Scaliger*, *Fragm. p.* 58. & 59. *Conf. etiam Canon. Isag. lib.* III. *part.* II. *in c.* I. *lib.* II. *Epoch.* 101. *diatr. p.* 305. procedit. Hic omni carere putat dubiô, primam familiam Joarib tempore Encænio-

 rum

rum miniſtrâſſe. Ita enim diſſerit: Celebrata autem ſunt Encænia xxiv. Novemb. fer. 2. annô P. J. 4549. Ergo erat tertia dies ephemeriæ Jojarib, qvæ biduô antè incenſum obtulerat Deo: 1. *Macc.* iv. 50. ut enim templi, ſic & ἱερατείας ἐγκαινισμὸς à Juda introductus eſt: & proinde non ab alia familia, qvàm à principe incepit, qvod nemo negare poteſt. In ſubſeqventibus addit hæc: Qvô tempore autem fungi cœperit miniſteriô ephemeria Abiæ, levioris eſt operæ invenire, qvam qvô die Angelus Zachariæ ſeſe oſtenderit, cùm per ſeptem dies familia Abiæ miniſtraverit. Jam diximus Ephemeriam Jojarib iniviſſe munus ſuum xxii. die Novembris, anni P. J. 4549. Ephemeria autem Abiæ eſt octava ordine. Inibat igitur Liturgiam ſuam qvinqvageſimô die orbis Hieratici. Proinde inivit decimâ die Januarii annô 4550. Jam Chriſtus acceſſit ad baptiſmum annô Actiacô 58. qvintodecimô Tiberii, cùm recenter iniret annum xxxi. Ergo natus eſt annô 28. Actiacô, qvod & pleráqve omnis vetuſtiſſima Eccleſia credidit jure meritô, bienniô ante epocham hodiernam Dionyſianam, annô & amplius ante obitum Herodis. xiv. autem menſibus anteà Euangeliſmus Zachariæ contigit, ut conſtat ex filo hiſtoriæ. Secundùm hanc firmam & conſtantem hypotheſin, cùm Chriſtus natus ſit in ultimis menſibus anni P. J. 4711. Euangeliſmus Zachariæ contigerit annô 4710. qvô ephemeria Abiæ inivit miniſterium d. xxi. Julii. A. X. Januarii anni 4550. qvô eadem ephemeria inivit miniſterium poſt encænia Maccabæi, ad Sabbatum xxi. Julii anni 4710. fluxerunt anni clx. dies 192. qvi ſunt orbes hieratici Abiæ cccxlix. præciſè. Ergo xxviii. Julii ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας Zachariæ. Qvare poſt xxiix. Julii

lii conceptus est Joannes & inter XXI. & XXIIX. diem Euangelismus incidit. Et paullò post: JOANNES autem natus est ultimâ Ephemeriâ in templo ministrante. Nam unaqvæqve ephemeria post CLXI dies redibat ad functionem suam, CLXIIX. dierum est orbis hieraticus, ex qvibus septenos singulæ ephemeriæ funguntur. Supersunt CLXI. dies, qvibus vacabant singulæ familiæ, qvi si ex CCLXXIII. diebus deducantur, qvod est tempus, qvô mulier gestat in utero, supersunt CXII. dies absoluti: de qvibus deductis rursus 7. ministravit familia Abiæ, supersunt CV. h. e. XV. familiæ, qvæ post familiam Abiæ ministrârunt ad tempus parturitudinis. Ergo XXIII. familiis defunctis supererat ultima, qvâ natus est Joannes. Qvod præcisè currit in finem Aprilis ann. P. J. 4711.

§. IX. Hanc Scaligeri sententiam mirificè confirmare ait *Casaubonus*, *Ad appar. Ann. Bar. n. 68. Exerc.* I *diatr.* 25. *p.* III. consvetudinem primitivæ Ecclesiæ Alexandrinæ, qvæ nativitatem JOANNIS Baptistæ primis temporibus solennitatis illius introductæ celebravit die Aprilis XXIII. qvi illis erat dies mensis Pharmuthii XXIIX. qvemadmodùm etiam *Calvisius*, *Isag. Chron. c.* XLVIII. *p.* 238. hoc antiqvitatis testimonium pro firmo habet argumento, diligentiqve observatione dignum censet. Nec paucos alios invenies ex modernis etiam eruditis huic sententiæ addictos: cui etiam qvoad rationem computationis (in anno enim disconvenisse eos ex post dicendis patebit) favisse *Autorem* (nomen ipsi esse *Hieronymo Vecchietto*, instructissimæ nostræ Bibliothecæ Jenenses, qvæ eum servant, nos docent) *octo librorum de anno primitivo ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato*, meminit *Antonius Cappellus*, qvi, *Dissert. de Cœna Christi suprema Præfam.* qvod occasionem

& consilium Autoris inscribit, genuinum nomen reticens, *Ægyptium* eum nuncupat, ob res in Ægypto aliqvando feliciter gestas; qvemadmodùm de hoc ipse gloriatus sit. Castigandum autem eum suscipit, qvòd multa assumat, ut certa, qvorum alia incerta sint, nulláqve ratione probata; alia levissimis tantùm conjecturis confirmata, qvæ, qvâ facilitate adseruntur, eâdem refelli possint. Et nostram hanc materiem qvod attinet, de ratione perveniendi ad nativitatem Christi vel Joannis, ex ordine ephemeriarum, qvatuor potissimùm in *Ægyptio* taxat, *Diss. de Cœna Christi suprema c.* IV. §. XIII. *seqq. p.* 65. *seqq. edit. Parisiis an.* 1625. Primò errorem esse, qvòd assumit, ephemeriam Abiæ annô 3948. incidisse in IX. Decembris, seu diem currentis anni Juliani trecentesimam qvadragesimam qvintam, ut qvô annô inciderit etiam in diem ejus 177. sive XXVI. Junii, qvum centesimô sexagesimô qvoqve octavô die vices ad eandem familiam rediterent. Assumere ergo heic dicit *Ægyptium*, nec probare, ad ephemeriam Decembris, non ad ephemeriam Junii referri debere visum Zachariæ. Secundò assumere eum, conceptionem Joannis incidisse in annum 3949. initiô, qvum tamen juxta varias sententias, de anno Christi natali, incidere potuerit in 48. 47. 46. imò verò (qvam se fovere ait) in 45. Ex calculis ergo *Ægyptii* qvum familia Abiæ ministrare cœperit annô 3948. die 177. conseqvi ait, cœpisse etiam eôdem annô nonâ Januarii: annô 3947. Julii XXV. & Februarii VI. annô 3946. Augusti XXII. & Martii VII. & annô demùm 3945. XX. Septembris, qvô annô ipsi (*Capello*) conceptus est Joannes, & in seqventi Christus. Tertiò dicit *Cappellus* ministerium sacerdotum minorum in illas XXIV. familias à Davide tributum, qvadruplex habuisse initium: (1) sub Salo-

Salomone post dedicatum templum; (2) sub Zorobabele post 70. annum captivitatis; (3) sub Dario Persarum rege, postqvàm annô ejus sextô templum secundum dedicatum fuit; (4) sub Juda Maccabæo, qvando domus DEI, qvæ sub Antiocho Epiphane, trienniô ante profanata fuerat, purgata est, & cultus divinus in pristinum restitutus. Primâ vice cœptum ministerium à familia Joaribi exploratum esse, at unde cœptum tribus seqventibus vicibus, & maximè postremâ, incompertum existimat. Dicit enim: Etsi Joaribi erant primæ vices, ex ejusqve familia Maccabæi, non tamen ideò aut lege aliqvâ (qvod sciamus) aut consvetudine receptum erat, ut si qvando series illa interrumperetur, præteritis familiis, qvæ supererant, cyclus à Joaribo rursum inchoaretur. Neqve æqvum videri putat, ut vel renovatio cultus divini, vel principatus Judæ, cuiqvam adimerent suum jus, qvod ademissent, si illas familias, qvæ trienniô antè succedere debebant in ministerium divinum, vicis illius jure spoliâssent. Deniqve taxat, qvod *Ægyptius* adsumit, annum Romanum eâ formâ, eáqve magnitudine, qvâ Julius Cæsar eum ordinavit, fuisse à tempore Maccabæorum ad conceptum Joannis, h. e. ab anno 3791. ad 3948. qvâ hypothesi nihil esse falsius, exclamat. Qvod fusiùs etiam ibidem refutat *Cappellus*. De *Scaligero* verò hoc sentit, *Dedicat. Dissert. de Cœna Christi suprema*, qvòd magnum qvidem ejus fuerit ingenium, magna eruditio, variarúmqve cognitio lingvarum, sed nimiâ plerumqve sui confidentiâ, tanqvàm plenô qvodam torrente, abripi se adeò siverit, ut mirum non sit, in complures illum scopulos infeliciter impegisse, iisqve (ut istiusmodi solere ait ingenia) pertinaciter hæsisse. Ad qvos proin, aut non absimi-

etiam vocem ἀρχιερεὺς interdum in rigore, nonnunqvàm autem latiùs in Scripturis accipi. Unius ut hâc vice Lucæ adferamus testimonium, inqvit ille, *Act.* v. 24. ὡς δὲ ἤκουσαν τοὺς λόγους τούτους, ὅ, τε ἀρχιερεὺς, καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, καὶ οἱ ἀρχιερεῖς &c. ut habet editio Complutensis & Ariæ Montani, opus item regium Hispaniense, nec non Versio Arabica N. T. Dieu; alios enim codices pro ἀρχιερεὺς, legere ἱερεὺς vidimus, qvales sunt Bezæ, Roberti Stephani ex Bibliotheca regia Parisiensi editus; Hafenrefferi, Casauboni, Argentoratensis Bœcleri, Wittenbergensis & alii: opus item πολύγλωττον, in qvo Syrum & Æthiopem illud planè omisisse offendes: qvæ verò lectionis diversitas nobis haud qvidqvam adversari videtur, qvi tam priorum qvàm posteriorum Autoritate sententiam nostram satis munire valemus. Scilicet ex textu sine torsione colligitur, illum qvi primô stat locô (sive ἀρχιερεὺς sive simpliciter ἱερεὺς dicatur,) sacerdotem esse summum κατ' ἐξοχὴν talem, ceteros verò dici ἀρχιερεῖς tantum in ordine ad qvosdam inferiores, vel respectu suarum familiarum, ut *Slevogtius*, *Dissert. de Ephem. Sacerd. V. T. n.* 14. qvondam satis innuit. Cujusmodi proinde sacerdos, num, ut pro certo habet *Drusius*, fuerit Zacharias, licèt usqve adeò improbabile non sit; an verò ex Lucæ colligi possit verbis, meritò dubitamus; & inde hanc controversiam, ut minoris momenti, nostram nunc non facimus.

§. V. Ad matrem qvod pertinet, nec ea obscura est. Dicitur enim & ipsa prognata ex filiabus Aaronis, qui sacerdotiô summô clarus erat. Cujus proinde nomen tali Matronæ haud inconveniens Euangelista, *Luc.* I. 5. *seqq.* exprimit: ELISABET. Qvod sive efferas Ebraicè אֱלִישֶׁבַע

ut vult

ut vult *Gregorius Francus, Lex. Sanct. n.* 869 *p.* 651. sive אֱלִישֶׁבַע per שׁ, qvô nomine Aaronis uxorem fuisse celebrem constat *Exod.* VI. 22. veluti placet *Pasori, Etym. Prop. Nom. p. m.* 20. sive אֱלִישֶׁבַת, ut idem assignavit *Gregorius, l. c. & n.* 70. *p.* 89. aut, ut *Aretius, Comment. in Luc.* I. *Loc.* 2 *p.* 529. eloqvitur, אֱלִישָׁבַת; sive tandem, uti pro optimo venditat *Aretius, loc. cit.* אֱלִישֶׁבֶט, parum intererit. Nomen enim DEI ubiqve habet præfixum, cui talis annexa est vox, qvæ, qvoad originem, bonam rei indolem indigitat. Prima radix est שָׂבַע, qvod, ut *Dn. Geierus, Prælect. super Ps.* XCI. 16. *part.* 2. *p.* 289. observat, ad *abundantem commodorum vel rerum utilium ac jucundarum perfruitionem & omnimodam saturitatem* transferri potest. Vel, ut idem laudatus Vir *in Ps.* CIII. 1. *Part.* 2. *p.* 478. explicat; *adeò abundè impertire* significat, *ut desideriis tuis cupidissimis satisfiat ex voto; ad instar famelici, cujus appetitus largâ ciborum ingestione cum voluptate tandem sistitur, ita ut qvieto rursus liceat esse eidem homini.* Qvod si Philologicô qvodam modô ad Elisabetam velis applicare, qvòd, cùm enixa esset filium, adeò satiata sint ejus desideria, ut qvieto & hilari animo eidem tum esse licuerit, falsi nihil adferes; qvamvis saturitatem istam ex DEO, ipsiusqve verbo hausisse eam Euangelista, *Luc.* I. 6. prodat, qvando justam ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, & sine qverela ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ κυρίου incedentem eam pronunciat. Altera radix est שֶׁבַע *septem*: in qvo aliàs mystici qvippiam qværere solent Ebræi, cujus forsan ex observatione *Gregorius, ibid. n.* 19. *p.* 22. qvoqve ab eo *propter numeri plenitudinem & sanctitatem* derivari ait נִשְׁבַּע *juravit*; unde ansam arripiunt eruditi hanc nominis *Elisabet* dare explicationem, ut nempe

 circa

circa hoc fœderis gratiæ, qvod juramentô nobiscum pepigit DEUS, admonendi simus; qvemadmodùm Theologorum scholæ nos informant. Tertiô modô exaratum nomen ortum trahit vel à שָׁבַת qvievit cessavit &c. unde שַׁבָּת qvies, cessatio: vel infinitivo שֶׁבֶת à יָשַׁב sedit, mansit, permansit, habitavit, incoluit, qvi nominascens idem significat ac habitatio, commoratio: Vid. Geier in Ps. XXIII. 6. Part. I. p. 394. XXXIII. 14. p. 562. LXIIX. 17. p. 1339. &c. qvâ ratione dicere posses, qvemadmodùm DEUS semper habitare gaudet in piis & se diligentibus, ita meritò istud nominis nostræ Elisabetæ convenire, qvæ, cùm impensè adeò adhæserit mandatis divinis, *domicilium*, *mansio* & *qvies* DEI rectè dicatur. Circa qvartum verò, à שֵׁבֶט *virga*, *baculus*, *tribus* &c. denominationem suam sortitum, observari convenit, egregiè alicui ansam exinde suppeditari, qvi suæ ex parte indulgere velit Philologiæ, *Dn. D. Geierus*, *insignis & Theologus & Philologus*, *in Ps.* CXXII. 4. *Part.* II. *p.* 1015. haud vulgare qvid observat, qvando secundum nonnullos unicuiqve *tribui* (שֵׁבֶט) ex tribubus Israelis, suam peculiarem *virgam* (שֵׁבֶט) seu *baculum*, nomine suô inscriptum, qvem, tanqvam potestatis insigne, tribuum principes manu gestaverint, fuisse refert. Qvò etiam historiam XII. *Virgarum* in contentione de sacerdotio, *Num.* XVII. 2. *seqq.* trahit: ex qva præcipuè hoc videre est, *virgam Aaronis*, æqvipollente שֵׁבֶט nomine מַטֶּה dictam, licet *aridam*, tamen *floruisse* & amygdala tulisse. Descendere, inqvam, posset ad nostram אֱלִישֶׁבַט, qvæ ante sterilis, senectâ demum, & ubi nulla procreandæ subolis spes supererat, clarô partu edidit filium, qvem JOANNEM ante diximus. Ad cujus Nativitatis tempus nos jam accingimus.

§. VI.

§. VI. *Cardinalis Baronius, Annalium Ecclesiasticorum scriptor, Appar. ad Ann. Eccl. n. 68. Tom* I. *p.* 127. JOANNEM hunc in utero materno conceptum ait annô ab U. C. 750. Coss. Sabinô & Rufô, Olympiadis CXCIV. annô I. Augusti Imper. à Triumviratu initô annô 39. IIX. Calendas Octobris, post æqvinoctium, solennis jejunii tempore. Qva ex hypothesi natus esset XXIV. Junii seqventis anni, tempore solstitii æstivi. *Matthæus Beroaldus, Chron. lib.* IV. *c.* II. *p* 364. 376. contra rejiciens hanc sententiam, conceptionem solstitio æstivo, seu mensi Junio adscribit; qvod ex ratione ephemeriarum evincere conatur: provocat enim ad ordinem sacerdotum à Davide, 1. *Paral.* XXIV. institutum, de qvo jam supra actum. Scilicet qvemadmodum in classes XXIV. hæc facta fuit distributio, ita necessum qvasi putat, duas familias singulis mensibus fuisse deputatas, eaqve ratione hunc ordinem cum anno in circum rediisse. Deinde verisimile dicit, primam ephemeriam à Martio, tanqvam primô, seu eô, qvô res sacræ & festa numerata fuerint, mense incepisse, adeóqve consequenter sortis Abiæ, ut qvæ est octava ordine, functionem in mensem Junium incidisse. Nativitatem ergo locat in medium mensis Martii. A qvo, qvod Nativitatis tempus attinet, non multum discrepare videtur *Lightfootus, Hor. Ebr. in Matth.* III. I. *p.* 33. *&* v. 16. *p.* 63. qvando circa festum Paschatos ad æqvinoctium vernum contigisse arbitratur.

§. VII. Ab utrisqve his dissentiunt *Scaliger* & *Calvisius*, nobile par Chronologorum hujus & anterioris seculi. Utérqve circa finem Julii JOANNEM conceptum ajunt, nisi qvod Nativitatem ejus *Scaliger, Canon. Isagog. lib.* III. *Part.* II. *in c.* I. *lib.* II. *Epoch.* 101. *Temp. Hist. Diatrib. p.* 305. vel ex errore typothetæ, vel calami præcipitantia,

aut

aut amanuensis etiam incuria, circiter initium, qvam rectiùs *Calvisius*, *Isag. Chron. c.* XLVIII. *p.* 238. *it. Op. Chron. p.* 402 circa finem Aprilis statuit. Mirâ autem felicitate & speciosâ admodùm demonstratione hanc suam videntur probatum ivisse sententiam. Ambo enim consentiunt & in ratione computandi & in annis determinandis, si modò observes, Scaligerum suæ Periodo Julianæ, cum cujus annô 765. primum mundi annum concatenavit, insistere; unde tamen detractis 764. annis, annum Mundi qvemcumqve investigare labor est perqvàm facilis, & eô facilior computatio, qvò inventum istud *Scaligeri* oppidò laudabile, ut eruditis, ipsiqve Scaligeromastigi *Petavio*, *Part.* II. *de Doctrina Temporum lib.* IX. *c.* I. *p.* I. (qvamqvàm in eo nonnihil castigandum eum putet, qvòd se Periodi hujus inventorem ac methodi solum fuisse glorietur, qvam tamen à Græcis transtulerit) audit, æræ Julianæ, cui etiam denominationem debet, adaptatum est: qvod ipse etiam modò citatus fatetur *Petavius*, *ibid. c.* VI. *p.* 18. dum illam tutiorem & liqvidiorem esse dicit Chronologiam, qvæ ad annos mundi, si qvidem hos prætерire nolit, Julianæ periodi annos adjungit. Fundamentum verò assertionis suæ constituunt in Encæniis Maccabæorum, in qvibus restitutio templi Hierosolymitani post Antiochi profanationem facta est per Judam Maccabæum. Ab eo enim tempore ad annum usqve LXX. Christi Dionysianum, qvô scilicet deleta sunt Hierosolyma, nullam interpellationem sacro qvotidiano, ne in summis qvidem belli discriminibus, intervenisse pro certo habent. Hinc inde ab hac templi restauratione annos ad Nativitatem usqve Christi & ultra supputare, pro labore æstumant simplici. Constat verò ex ipsa Maccabæorum historia tam devasta-

vaſtationis qvàm reſtitutionis templi annus & dies. Caput primum libri primi vix habet aliud qvod recenſeat, qvàm qvomodo Antiochus, poſt ſuum ex Ægypto reditum, templum non modò omni ornatu privaverit, pretioſiſſima vaſa, ſacris peragendis deſtinata, ſpoliaverit & ſecum abduxerit; verùm etiam, qvod auſu omni gravius, larvali Jovis Olympii idolô dehoneſtaverit & profanaverit: die enim xv. menſis Casleu in templo fuiſſe collocatum, & die xxv. eidem in ara nova ſacrificatum perinde annotat. Repurgationem igitur & omnimodam reſtitutionem factam ferunt, (*Vide* I. *Macc.* IV. 52) die xxv. menſis Casleu anni Alexandræi ſive Græci 148. eôdem die, ut habet *Chronicon Carionis*, *lib.* II. *p. m.* 160. qvô ante tres annos idolum in templum collocatum, vel potiùs, ut ſacra hiſtoria, *l. c. Maccab.* & *Bucholzerus*, *Indic. Chron. p.* 78. indigitant, qvô ei ſacrificatum fuerat. *Scaligero*, *lib.* V. *de Emend. Temp. p.* 435. eſt annus P J. 4549 *Calviſio*, *Iſag. Chronic.* XLVIII. *p.* 237. *it. Op. Chron. p.* 402. annus M. 3785. embolimæus abundans. Qvocirca notandum, qveis noſtra æra, ſive Juliana, annis hiſce Græcorum reſpondeat, ne fortè dubio remaneat locus. De hoc *Scaliger*, *lib.* IV. *de Emend. Temp. p.* 298. ita nos inſtruit; meminiſſe ſcilicet oportet, annos Græcorum qvondam dies habuiſſe CCCLIV. qvibus tamen ſingulis bienniis exactis, vel, ut Herodotum loqvi ait, διὰ τρίτου ἔτεος, XXII. & XXIII. dies alternis intercalati fuerint; qvi anni tum vocati ſunt *embolimæi*, menſis inſititius *embolimus*, actus verò inſertionis *emboliſmus*; ut hinc cum noſtro bene conſpirent anni iſti. Sed ne qvidqvam ſileamus, unica ſe adhuc prodit diverſitas, qvando Chronologorum qvidam hunc menſem Casleu dicunt nonum, alii tertium. Judæi enim duplicem nume-

numerabant annum: Civilem & Ecclesiasticum: Hunc à verno tempore, seu Martio, incipiebant, qvi eductionem ex Ægypto, post qvam demum institutus est, respiciebat; illius verò, sive politici, initium autumnus erat, & hujus universi creationem spectabat, qvemqve in annis sabbaticis & Jubilæis, etiam post introductum annum Ecclesiasticum observare solebant. Cùm ergo *Bucholzerus l. alleg.* mensem Casleu dicit nonum, nominat eum ita in respectu ad annum Ecclesiasticum; civilis enim anni mensis est tertius.

§. VIII. His ita præmissis Scaligerianam & Calvisianam penitiori considerationi submittemus sententiam. *Calvisius, Isag. Chron. c.* XLVIII. *p.* 237. ergo calculum suum ita instituit: Annum Græcorum 148. inchoari ait in anno M. 3785. in Septembri. Novilunium mensis Paschalis hujus anni 3785. secundum Judæos incidere in diem IIX. Martii, fer. 7. primùm autem azymorum diem celebratum fuisse d. XXII. Martii, h. e. die à Calendis Januarii XXCI. cui si addantur dies CLXIII. qvi confiunt dies CCXLIV. desinere dicit primò Septembris eodem annô Mundi fer. 2. qvem diem dicit primum mensis septimi. Peractâ tunc inqvisitione, ex Calendario Judæorum reperit, annum hunc esse Embolimæum abundantem, cujus mensis octavus dies habeat XXX. non XXIX. Dies ergò XXX. mensis VII. dies item XXX. mensis octavi & dies XXV. noni mensis efficientes XXCV. & simul sumtos cum Calendis Septembris efficere ait dies CCCXXIIX. designantes XXIV. Novembris feriam 2. qvâ primùm accenderint lumina in candelabris & suffitum fecerint & panes proposuerint & holocaustum obtulerint, eodem die, qvô ante triennium templum profanatum fuisset. Iniisse ergo familiam Joarib, qvæ ordine prima erat, suam vicem,

rem, hinc reliqvas ordine ad ultimum templi excidium seqvutas, & orbem illum sacerdotum hieraticum continuatum, neqve unqvàm posteà interruptum esse. Deinde tanqvàm certum supponit, ut qvod antè demonstrâsse se ait, Christum natum annô M. 3947. Ergo Joannem Baptistam conceptum annô 3946. concludit. Tum ab anno M. 3785. qvô templum est repurgatum, ad annum usqve 3946. incipientem annos Julianos numerat CLX. & dies XXXIX. qvot à XXII. Novemb. usqve ad Calendas Januarias seqventis anni superesse dicit; annos verò CLX. Julianos redactos in dies efficere in una summa 58479. qvi si dividantur per 168. dies, qvot consumebantur, anteqvàm ephemeriæ in orbem redirent, prodire orbes hieraticos CCCXLIIX. & dies insuper XV. qvi ostendant, annô M. 3945. die XVII. Decemb. fer. 7. primam familiam Joarib suam vicem iterum inchoâsse. Ut verò propiùs ad conceptionem JOANNIS accedat, unum adhuc orbem sive dies CLIIX. addit, qvi pertingunt ad diem usqve CLIII. à Calendis Januarii, an. 3946 sive ad diem II. Junii fer. 7. ubi iterum familia prima Joarib vicem suam obiisse dicitur. Porrò cùm Zacharias fuerit ex familia Abiæ, octava in ordine, septem familias præcessisse & vices suas implêsse diebus XLIX. necesse est, qvi additi ad II. Junii pertingunt ad CCII. diem à Calendis Januarii & ostendunt Zachariam inchoâsse liturgiam suam d. XXI. Julii fer. 7. & complevisse dies officii d. XXIIX. Julii, indéqve domum redîsse, & ita JOANNEM circa finem Julii annô 3946. conceptum esse. Eumdem in modum etiam *Scaliger*, *Fragm. p.* 58. & 59. *Conf. etiam Canon. Isag. lib.* III. *part.* II. *in c.* I. *lib.* II. *Epoch.* 101. *diatr. p.* 305. procedit. Hic omni carere putat dubiô, primam familiam Joarib tempore Encænio-

rum ministrâsse. Ita enim disserit: Celebrata autem sunt Encænia xxiv. Novemb. fer. 2. annô P. J. 4549. Ergo erat tertia dies ephemeriæ Jojarib, qvæ biduô antè incensum obtulerat Deo: 1. *Macc.* iv. 50. ut enim templi, sic & ἱερατείας ἐγκαινισμὸς à Juda introductus est: & proinde non ab alia familia, qvàm à principe incepit, qvod nemo negare potest. In subseqventibus addit hæc: Qvô tempore autem fungi cœperit ministeriô ephemeria Abiæ, levioris est operæ invenire, qvam qvô die Angelus Zachariæ sese ostenderit, cùm per septem dies familia Abiæ ministraverit. Jàm diximus Ephemeriam Jojarib inivisse munus suum xxii. die Novembris, anni P. J. 4549. Ephemeria autem Abiæ est octava ordine. Inibat igitur Liturgiam suam qvinqvagesimô die orbis Hieratici. Proinde inivit decimâ die Januarii annô 4550. Jam Christus accessit ad baptismum annô Actiacô 58. qvintodecimô Tiberii, cùm recenter iniret annum xxxi. Ergo natus est annô 28. Actiacô, qvod & pleráqve omnis vetustissima Ecclesia credidit jure meritô, bienniô ante epocham hodiernam Dionysianam, annô & amplius ante obitum Herodis. xiv. autem mensibus anteà Euangelismus Zachariæ contigit, ut constat ex filo historiæ. Secundùm hanc firmam & constantem hypothesin, cùm Christus natus sit in ultimis mensibus anni P. J. 4711. Euangelismus Zachariæ contigerit annô 4710. qvô ephemeria Abiæ inivit ministerium d. xxi. Julii. A. X. Januarii anni 4550. qvô eadem ephemeria inivit ministerium post encænia Maccabæi, ad Sabbatum xxi. Julii anni 4710. fluxerunt anni clx. dies 192. qvi sunt orbes hieratici Abiæ cccxlix. præcisè. Ergo xxviii. Julii ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας Zachariæ. Qvare post xxiix. Julii

lii conceptus est Joannes & inter XXI. & XXIIX. diem Euangelismus incidit. Et paullò post: JOANNES autem natus est ultimâ Ephemeriâ in templo ministrante. Nam unaqvæqve ephemeria post CLXI dies redibat ad functionem suam, CLXIIX. dierum est orbis hieraticus, ex qvibus septenos singulæ ephemeriæ funguntur. Supersunt CLXI. dies, qvibus vacabant singulæ familiæ, qvi si ex CCLXXIII. diebus deducantur, qvod est tempus, qvô mulier gestat in utero, supersunt CXII. dies absoluti: de qvibus deductis rursus 7. ministravit familia Abiæ, supersunt CV. h. e. XV. familiæ, qvæ post familiam Abiæ ministrârunt ad tempus partitudinis. Ergo XXIII. familiis defunctis supererat ultima, qvâ natus est Joannes. Qvod præcisè currit in finem Aprilis ann. P. J. 4711.

§. IX. Hanc Scaligeri sententiam mirificè confirmare ait *Casaubonus*, *Ad appar. Ann. Bar. n. 68. Exerc. I diatr. 25. p. III.* consvetudinem primitivæ Ecclesiæ Alexandrinæ, qvæ nativitatem JOANNIS Baptistæ primis temporibus solennitatis illius introductæ celebravit die Aprilis XXIII, qvi illis erat dies mensis Pharmuthii XXIIX. qvemadmodùm etiam *Calvisius*, *Isag. Chron. c.* XLVIII. *p.* 238. hoc antiqvitatis testimonium pro firmo habet argumento, diligentiqve observatione dignum censet. Nec paucos alios invenies ex modernis etiam eruditis huic sententiæ addictos: cui etiam qvoad rationem computationis (in anno enim disconvenisse eos ex post dicendis patebit) favisse *Autorem* (nomen ipsi esse *Hieronymo Vecchietto*, instructissimæ nostræ Bibliothecæ Jenenses, qvæ eum servant, nos docent) *octo librorum de anno primitivo ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato*, meminit *Antonius Cappellus*, qvi, *Dissert. de Cœna Christi suprema Præfam.* qvod *occasionem*

& consilium Autoris inscribit, genuinum nomen reticens, *Ægyptium* eum nuncupat, ob res in Ægypto aliqvando feliciter gestas; qvemadmodùm de hoc ipse gloriatus sit. Castigandum autem eum suscipit, qvòd multa assumat, ut certa, qvorum alia incerta sint, nulláqve ratione probata; alia levissimis tantùm conjecturis confirmata, qvæ, qvâ facilitate adseruntur, eâdem refelli possint. Et nostram hanc materiem qvod attinet, de ratione perveniendi ad nativitatem Christi vel Joannis, ex ordine ephemeriarum, qvatuor potissimùm in *Ægyptio* taxat, *Diss. de Cœna Christi suprema c.* IV. §. XIII. *seqq. p.* 65. *seqq. edit. Parisiis an.* 1625. Primò errorem esse, qvòd assumit, ephemeriam Abiæ annô 3948. incidisse in IX. Decembris, seu diem currentis anni Juliani trecentesimam qvadragesimam qvintam, ut qvô annô inciderit etiam in diem ejus 177. sive XXVI. Junii, qvum centesimô sexagesimô qvoqve octavô die vices ad eandem familiam redirent. Assumere ergo heic dicit *Ægyptium*, nec probare, ad ephemeriam Decembris, non ad ephemeriam Junii referri debere visum Zachariæ. Secundò assumere eum, conceptionem Joannis incidisse in annum 3949. initiô, qvum tamen juxta varias sententias, de anno Christi natali, incidere potuerit in 48. 47. 46. imò verò (qvam se fovere ait) in 45. Ex calculis ergo *Ægyptii* qvum familia Abiæ ministrare cœperit annô 3948. die 177. conseqvi ait, cœpisse etiam eôdem annô nona Januarii: annô 3947. Julii XXV. & Februarii VI. annô 3946. Augusti XXII. & Martii VII. & annô demùm 3945. XX. Septembris, qvô annô ipsi (*Capello*) conceptus est Joannes, & in seqventi Christus. Tertiò dicit *Cappellus* ministerium sacerdotum minorum in illas XXIV. familias à Davide tributum, qvadruplex habuisse initium: (1) sub Salo-

Salomone poſt dedicatum templum; (2)ſub Zorobabele poſt 70. annum captivitatis; (3) ſub Dario Perſarum rege, poſtqvàm annô ejus ſextô templum ſecundum dedicatum fuit; (4) ſub Juda Maccabæo, qvando domus DEI, qvæ ſub Antiocho Epiphane, trienniô ante profanata fuerat, purgata eſt, & cultus divinus in priſtinum reſtitutus. Primâ vice cœptum miniſterium à familia Joaribi exploratum eſſe, at unde cœptum tribus ſeqventibus vicibus, & maximè poſtremâ, incompertum exiſtimat. Dicit enim: Etſi Joaribi erant primæ vices, ex ejuſqve familia Maccabæi, non tamen ideò aut lege aliqvâ (qvod ſciamus) aut conſvetudine receptum erat, ut ſi qvando ſeries illa interrumperetur, præteritis familiis, qvæ ſupererant, cyclus à Joaribo rurſum inchoaretur. Neqve æqvum videri putat, ut vel renovatio cultus divini, vel principatus Judæ, cuiqvam adimerent ſuum jus, qvod ademiſſent, ſi illas familias, qvæ trienniô antè ſuccedere debebant in miniſterium divinum, vicis illius jure ſpoliâſſent. Deniqve taxat, qvod *Ægyptius* adſumit, annum Romanum eâ formâ, eâqve magnitudine, qvâ Julius Cæſar eum ordinavit, fuiſſe à tempore Maccabæorum ad conceptum Joannis, h. e. ab anno 3791. ad 3948. qvâ hypotheſi nihil eſſe falſius, exclamat. Qvod fuſiùs etiam ibidem refutat *Cappellus*. De *Scaligero* verò hoc ſentit, *Dedicat. Diſſert. de Cœna Chriſti ſuprema*, qvòd magnum qvidem ejus fuerit ingenium, magna eruditio, variarúmqve cognitio lingvarum, ſed nimiâ plerumqve ſui confidentiâ, tanqvàm plenô qvodam torrente, abripi ſe adeò ſiverit, ut mirum non ſit, in complures illum ſcopulos infeliciter impegiſſe, iiſqve (ut iſtiusmodi ſolere ait ingenia) pertinaciter hæſiſſe. Ad qvos proin, aut non abſimi-

similes lapides *Ægyptium* etiam hunc offendisse pronunciat.

§ X. Peculiarem verò *Scaligeri* Antagonistam se prodit *Dionysius Petavius*, *Jesuita doctissimus*, qvi, *de Doctrina Temp. part.* II. *lib.* XII *c.* VII. *p.* 417. *seqq.* omnia *Scaligeri* firmamenta, qvæ ex serie functionum sacerdotalium petit, ex incertis pendere ait rebus: qvod vel ex eo pateat, qvia pro concesso sumitur, Judam à Joaribi familia functionum ordinem inchoâsse. Fieri enim potuisse, ut pristinam functionum seriem Judas pertexere voluerit, non novum ordinem statuere. Prætereà etiam, cùm sacerdotes mundos ac sine macula delegerit Judas, qvô mundarent sancta, fortassis incidisse, ut è familia Joarib nulli tum ad manus ejusmodi sacerdotes essent, qvi legali immunditiâ vacarent, unde ex alia qvapiam ephemeria capere opus habuisse. Ponit nihilominus, Joaribi familiam primùm sacra celebrâsse, ut tamen ex serie functionis hieraticæ nondum evincere dicat *Scaligerum*, qvod intendit. Scilicet assumit ex diversis de vero Christi natali sententiis eam, qvam ceteris anteponendam judicat, ut annô Julianô XLI. Per. Jul. 4709. bienniô antè, qvàm putat *Scaliger*, natus sit. Inde suam etiam, Joannem nempe natum esse die XXIV. Junii, sententiam probare aggreditur. Ab anno enim restitutorum à Juda Maccabæo sacrorum, qvi est Per. Jul. 4549. & Novembris XXII. ad Septembris XVII. anni 4708. (qvô & *Jacobus Usserius*, *Annal. Maccab. & N. T. p.* 526. *edit. Londini an.* 1654. Zachariam fecisse suffitum autumat, annô nempe Mundi, juxta ejus calculum, 3998, finiente) dies numerat 58009. qvi per septem divisi dant hebdomadas 8287. h. e. orbes hieraticos 345. & prætereà 49. dies, sive ephemerias septem integras. Igitur Septembris

XVIII.

XVIII. 7. fer. cœpiſſe, ait, octavam ephemeriam, nimirum Abiæ, annô P. J. 4708. cyclô Lunæ XV. Solis IV. literâ C. Qvâ hebdomade labente Gabriel Zachariæ, ſuffitum adolenti, Joannis ortum nunciaverit: qvi expletâ functione domum reverſus ſit poſt XXIV. Septembris. Eliſabetam verò concepiſſe haud multò pòſt, & Ioannem nonô menſe vertente, anni Per. Jul. 4709. peperiſſe.

§. XI. *Robertus* autem *Baillius*, *Oper Hiſtor. & Chronolog. lib.* II. *c.* II. *qvæſt.* III. *p.* 45. *ſeq.* ſubtilem hanc *Scaligeri* Demonſtrationem tot qvidem niti ait hypotheſibus, qvarum unâ labente totum ruat ædificium, ut hinc etiam ipſi ſatis dubia videatur, ea tamen, qvæ *Petavius* aut alii contra eam objiciunt, neqvaqvàm magni eſſe momenti aſſerit. Qvod enim primariam *Scaligeri* hypotheſin, qvam *Herculem* ejus dicit *Cappellus*, *l. c. p.* 65 infirmam pronunciant, qvòd ſcilicet Judas Maccabæus in ſua templi reſtauratione primam ſacerdotum claſſem ex Joaribi familia primâ vice adhibuerit: Reſpondet, *Scaligeri* rationes hìc plus qvàm probabiles eſſe, nec in ſolenni divini cultus corruptiſſimi reformatione ulli ſacerdotum claſſi primas miniſtrandi vices competiiſſe potiùs, qvàm ei, cui *David* divinâ inſpiratione eas vices aſſignaverit, & cui illa prærogativa ad illum uſqve diem absqve controverſia convenerit. Prætereà in defectu Endelechiſmi Ephemeriarum ordinem ad claſſem ultimam, viceſimam qvartam, tum deficientem, perveniſſe decimô ſeptimô Tammuz, ſeu Julii decimô qvintô, à qvo retro numerando Ephemerias, ad XXV. Casleu, ſeu XXII. Novembris, Encæniorum Judæ Maccabæi, inveniri ait, ad familiam Joaribi Ephemeriam ſpectâſſe. Pari modô diluit alteram *Petavii* objectionem,

ctionem, qvandò ex *Keplero* vult, ſtante etiam *Scaligeri* per orbes hieraticos calculô, Zachariæ miniſterium incidiſſe in Septembris XVII. adeóqve Chriſti natalem in Decembris XXV. Reſpondet enim, gratuitam eſſe hanc *Petavii* & *Kepleri* aſſertionem ſine probatione: imò ſi ſtet *Scaligeri* calculus, qvem *Petavius* largitur rectum, & in qvo nihil conatur corrigere, impoſſibile eſſe, ut Zachariæ miniſterium XXIIX. Julii abſolutum, non ante Septembris XVIII. inceperit. Et hâc fâcilitate etiam objecta *Spanhemii*, qvorum ibidem qvædam, ſed levioris momenti, recenſet, refellit. Superciliosè igitur & ante porrectum brabeum collectionem ſuam, contra novam, qvam dicit, *Scaligeri* divinationem, pro ἀναντιῤῥήτῳ venditat *Petavius*, *loc. cit. p.* 419. Ut non injuriâ *Alexander Morus*, *Præf. Theſauri Temp. Scaligeri*, minimè aliàs ita videri cupiens partium ſtudiô ductus, ut *Doctrinæ Temporum Conditorem* laude ſuâ fraudatum velit, abfuiſſet modò ſuccus loliginis & ærugo; in hoc eum corrigat, qvòd, ut ſæpe non injuſtè *Scaligero* repugnaret, ſemper tamen immodicè, ne dicat, immani ac hoſtilli more invehatur: cùm nihil qvidqvàm in eo probet, ſi Periodum Julianam exceperimus, qvod admirabile repertum, qvia refutare non potuerit, ejus laudem ipſi ereptam, aliis transſcripſerit, & qvod magis miremur, hoc facinus candoris nomine venditaverit.

§. XII. Sed prolixum foret, omnes ſententiarum diverſitates in medium proferre, nedum eas cum baſibus ſuis in trutina judicii ſuſpendere: citiùs enim tempus nos fugeret, chartáqve deficeret, qvàm patronos earum in tranſcurſu ſaltim attingeremus, qvorum evolutioni horula non ſufficeret: qvare id expediundum committimus, qvibus

bus plus ocii supereſt. Si cui tamen ſcire arridet alias, ab his, qvas adduximus, diverſas, adire poteſt *Jacobi Cappelli Synopſeos Hiſtoriæ Centuriam noviſſimam Eccleſiæ Judaicæ*, ubi adhuc aliqvid offendet. Nos verò cui noſtrum adjiciamus calculum, planè non videmus: autoritati cedere non æqvè tutum eſt, imprimis ubi probabilitatis obvenit multum, certitudinis parum, & totum ex hypotheſibus pendet. Tutiſſimâ proin laborabimus ire viâ, bene obſervantes, qvæ modò citatus habet *Baillius*, qvando de Chriſti Nativitatis inqvirendo tempore ait: *l. c. qvæſt.* 1. *p.* 32. *Qvandoqvidem DEI Spiritus in verbo ſcripto, rei ipſi intentus, à circumſtantiis ita abſtrahit, ut ſuperſtitioſè de ipſiſſimo anno, menſe, die & hora iſtius feliciſſimi partus* (non autem diſpar ratio nativitatis Joannis; cognitâ enim unâ facilè ſciri poteſt altera) *inqvirentibus non faveat, nec velit ſatisfacere; neceſſe eſt ſcrupuloſæ nimis & anxiæ hominum curioſitati fibulam inſolubilem imponere.* Scilicet in re iſtiusmodi dubia, captúmqve humanum ſuperante omnino malumus ἐπέχειν, qvàm ingenii criſtas tollere, qvô fit, ut nimium ſibi tribuere viſi, ſiniſtrè ſentientium cenſuræ facilè ſeſe exponere ſoleant. Salva nihilominus ſit magiſtris ſubtilitatum ſua ſubtilitas, qvâ ſi qvid tandem potuerint obtinere, rectè ipſis gratulabimur.

§. XIII. *Beroaldi* verò ſententia ut locum inveniat valde vereor. Qvòd enim à Martio ſeu anni Eccleſiaſtici initio ephemeriarum functiones numerat & binas cuilibet menſi adſcribit, omni teſtimoniô, eruditorúmqve ſuffragiô deſtituitur. Nudis autem inniti conjecturis perinde eſt, ac arci magnificæ fundamentum ſtruere arenoſum. Unde non eſt neceſſum, uti cum primo menſe prima etiam miniſtrare incipiat ephemeria; licèt enim

vel

vel in medio vel ultimo inciperet, primitati ta-
men nihil derogaret. Qvod etiam alio ejusmodi,
itidem ex sacris petitô, exemplô dilucidat *Scali-
ger*. *Isag. Can. lib.* III. *part.* I. *in c.* II. *lib.* I.
p. 265. qvando Salomoni, I. *Reg.* IV. 7. duode-
cim dicuntur fuisse præfecti, qvorum uniuscujus-
qve intererat per mensem regi alimoniam procrea-
re; ubi nullam fieri dicit mentionem, aut neces-
sitatem urgere, ut statuamus primæ functioni pri-
mum anni civilis mensem competiisse; sed men-
sem, qvô prima opus suum perfecit provincia, in-
telligi primum non anni, sed XII. illarum functio-
num. Possemus tamen liberales esse & Beroaldo
largiri, primam familiam primô anni mense mi-
nistrâsse, qvô verò qvid evinceret, nondum vide-
mus: Qvæstioni enim adhuc superesset locus, qvei
intelligendus sit *Josephus*, *Antiq. lib.* VII. *c.* XI.
qvando cuiqve familiæ unam septimanam tribuit,
qvam κατὰ σχῆμα ἰδιωτισμὸν ut *Scaliger*, *ib. lib.* III.
part. II. *in c.* I. *lib.* II. *Epoch.* IOI. *diatr. p.* 303.
loqvitur, appellat ἡμέρας ὀκτὼ ἀπὸ σαββάτου ἐπὶ σάβ-
βατον: qvi item ipse eos, qvi in sua operabantur
ephemeria, ἑβδομαδίτας, ipsas verò familias, ἐφη-
μερίας ἑβδομάδων *Theophylacto* vocatas esse pronun-
ciat. Si ergo ad Beroaldi mentem singulis men-
sibus duæ sacris interfuissent familiæ, reliqvos præ-
ter duas has septimanas in mense dies à sacris va-
câsse sacerdotes seqveretur, qvod probabilitatem
vix admittit, cùm & *Scaliger*, *l. c.* & *alibi* &
Calvisius, *Isag. Chron. c.* XLVIII. *p.* 238. aliiqve
non sine caussa notent, per dies CLXIIX. singu-
larum familiarum functiones in orbem recur-
risse.

§. XIV. Tandem *Baronii* qvod attinet senten-
tiam, ipse nec solus nec primus est, qvi eam to-
vet, sed ingentem numerum, ex Patribus etiam,

qvi

ei addictos reperies. A *Chryſoſtomo* accepiſſe Eccleſiam Conſtantinopolitanam, inqvit *Scaliger, lib. alleg. p.* 307. 308. (*Conf. lib.* VII. *de Emend. Temp. not. in Eclog. computi magni Maximi monachi, p.* 753.) qvæ Ευαγγελισμὸν Ζαχαρίου qvondam non modò ſtatuit in XXVII. Septemb. verùm qvóqve diem illam tanti fecit, ut ejus cultum aliis primæ claſſis ſolennibus aggregaverit, ut ibidem ſubjicit; qvi tamen dies poſtmodùm ad XXIII. Septemb. retro traductus eſt, qvemadmodùm ex Μηνολογίῳ Conſtantinopolitano patere, ejúsqve veſtigia legere, ait, Calendarium Antiochenum, qvod XXIII. Elul; Calendarium item Elkupti [h. e. Ægyptiorum, qvos nomine decurtatô ex ultima parte vocis AIΓΥΠΤΟΣ ita dictos idem putat *Scaliger, lib.* VII. *de Emend. Temp. p.* 705. qvod XXVI. Thoth. i. e. eumdem diem XXIII. Septemb. & alia, huic εὐαγγελισμῷ ſacratum habent. Patres verò hanc foviſſe ſententiam, ideò factum dicit *Scaliger, loc. cit. p.* 758. qvia Zachariam pro ſummo habuerunt ſacerdote, qvod tamen *Petavius, lib.* XII. *c.* VII. *Doctr. Temp. col.* 418. *doctiſſimus Jeſuita*, ipſi tanqvàm ſuum commentum objicit, qvod & alii pleríqve ſint amplexi. Hujus enim ſi veteres habuiſſent rationem, oportuiſſe eos ex notis, qvas Chriſti nativitati adſignant, Euangeliſmum Zachariæ anno Juliano XLV. qvi proximè æram vulgarem anteceſſit, & Joannis Chriſtíqve natalem anno primo ejuſdem æræ communis ſeu P. J. 4713. attribuere: cùm tamen nemo ex omni antiqvitate ſit repertus, qvi non ut minimum trienniô ante natum Chriſtum prodiderit: pleriqve qvadrienniô. Verùm fides ſit penes *Petavium*, etiamſi forſan alii aliter ſentirent. Interim tamen *Baronius* nihilominus audire tenetur, qvod *Caſaubonus, loc. ſup. alleg. p.* 110. de eo cenſet, qvando hanc ejus in inveſti-

gando Nativitatis Joannis die curiositatem meram æstumat πολυπραγμοσύνην & illaudabilem laudis cupiditatem; qvem item *Calixtus, Concord. Evang. lib.* I. *c.* IV. *p.* 33. *edit. Goslar.* 1638. hacpropter planè ridendum putat.

§. XV. Ne verò qvísqvam offendatur, qvòd nostræ Ecclesiæ hunc Prodromi Natalem die XXIV. Junii celebrant, scire ipsum necesse est, non ideo fieri, ac si præcisè hôc die natus esset *Joannes*; sed fortè, ut autor est *Casaubonus*, *loc. cit.* ob alias caussas accidentales. Scilicet cùm cœpta est in Ecclesia celebrari memoria non solùm Domini Jesu, sed etiam B. Virginis, Apostolorum, martyrum & aliorum sanctorum, videntur pii Patres non tantam verorum natalium curam sæpe habuisse, qvantum id studuisse illos constat, ut dies solennes ex ritibus paganorum in meliorem usum converterent. Idcirco nihil vetare dicit, qvô minùs salvâ reverentiâ, qvæ priscæ debetur Ecclesiæ, de veris sanctorum natalibus hodiéqve posset qværi. Hanc verò Joannis festivitatem substitutam esse in locum Summani, h. e. summi manium apud Ethnicos Dei, memorat *D. Kromayer, Polem. Theol. Part.* III. *c.* II. *p.* 455. qvi hinc residuum apud qvosdam Christianos morem esse dicit ethnicum, ut accensam D. Joanni Baptistæ pyram choreis cingant, aut minimùm ollas perforatas ignibus repletas circumgestent.

CAPUT II.

DE

Educatione & Officio

JOANNIS.

§. I.

DE educatione JOANNIS qvum altum in ſcripturis ſit ſilentium, mirum, qvantum fabularum de hac ſpargant ſcriptores, ut pauciſſimi ſint, qvibus aliqva tribui poſſit fides; &, ſi qva poteſt, ea ſatis erit exigua. Hoc verò omnino ex ſacris Luc. 1. 80. conſtat, in *deſerto Judææ* eum degiſſe: ſed num deſertum illud fuerit tale κατ' ἐξοχὴν, an verò *relativè*, interpretes variant. *Fridericus Spanhemius*, *Dub. Evang. Part.* II. *Dub.* XCVII. *n.* 7. *p.* 663. in *deſertis* eumdem enutritum dici ait, quatenus nec Hieroſolymis, nec in regione vel tractu amœniore hæſit; ſed in montanis & locis minùs cultis magnam vitæ partem exegit: in tractu nimirum illo, qvi vocabatur ἡ ὀρεινὴ à Judæis, ubi patria domus, urbs & aliæ ſimiles. Nec diſſident ab hac ſententia *Centuriatores Magdeburgici*, *Cent.* 1. *lib.* 1. *c.* x. *p* 357. qvi *Joannem* educatum ajunt in œconomia parentum ſuorum, qvi habitârint in loco ad regionem montoſam ſito, qvæ vulgò *deſertum* vocata ſit. Hoc verò dubium torqvet auctores, rurine, an in urbe domus *Zachariæ* fuerit. *Chriſtianus Adrichomius*, *Theatr. Terræ S p.* 55. *ſeq edit. Colon. Agripp. an.* 1590. uno milliariô ab Emaunte ju-

xta desertum in pago qvodam fuisse asserit; ibi *Joannem* & natum & circumcisum & in spelunca absconditum, ne cum pueris Bethleemiticis ab Herode occideretur. *Baronius, Appar. Annal. n.* 79. verò hanc domum intra civitatem Judæ fuisse positam, non in campestribus, ex Luca patere ait; indéqve refutat *Borchardum, Descript. Terr. S. part.* I. *c.* VII. §. 68. qvòd domum Zachariæ sic ponat in montanis Judææ, ut tamen ab Hebron seu Chebron novem leucis distet, nec in civitate, sed in campestribus sita sit. Sic *Büntingus, Itiner. S. Script. part.* II *p.* I. memorat, incolas Palæstinæ hodienum ostendere domum Zachariæ in via ab Emaunte ad Jerusalem. Quibus verò calculum suum adjicere recusat. Negat enim & ipse, conveni-re sacris Literis, eumdem ruri, aut in solitudine habitâsse; sed ea in urbe, qvam Euangelista *civitatem Judæ* nuncupat. Eam verò non aliam esse putat, qvàm vel principem civitatum regni Judæ, nempe *Hierosolymam*; vel aliam non procul ab Hierosolymis distantem in montanis Judæ. Magis verò inclinare videtur in eorum sententiam, qvi Hierosolymis Zachariam habitâsse, in altera civitatis parte, in monte *Bezethæ*, affirmant; qvem situm esse dicit, *Part* I. *p.* 55. versus septentrionem: ibidem enim fuisse habitationes sacerdotum, ex *Nehem.* III. adstruere satagit. Interim tamen & aliorum recenset opinionem, qvi *Hebronem* illum incoluisse asserunt; & fatetur qvoqve, liberam non modò eam fuisse civitatem sacerdotalem; verùm etiam principem tribus Judæ, in qva monumenta Patriarcharum, Abraami, Isaaci, & Jacobi, hodienum ostendantur. Sic *Hebrone* natum esse *Joannem*, inqvit *Jo. Lightfootus in Horis Ebraicis in Matth.* III. I. *p.* 33. *conf. Centur. Chorogr. c.* II. *p.* 23. non incommode conjecteris ex colla-

latione Lucæ I. 39. cum Josuæ XXI. II. Unde nec minimi videtur esse momenti, qvod notat *Glassius*, *Phil. S. lib.* IV. *Tract.* III. *Obs.* VIII. *p.* 951. verba Lucæ εἰς πόλιν Ἰούδα periphrasin esse Hebronis: idqve verbis *Bezæ*, qvæ hanc in gratiam adducit, bene confirmat, dicentis: *Scribitur Jos. XXI.* 9. II. *in sorte Levitarum filiis Aaronis data fuisse novem oppida de tribu Juda & Simeon, inter qvæ primô locô nominatur Ciriath Arba, qvæ & Hebron dicitur, & disertè etiam adjicitur, sitam fuisse in monte Judæ, ut copiosiùs c. XIV. refertur. Cùm ergo Zacharias ex familia Aaronis esset, & una hæc urbs sacerdotum commemoratur in montibus Judæ, non fuit necesse, ut Evangelista de Zachariæ domicilio loqvens, ejus urbis nomen disertè exprimeret; cùm nemo esset, qvi, ubi mentio fieret sacerdotum, & civitatis Judæ, non satis intelligeret, Hebronem intelligi.* Et hanc *Bezæ* rationem adeo etiam laudat *Ludovicus de Dieu*, *Comment. in Luc. h. l. p.* 247. ut, qvando *Hebron* in isto *Josuæ* loco בהר יהודה *in monte Judæ* sita fuisse dicitur, conjiciat, hac de causa *Syrum* hôc locô pro εἰς τὴν ὀρεινὴν legere ܠܛܘܪܐ & *Arabem* الى الجبل *ad montem*; ad celebrem scilicet eum montem Judæ; in qvo *Hebron* sita erat. A qva proin sententia, cùm viris ita eruditissimis, juxta ac Theologis summis arrideat, cur nos recedamus, caussæ nihil videmus; potiùs anteferendam ceteris omnino putamus.

§. II. Utrisqve verò parentibus eum in prima statim ætate ferunt orbatum. Et *Baronius*, *Annal. Eccles. ad ann. Christi* I. *n.* 52. *p.* 74. qvidem mentionem injicit *S. Petri Episcopi Alexandrini*, qvi occasione infanticidii Herodiani scribat, Zachariam sacerdotem, Joannis parentem, qvòd ad necem qvæsitum filium subtraxisset, ab eodem He-

rode inter templum & altare occidi jussum: id
qvod confirmat *ibid. n. 54. p. 75. seq.* non tantùm
testimonio *Origenis*, *Basilii*, *Gregorii Nysseni & Cy-*
rilli Alexandrini (qvod qvidem occisionem inter
templum & altare attinet; de caussa enim necis
non æqvè eos convenire fatetur), sed etiam Auto-
ritate *Epiphanii*, qvi hunc in modum disserit: *De*
vit. & Inter. Proph. n. 23. T. II. p 150. edit. Pe-
tav. Paris. 1622. Τ8τον ἀπέκτεινεν Ἡρώδης ὁ βασι-
λεὺς, ἐχόμενα θυσιαςηρίȣ ϗ τȣ̃ ὄικȣ κυρίȣ, ἐξεχέε-
το τὸ αἷμα ἀυτȣ̃ εἰς τὰ πρόθυρα τȣ̃ ναȣ̃ κυρίȣ. Cui
pondus adhuc addit gravius, qvando *ib. n. 55. p.*
76. recordatur, se incidisse aliqvando in antiqvum
codicem scriptum Bibliothecæ Vaticanæ *de Peri-*
grinatione ad loca sancta, in qvo eadem, qvæ *Ter-*
tullianus dicit, de Zachariæ sangvine lapidibus tem-
pli indelebili notâ inhærente, certâ fide consigna-
ta fuerint. Præmiserat verò, *Tertullianum in Scor-*
piaco, c. VIII. *p. 493. edit Rigaltii Paris. excus.* 1664.
hæc reliqvisse: *Zacharias intra altare & ædem tru-*
cidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans.
Et *Petri* qvidem *Alexandrini* verba, qvæ *Baronius*
citat, *in Canonibus de pœnitentia, Canon.* XIII. *f.*
901. *Comment. Balsamonis.* Græcè ita sonant: Μεθ'
ὧν (loqvitur enim de infantibus Bethleemiticis)
ϗ τὸ πρὸ ἀυτȣ̃ γεννηθὲν ἕτερον παιδίον ζητήσας ἀ-
ποκτεῖναι, ϗ μὴ εὑρὼν τὸν πατέρα ἀυτȣ̃ Ζαχαρίαν
ἐφόνευσε μεταξὺ τȣ̃ ναȣ̃ ϗ τȣ̃ θυσιαςηρίȣ, ἐκφυ-
γόντος τȣ̃ παιδὸς μετὰ τῆς μητρὸς Ἐλιζάβετ. De
qvibus tamen qvid sentiant *Centuriatores Magdebur-*
gici, Cent. I. *lib* I *c.* III. *p.* 14. ex eo patet, qvòd
notabiliter iis subjiciant: *Verùm cùm hæc non sint à*
certis autoribus tradita, & ab Euangelista aliisqve
comprobatis scriptoribus omissa, nos qvoqve de ea o-
pinione non faciemus plura verba. *Nicephorus* autem
Cal-

Callistus, Hist. Eccl. lib. I. *c.* XIII. *p.* 78. *edit. Paris. anno* 1630. de educatione Joannis hæc tradit: δύο δ᾽ ἐτῶν πρὸς τῷ ἡμίσει ἐτύγχανεν ἅμα τῇ μητρί Ἐλισάβετ ἔν τινι σπηλαίῳ πρὸς τὴν ὀρεινὴν διεσώζετο, ἴσως τὴν Ἡρώδου μιαιφόνον χεῖρα διαδιδράσκων. κἀντεῦθεν καὶ ταῖς ἐρήμοις ἐμφιλοχωρεῖν εἰωθὼς, ἀγγέλῳ χρώμενος ὁδηγῷ, πρὸς τὸ βάθος τῆς ὕλης ἐχώρει. Eadem prope habet *Cedrenus* & verbis qvidem clarioribus, qvando ait *Comp. Hist. Tom.* I. *fol.* 187. *B. edit. Par. an.* 1647. Μετὰ δὲ δύο ἔτη (scil. nativitatis Christi) ἐποίησε τὴν βρεφοκτονίαν Ἡρώδης, καὶ τὸν Ζαχαρίαν ἔσωθεν τοῦ θυσιαστηρίου ἀνεῖλε λειτουργοῦντα· ἡ δὲ Ἐλισάβετ λαβοῦσα τὸν Ἰωάννην, ἐξῆλθεν εἰς τὴν ἔρημον, καὶ ἐκρύβη ἐν σπηλαίῳ ἡμέρας τεσσαράκοντα, καὶ ἐτελεύτησεν. ὁ δὲ Ἰωάννης ἐν τῇ ἐρήμῳ ὁδηγηθεὶς ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου, καὶ ἐν αὐτῇ ἀνατραφεὶς, ἔμεινεν ἕως τῆς τοῦ κυρίου ἀναδείξεως. Qvibus maxime adstipulatur *Matthias Chesneux, Spec. Chronogr. Part.* II. (*Nov. Test. Part.* I.) *p.* 5. qvando JOANNEM in eremo solis notum Angelis pronunciat. Qvæ etiam *Baronio, ib. n.* 56. *p.* 76. licèt sine autore certo prolata esse fateatur, haud tamen adeo videntur impossibilia, qvando Ismaëli à matre projecto Angelum adstitisse *Gen. XXI.* I. animô recolendum exhibet. Nos in rebus ejusmodi dubiis omnem potiùs fidem locamus penes autores. Sic ante citatus *Adrichomius, p.* 19. desertum hoc, in qvo delituerit Joannes, vocat *Qvarantanam*, inter Jerusalem & Jericho situm, qvod ab Anathot incipere & extendi supra Galgala usqve ad desertum Thecuæ & Engaddi juxta mare mortuum affirmat. *Büntingus, Itin. part.* II. *c.* VII. nominat *Adumim*, & caussam, cur huc secesserit Joannes, i-

itidem dicit tyrannidem Herodis. Adumim verò esse arcem, cujus meminit Josua c. XV. 7. XVIII. 17. tribus milliaribus à Jerusalem versus Orientem, non procul à Jordane in deserto, inter Jerusalem & Jericho; ubi & ipse Joannem in caverna qvadam educatum esse perhibet. *Adumim* autem nomen deserto huic fuisse autumat ex eo, qvòd *raptô & homicidiis maximè fuerit celebre*; ubi etiam homo ille, cujus meminit Salvator *Luc. X.* 30. *seq.* à latronibus exutus & ad animam fere cæsus sit: ut ita dicatur qvasi *locus sangvinarius*, ab Ebræo דם *sangvis*, vel, si mavis, qvod *Gregorio, Lex. Sanct. nu.* 1. *p.* 2. placet ab אדם *rubuit*, qvòd sangvine cæsorum terra prope rubuerit. Hoc desertum porro attingere ait hortum Engeddi, ubi *Eliam* & *Elisam* suas qvondam habuisse ferunt scholas; tum temporis autem *Essæos* ibidem docuisse. Unde à vero parum abesse judicat, qvod *Matthesius* refert, JOANNEM in *Essenorum* disciplina educatum esse: qvos itidem encomiô decorat valde insigni; precibus scilicet seriò vacâsse, svámqve labori operam sedulo impendisse, qvò ocium, satanæ pulvinar, vitarent; libros etiam legis omni diligentiâ legisse, totámqve vitam juxta eam instituisse: imprimis verò medicinæ studuisse, atqve hinc, autore *Pliniô*, hortum balsami prope Engeddi, penes Jordanem & Jericho (*Conf. Glass. Philol. S. lib.* IV. *Tract.* III. *Obser.* X. *p.* 957.) ubi nobile fluentum balsami, rosæqve odoris fragrantissimi, cum aliis medicinæ inservientibus herbis atqve floribus, incoluisse. Immò pro optimis eos, inter tres Judæorum sectas celebriores, & pietatis studiosissimos habet, ut hinc minùs dubitet; rectè prædicari de JOANNE, qvòd ipsis ætate primâ adhæserit, ab iisqve vitam *Nasiræô* dignam à juventute statim ducere didicerit; ut tamen suis postmodùm concionibus, haud

qva-

qvaqvàm caſſis, multos etiam ad Chriſtum duxerit. Et fatemur, viros non vulgaris eruditionis in hoc *Büntingo* non contradicere, qvin potiùs *Cl. Iſaacus Voſſius, Chronol. Sacr. c.* XVII. *p.* 166. idem his verbis confirmat: *Joannes Baptiſta qvin Eſſenus fuerit, qvî negari poſſit, non video. Cibi & veſtitus ſimplicitas, baptiſmus, odium contra Phariſæos & Sadducæos, clariſſimè evincunt, aut Eſſenum fuiſſe, aut ſaltem horum ſectam probâſſe.* De qvo ſi *Philonem* & *Joſephum* conſuleres, eô magis inducereris, ut *Voſſii* dictis fidem haberes. Hi enim ſcriptores nobiliſſimi & antiqviſſimi tantis eos extollunt laudibus, ut in Chriſtianorum qvoqve referre numerum facilè perſvaderi qveas. Qvorum proin inſtitutum, ſi allubeſcit, totum videre potes in peculiari, *de ESSENIS, Diſſertatione Philologico-Hiſtorica, ex hoc ipſo Typographeo ante biennium fere edita, in qva vicem Reſpondentis tum temporis Ipſe fungebar.*

§ III. *Robertus autem Montacutius, Epiſcopus Norwicenſis*, an iſti, *de Eſſenatu Joannis*, ſententiæ faveat, alii judicent: de ceteris enim qvæ ſentiat, verba ejus produnt. Scilicet hoc qvidem largitur *Baronio* & aliis idem aſſerentibus, eum, qvi intra altare & templum dicitur occiſus, fuiſſe *Zachariam, Joannis parentem*, idqve rationibus perqvàm multis conatur evincere *Appar.* x. *ad Orig. eccleſ. n.* 9. *ſeq. p.* 352. *ſeq.* Or. *Eccl. Tom.* I. *part.* I. *n.* 162. *ſeq. p.* 259. *ſeq.* qvamvis non propter occultatum filium, aut aſſertam Mariæ virginitatem, ut alii volunt, ſed propter juſtitiam h. e. muneris prophetici exſecutionem, hanc cædem à Judæis dicat factam; illas tamen narrationes de *Joanne per Herodem qvæſito ad cædem: de interemto, ob filium, Zacharia: de fuga & morte Eliſabetæ in ſpelunca deſerti, qvo fugerat, & Joannis an-*

gelica procuratione, aliísqve hujus commatis, fictiones & fabulosa nugamenta arbitratur *Orig. Eccl. Tom.* I. *part.* II. *n.* 36. *p.* 362 *it. Appar.* x. *n.* 25. *p.* 360. Dicit enim *Appar. cit. n.* 16. *p.* 355. *seq. Cur Joannes ad necem qværeretur: qvi non salutem fugâ qvæsivit? Non qvæsivit autem: qvippe non inclusus tyranni edicto, & id fatetur Baronius ipse: non includebatur autem, qvia nec in Bethlehem, nec in finibus ejus habitabat: ultra illos autem terminos edictum non extendebatur.* Mox subjungit: *Sciebant omnes, Joannem sacerdotali tribu ortum: Patre, matre, Leviticâ prosapiâ editis. Sciebant omnes, etiam Herodes, Christum Messiam, de Juda oriturum. Ridiculè Herodes Joannem ad necem qvæsivisset, metu regis nati, ortum de Levi: editum in lucem Hebrone: nisi & Hebronitas etiam infantes curâsset occidendos.* Notat verò *Orig. Tom.* I. *part.* II. *n.* 38. *p.* 364. *Adrichomium*, qvod *Joannem* adhuc puerum non juxta paternas ædes, sed longè remotiùs in deserto Judææ versatum ait: & in eo pœnitentiam prædicâsse. Cùm tamen alibi scriberet, illum moratum in deserto, qvod postea *Qvarentana*, *à qvadraginta dierum jejunio*, dictum sit. Sic falsum dicit *Appar.* x. *n.* 19. *p.* 358. qvod *Borchardus* habet *loc. cit. à Nebelescol sex leucis contra Jerusalem esse domum Zachariæ*, qvòd locus ille distare dicatur, ab eodem, tres leucas ab Hebrone. *Hebrone* igitur, qvæ distabat à Jerusalem passuum millibus circiter XX. ad meridiem, in urbe scilicet, non in agro circumjacente aliqvo, habitâsse dicit *Zachariam*; villas verò, vel agros, ad sacerdotes non spectâsse. In subseqventibus autem *Appar.* x. *n.* 23. *p.* 359. *Joannem* concludit natum *Hebrone* in montanis Judææ: educatum in *deserto* ad XXX. usqve ætatis annum; ministerium auspicatum in *eremo*, & inde descendisse in *campestria ad fluenta Jordanis.*

§. 4. Sed

§. IV. Sed ex eo, qvod dicit Euangelista *Luc.* 1. 80. *mansisse Joannem in deserto usqve ad diem ostensionis suæ ad Israël*, magna Pontificiorum caterva conatur evincere, *Joannem* in loco fuisse ἀοικήτῳ, vacuo incolis, & in qvo non nisi saxa, caudices & feræ fuerint, modò ut vitæ suæ monasticæ seu potiùs eremiticæ speciem qvamdam concilient. Vocem enim ἔρημος in scriptura non aliter, qvàm pro vero deserto & omnimoda solitudine sumi, aliqvi eorum non verentur magnô conatu asserere: qvi tamen qvam ingenti errent errore, ex dicendis patebit. Scilicet non negamus vocem hanc ἔρημος [cognatam Ebræo עירום *nudus*, *nuditas*, respectu analogiæ, qvam cum vastitate habet nuditas] significare sæpius ejusmodi locum solitarium, qvi planè est ἀνέργαστος & ἀκάνθρωπος, qvemadmodùm etiam *Svidæ*, *voc.* ἔρημος, *Tom.* 1. *p.* 1036. *edit. Græco-Lat.* dicitur μονωθεῖσα τῶν ἐνοικούντων γῆ, παρὰ τὴν ἔραν: aliis ἔρημος qvasi ἀπὸ τοῦ ἠρέμου, *qvietum*, *tranqvillum*, nempe per enallagen transpositionis literarum, ut qvidam loqvi amant: rursum aliis ab ἔραν μόνην ἔχειν, *terram solitariam habere*, i. e. *solitudinem esse*. Qvâ ratione etiam Ebræum מדבר accipi solet, ut locum sæpius planè solitarium designet. Qvô nempe significatu *Spanhemius*, *Part.* II. *Dub.* XCVII. *n.* 3. *p.* 655. itemqve *Dn. Geierus*, *Comm. in Psal.* XXIX 8. *Part.* 1. *p.* 479. & alii, Judæorum magistros globum terrenum distingvere, ajunt, in ים *mare*, ישוב *habitationem* & מדבר *desertum*. Semper autem vel Græcos vel Ebræos hunc rigorem vocis observare, strenuè inficiamur, & tam divina qvàm humana reclamat auctoritas. Qvàm varias enim in sacris *eremi* vox sortiatur acceptiones, viri eruditi dudum observârunt; qvarum etiam qvasdam annotavit *Flacius in*

Cla-

Clave Scripturæ S. Part. I. *p.* 210. *voc. desertum*, qvem, si vacat, vide. Heic verò vel unicam tetigisse sufficiet; qvando non modò certæ hominum habitationes, verùm etiam totæ civitates in מדבר *deserto* ponuntur. Sic domus Joabi fuisse dicitur *in deserto* 1. *Reg.* II. 34. itemqve sex civitates tribus Judæ cum villis suis *Jos.* XV. 61. Qvam etiam vocis hujus πολυσημίαν LXX. interpretes innuunt, qvando τὸ מדבר modò vertunt per ἔρημος, modò per γῆ ἄνυδρος, ἀγρὸς vel πεδίον, cujusmodi vocabula tantum abest, ut de locis maximè eremiticis & solitariis dicantur, ut potiùs minùs culta seu campestria, hortos item, planicies & viridaria indigitent. Non igitur abs re *Montacutius, Orig. Eccles. Tom.* I. *part.* II. *nu.* 36. *p.* 362. *conf. Apparat.* X. *n.* 24. *p.* 360. qvando *Sophronii* μυθολογήματα diluit, in hæc erumpit verba: *Scimus desertum in scripturis non unicum commemorari. Erant autem deserta plura, nulla autem solitudo juxta Jordanem, ut in illa fabula Sophroniana: sed solum scimus uberrimum, campos lætissimos, fruges omnimodas, loca freqventissima colonis & inqvilinis. Desertum erat Idumeæ dictum, ad meridianam plagam* 1. *Reg* XIX. 4. *&* *Ps.* LX. 10. *desertum Judæ in illa tribu; in aliis tribubus alia deserta. Erat desertum Thecoa, in qvo natus, educatus, pascebat cum pastoribus oves, Amos: desertum Engaddi, ubi David se cum sociis occultabat: desertum Ziph, cum qvo Maon & Carmel junguntur: Josuæ* XV. 24. *desertum Pharan, desertum Beth-aven, magnum desertum Jericho*, h. e. *ducens à Jericho ad Gazam, ubi obviam Eunucho ibat Philippus. Qvòd si per desertum intelligatur eremus, solitudo, mirum est, terram repromissionis tantâ ubertate & affluenti rerum copiâ commendatam, in qva tot ubiqve deserta invenirentur.* Nec multum abludit *Lightfootus, Hor. Ebr. in Matth.* III. I. *p.* 33.

p. 33. *confer. Centur. Chorogr. c.* XI. *p.* 23. 24. ridens Papicolas, qvòd ignorent ſenſum vocis ἐρήμου, qvam vulgari dialectô omnino ſonare dicit, ac ſi dictum eſſet: *Vitam ruri egit, non in urbe, agreſtiorem educationem ruri ſubiit, non Academicam aut aulicam Hieroſolymis.* Ibíqve annectit: *Eremi terræ Canaanitidos non erant oppidis aut urbibus vacuæ, nec illico erat ille eremita vocandus, qvi coleret eremum. Montanum Judææ* JOANNIS *natale ſolum vocatur à Talmudicis* הר המלך *montanum regale & à Pſalte*, Pſalm. LXXV. 7. מדבר הרים *montanum eremoſum: & tamen in montano regali erat myrias urbium.*

§. V. Nihilominus *Jo. Moldonatus, Comm. in Matth.* III. I. *p.* 63. 64. tanqvàm pro aris & focis pugnat, tale heic deſertum intelligi, qvòd planè ſolitarium & invium eſt; idqve patere ait ex *Jeſ.* XL. 3. inibi enim qvoad literam ſermonem eſſe de reductione populi è Babylone, & alludi ad exitum ejus ex Ægypto. Videlicet, qvemadmodùm olim DEUS Iſraëlitas per inviam ſolitudinem infinitis difficultatibus ſuperatis in Palæſtinam ſeu terram ſanctam intulit; ſic denuo promitti Judæis, Deum, per aſperas ac inacceſſas ſolitudines, populo ſuo viam conſtraturum, nec qvidqvam ei, qvô minus id faciat, impedimento futurum. Deſertum ergo, in qvo *Joannes* fuiſſe dicitur, reſpondere deſerto, de qvo *Jeſaias* loqvitur; Jeſaiam autem non de Helvetia, aut de Hercynia ſilva loqvi; ſed de aſpera ac inacceſſa penitus ſolitudine, in qvaſi etiam *Joannes*, non in paternis ædibus, habitaverit: & qvæ alia ibidem addit. Sed qvàm bellè heic ſe muniat *Maldonatus*, facilè videt, etiam qvi vix primis labris guſtavit Theologica. De qvibus tamen nobis hac in cathedra ſolicitis eſſe non convenit *Vid. omnino Spanhemium Part.* II. *Dub.* XCVII. *n.* 5. *p.* 957. *ſeqq. ubi hæc fuſiùs refutat.* Hoc tantùm

tum miramur, non observâsse *Maldonatum* ὁμοίωσιν sæpissime esse ἀνομοίωσιν; ut facilè sibi persvadere potuisset, hanc argumentationem, ut à simili desumtam, si non planè nihil, parum tamen stricturam suos adversarios. Neqve etiam apparet, ex qva commatis hujus voce ejusmodi solitudinem velit elicere: ex מדבר eam seqvi, jam supra rejecimus: ex ערבה verò an seqvatur, fortè etiam dubiô non carebit. Qvamvis enim hæc vox radicem agnoscat ערב, qvæ inter alios significatus notat etiam *advesperascere*, *obtenebrari*, *obscurari*; ut hinc indigitet locum, ubi nil nisi *vespera*, *perpetuæ tenebræ* & *obscuritas summa*, qvalis in multis esse solet desertis, qvæ propriô eapropter nomine qvibusdam dici consveverunt, *luci*, per ἀντίφρασιν, qvasi *minimè lucidi*, seu, *carentes luce*: nondum tamen qvidqvam exinde potest evincere. Tota enim fere scriptura vix sumit aliter, qvàm prout *campestria* significat; ut taceam, de *cæli sphæris* non raro etiam efferri. *Conf. Geier. Comm. in Ps.* LX. 5. *Part.* 1. *p.* 1314. *it. Lexic. min. Buxt. p. m.* 581. *seqq.* Unde qvoqve 2. *Sam.* XV. 28. literis transpositis, ut *Masorethæ* observant, cum præcedente מדבר constructum reperitur בעברות המדבר *in campestribus deserti*; qvod non malè vertit *B. Lutherus*: Auff dem blachen Felde in der Wüsten.

§. VI. Sed hisce non obstantibus *Stapletonus*, allegante *Spanhem. loc. cit.* ad confirmandam suam sententiam; versionem etiam Syriacam in subsidium vocat, in qva occurrit vox ܒܚܘܪܒܐ à radice ܚܪܒ, qvæ ipsi *desolare* & *destruere* propriè significat, qvemadmodùm *Ezech.* XXIX. 10. de Ægypto dicatur, illam futuram לחרבות חרב *in solitudines solitudinis*, i. e. *vastissimam solitudinem*. Qvam verò Syri ἐπιχείρησιν meritò frustraneam *Stapletono* æstumat *Spanhemius*

hemius, Part. II. *Dub.* XCVII. *n.* 7. *p.* 663. Ut enim nihil jam dicamus de loco Ezechielis, clarum est, hanc radicem respondere Ebræo חרב vel Arabico خرب, prout etiam *Martinus Trostius Lexic. Syriac. hâc rad. p.* 268. idem annotat. Ubi qvidem concedimus, vi radicis hujus τὸ ܚܘܪܒܐ, vel ipsi respondens חרבה aut خرب sæpius innuere ejusmodi desertum, qvod planè est desolatum seu solitarium; præter hunc verò non alium admittere significatum, vereor ut dicere ausit *Stapletonus*: repugnaret enim hôc modô non solùm Philologis accuratissimis, verùm ipsi etiam Veritati divinæ, qvæ nullibi non talia in Scripturis suppeditat loca, ubi hoc verbum significat *exsiccari* (*Vid. Gen.* IIX. 13. *Jes.* LI. 10. *conf. etiam Geier in Ps.* XXXII. 4. *Part.* I. *p.* 533.) *cæde vel gladiô desolari*, aut *aliô modô depopulari. Vid. Es.* LX. 12. *Jer.* L. 21. 27. *&c. conf. cit. Geier. in Ps.* IX. 7. *p.* 141. & his similia. Accedit insuper clarissimus Matthæi textus, qvi tantum abest, ut veram notet solitudinem, ut contrarium potiùs svadeat, cùm probabile vix sit, in ejusmodi loco prædicâsse *Joannem*, qvi planè fuerit desolatus & inaccessus; nisi arboribus & silvarum feris conciones edidisse eumdem dixerimus; qvod tamen nemo facilè, nisi qvi pepones habeat pro cerebro, ex ipsis etiam Pontificiis concedet. Qvandoqvidem igitur Judæam nobis Geographi exhibent, ut regionem qvamdam montosam, qvam Euangelista vocat ὀρεινὴν ab ὄρος, *monte*; & *Jesaias c.* XXII. 1. 5. גיא *vallem*, nempe *visionis*; eâdem ratione, ut observat *B. Glassius*, *Philol. S. lib.* IV. *tr.* III. *Obs.* VIII. *p. m.* 950. qvia *montosa* est; hinc nihil adest caussæ, cur, qvando heic mentio fit ἐρήμου vel *deserti*, talem intelligi pute-

putemus solitudinem, in qva *Joannes* solus & ab omni hominum conversatione relictus delituerit, qvalem Pontificii fingunt, eiqve adscribunt.

§. VII. Neqve verò sic uni semper adfixum eundem dicimus glebæ, sed longiùs interdum processisse, fluentáqve Jordanis propiùs accessisse, facem nobis præferente Scripturâ *Luc.* III. 3. asserimus. *Officium* enim ejus erat, teste eâdem Scripturâ, *prædicare Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*: hinc etiam ipse ad se venientes abluebat, nomen exinde adeptus *Baptistæ*, qvo sparsim apud Historicos, Ebræos etiam, claret. Ubi observare convenit, *Gorionidem edit. Venet. p.* 92. passivè de eo loqvi אשר נטבל *qvi Baptizatus est*, qvum potius, ut *Drusius, Præter. lib* I. *ad Matth.* III. I. *p.* 4. *&* 5. bene notat, debuisset dici הטובל ὁ βαπτιστὴς, aut ὁ βαπτίζων i. e. *baptizans*; vel *qvi baptizat* aut *baptizavit*; qvemadmodùm etiam in *Munsteri* editione *c.* XLVI. legitur אשר עשה טבילה qvi *fecit* vel *administravit baptismum*: qvæ verò periodus *à codice Ebræo Veneto & Ebræo Germanico* planè abest. Locum autem, ubi munus hoc baptizandi *Joannes* obierit, clara Scripturæ litera vocat *Jordanem*. In qvo & aliàs unanimiter Autores conveniunt. Dubium unicè parit *Euangelista Virgo Joan.* I. 28. qvi *Bethabaræ* eum πέραν τȣ̃ Ἰορδάνȣ baptizâsse refert. Scilicet cùm varia heic se offerat lectio, varias etiam vocula πέραν admittat explicationes, in diversas iri solet partes. *Vulgatus* enim, *Syrus* & *Arabs*, *Æthiops* item & *Persa*, nec non *Patres* qvidam, qvos inter *Hieronymus* est, pro *Bethabara* legunt *Bethania*. Qvomodo & *Nonnum Paraphras. in Euang. Joann.* in qvibusdam habere codicibus, Autores memorant, inter qvos utiqve *Heinsii* est editio, *Aristarcho* ejus *sacro* vestita

ſtita *excuſ. Lugdun. Batav. an.* 1627. Meum verò exemplar, qvod *Hedeneccius*, *Doctor Medicus* edidit *excuſ. Lipſiæ an.* 1604. *primùm verò Baſileæ edit. an.* 1571. favet *Bethabaræ*: ita nempe legitur:

Βηθαβάρης πέλε ταῦτα θεȣδέ@ ἔγγυς ἀρȣ-ρης.

Χεύματ@ ἀντιπέρηθεν Ιορδανίȣ ποταμοῖο

Cum qvo etiam *Nanſii* editio *excuſ. Lugdun. Batav. an.* 1589. congruit, niſi qvòd hæc pro Βηθαβάρης habeat Βηθαβαρᾶς & pro Ιορδανίȣ rectiùs legi putet, *not. ad h. l. p.* 11. Ιορδάνȣ, cùm & ipſi Latini penultimam vocis hujus producant. Antiqviorem verò lectionem eſſe, qvæ habet ἐν βηθανίᾳ, conjicit *Caſaubonus, not. ad h. l. p.* 413. qvam autem, ut ſpuriam rejiciunt modò laudatus *Nanſius*, *Joſephus* item *Scaliger, lib.* V. de *Emendat. Temp. p.* 153. *Sculteius, Exercit. Euang. lib.* I. *c.* XXXIV. *p.* 82. *Ludovicus de Dieu, Comment. ad h. l. p.* 403. & plures alii. Nec diſſidet ab his *Druſius, lib.* I. *Præterit. ad h. l. p.* 119. *it. Comm. prior. ad voces N. T. p.* 35. qvando alterutrum ſeqvi ait; aut duas fuiſſe Bethanias, aut heic legendum eſſe *Bethabara*, non *Bethania*: cùm hæc fuerit prope Hieroſolymam, ſtadiis fere qvindecim; Jordanis verò Jeroſolyma abfuerit, orientem versùs, itinere unius diei. Fuiſſe autem aliqvos (*inter hos referri poteſt Barradius & Adrichomius, in theatr. terræ Sanct.*) qvi aliam excogitaverint *Bethaniam* per א, eamdem ſcilicet cum *Bethabara*, qvaſi *domum panis dicas*; diſtinctam inde ab altera *Bethania*, per ע, ex multis licet colligere, & ipſo etiam *Beza, Comment. ad h. l. p.* 352. ſed qvi argutam potiùs,

 qvàm

qvàm solîdam hanc censet conjecturam. Immò etiam *Drusius*, *Præter. loc. cit.* se non intelligere fatetur, qvod qvidam scribunt בית אניא per א, qvasi *domum panis* dicas, cùm אניא non significet *panem*: adhæc in *Scriptura Syriaca* [adde & *Arabicam* atqve *Persicam*] sit בית עניא per ע, qvod aliud sonet. Ipse nempe vertit, *Annot. in N. T. Part. alter p.* 46. *domum ovium*, qvòd in ejus territorio loca essent multa pascendis ovibus. עאן enim & עניא *ovem* significare ait. Qvidam (*Gregor. Lexic. S. n.* 362. *p.* 363. *Pasor, Etym. nom. Proprior. p.* 11. *& alii*) verò interpretantur *domum pauperis* & *afflicti*, ab ענה, qvod alios inter significatus, etiam *affligere*, *depauperare* notat: & sic rectè qvoqve verti censet *Lud. de Dieu, Comment. in Matth.* XXI. 17. *p.* 92. si usus hujus vocis in Targum spectetur. Ibi enim עניא pro Ebræo עני *pauper*, *afflictus*, usurpari. At si usum spectemus Syriacum, verti posse, uti & ipse vertit, *domum occupati*, multis negotiis districti. Id enim Syris esse ܥܢܝܐ, emphaticè ܥܢܝܢܐ; nempe *anxium negotiis*, *occupatum in re qvapiam*, *solicitum*. Sicut & Ebræis ענין sit *occupatio*, *negotium*: *Fuerit ergo*, inqvit, *Bethania locus in monte Oliveti*, *ubi ex pressura olivarum maxima erat occupatio. Alias adhuc expositiones vid. apud Albertum Vogtium in Miscell. Biblic. Heptad.* IV. *Loc.* VI. *p.* 179. 180. Verùm palma manet penes *Bethabaram*, próqve ea satis feliciter pugnant Viri judiciosissimi, Patres item antiqvissimi. Instar omnium esse qveat Chrysostomus, *Homil.* XVII. *in Joan Tom.* II. *p.* 621. *edit. Savilii.* qvando ait: ὅσα γὰρ τῶν ἀντιγράφων ἀκριβέστερον ἔχει, ἐν Βηθαβαρᾷ φησιν. Ἡ γὰρ Βηθανία οὐχὶ πέραν τοῦ Ιορδάνου, οὐδὲ ἐπὶ τῆς ἐρήμου ἦν, ἀλλ' ἐγγὺς που τῶν Ἱεροσολύμων. h. e. ut in *Opere Latino*

Ho-

Homil. XVI. *Tom.* III. *p.* 31. *edit. Antverp. an.* 1614. vertitur; *Qvædam autem exemplaria veriora videntur, in qvibus* Bethabara *scriptum est.* Bethania *enim non trans* Jordanem, *neqve in deserto erat, sed non longè ab Hierosolymis.* Eadem prope verba *Theophylactus, Comm. in Joan. p.* 574. *edit. Paris. an.* 1635. habet: Χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι τὰ ἀκριβῆ τῶν ἀντιγράφων ἐν βηθαβαρᾶ ἔχει. Ἡ γὰρ Βηθανία οὐκ ἦν πέραν τοῦ Ἰορδάνου &c. Nec non scriptor vetus apud *Suidam, voc.* Βηθανία, *Tom.* I. *p.* 551. Βηθανία, πόλις παλαιστίνης, περὶ ἧς λέγει ὁ Ευαγγελιστὴς Ἰωάννης, ὅτι ταῦτα ἐν βηθανίᾳ ἐγένετο, ὅπερ ἐσφαλμένως γέγραπται· ἡ γὰρ Βηθανία ἔνθεν ἐστὶ τοῦ Ἰορδάνου. Ἡ δὲ βηθαβαρὰ ὅπου ἦν Ἰωάννης βαπτίζων πέραν ἐπὶ τοῦ Ἰορδάνου. Γραπτέον οὖν ὀρθῶς οὕτως· ὅτι ταῦτα ἐν βηθαβαρᾶ ἐγένετο, ἀλλ' οὐκ ἐν βηθανίᾳ. Ubi qvidem apparet, scriptores hosce nobilissimos potissimùm urgere voculam πέραν, eámqve ad *ulteriorem* tantùm, non verò *citeriorem*, adstringere limitem; prout de *Suidæ* loco res in propatulo est, utut forsan de mente *Theophylacti*, irémqve *Chrysostomi* adhuc possit ambigi; qvæ tamen si sola & non aliud eos moverit, ut lectionem ἐν βηθανίᾳ improbarent; meritò dubitat *Casaubonus, loc. alleg.* an caussa fuerit illis justa solicitandæ antiqvæ lectionis: cùm observare debuissent πέραν *ex Ebræorum idiotismo non semper ulteriorem ripam, sed simpliciter* τὴν παραποταμίαν *notare*, eodem modô, ut respondens ipsi עבר, qvemadmodùm Philologi dudum observârunt. Docebunt & monstrabunt id pluribus, si eos adire non pigraberis, *Beza, Annot. ad Matth.* IV. 15. *p.* 17. *ad Joann.* I. 28. *p.* 352. *&c. Dieu Animadv. in Matth.* IV. 15. *p.* 5. *it. in*

 Joann.

Joann. I. 28 *p.* 403. & noster *B. Glassius, Phil. S. lib.* III *sive Grammat. S. Tractat.* VI. *can.* X. *p.* 768. *seq.* unanimiter enim statuunt, עבר Ebræis, ܥܒܪܐ Syris, πέραν Hellenistis, qvemvis limitem designare, non *ulteriorem* tantùm, sed & *citeriorem*: ut, qvando *Matth.* IV. *ult.* πέραν τȣ̃ Ἰορδάνȣ Syrus interpretatur ܡܢ ܥܒܪܐ ܕܝܘܪܕܢܢ *à transitu Jordanis*, idem dicat esse *Dieu*, ac à *latere & limite Jordanis*. Qvô proinde expensô, & salvâ τȣ̃ πέραν per *cis* explicatione, dicit *Casaubonus*, JOANNEM hôc modô *prædicâsse in eremo Judææ propriè sic dictæ, cujus fines ultra Jordanem non pertinebant*. Immò litem adhuc esse sub judice, num *Bethabara* sit πέραν τȣ̃ Ἰορδάνȣ h. e. *ultra Jordanem*, ut vulgò interpretantur, non injustè cum eo qvis autumet. Extra verò dubium ponit laudatus *Glassius locô jam laudatô*, (*conf. etiam Ludov. Cappell. Spicileg. sup. Joan.* I. 28. *p.* 58. *Joseph. Scalig. lib.* VI. *de emend. Temp. p.* 553. *licèt hæc loca distingvat Dieu ad h. l. p.* 402.) non *ultra*, sed *cis* Jordanem esse sitam, idqve constare ex *Judic.* VII. 24. ubi ejus in tribu Ephraim fiat mentio, & sic cis Jordanem. Ut ita πέραν *citra* seu παραποταμίαν notet, etsi lectio altera, qvæ *Bethabara* habet, acceptetur. Dictam autem volunt hanc *Bethabaram* qvidam (*Beza l. c. Sculter. Exerc. Euang. lib.* I. *c.* XXXIV. *p.* 81. *Capellus, c. l. Pasor, etym. nom. Propr. p.* 11. *Gregorius, Lexic. S. n.* 26. *p.* 30 *n.* 61. *p.* 74. *Drusius, Part. alter. annot. in N. T. p.* 10. *&c.*) qvasi sit בית עברה *domus* vel *locus trajectûs*, aut *vadi*, qvòd nempe isthîc Jordanes navigiô trajiceretur: עברה enim ejusmodi scapham seu pontonem vocat *Cappellus*, qvô trajici solent flumina: inde etiam scribendum putat

putat βὴθ' Ἀ'βαρά. Alii verò ut *Josephus Scaliger, locô jam cit.* antiqvam lectionem retinent בית ברה, cui si, monente *Drusiô, Præter. lib* IV. *p.* 119. literam ה præponas, erit בית הברה, qvod Græci scribunt βηθαβαρᾶ, qvòd voces apud eos aut nunqvàm aut raró in medio adspirent. Qvi item, utra verior melíorve sit sententia, eruditis judicandum relinqvit. Sed anteqvàm *Bethabaram* deseramus, unicum adhuc circa eam aliqva dignum videbitur notâ. Videlicet idem ipse *Drusius,(loc. cit. Comment. poster. ad voces N. T. c.* XIII. *p.* 196. *Conf. & Comment. prior. p.* 35. *seq.*) locum citat *Epiphanii*, in qvo scriptum sit ἐν Βηθαμαρᾷ. Qvod tamen factum credit aut errore ex affinitate characterum nato, qvam tantam dicit in antiqva Scriptura, ut vix discerni possit μ à β: aut referendum esse ad ea nomina, qvæ has literas inter se permutant: qvalia vocat *Abana, Amana: Abidan, Amidan: Berodach, Merodach* & alia pauca. Hanc autem lectionem tenet Editio Græca Basileensis *edit. ann.* 1544. *lib.* II. *fol.* 189. qvamvis *Petavii* aliud ostendat. Habet enim hæc *lib.* II. *Tom.* I. *hæres.* LI. *Alogorum, n.* 13. *p.* 435. ταῦτα ἐν βηθαβαρᾷ ἐγένετο· ἐν ἄλλοις ἢ ἀντιγράφοις· ἐν βηθανίᾳ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Sic *Josephus, lib.* II. *de bell. Jud. c.* II *juxta Latin. & c.* VI. *juxta Græc. p.* 780. *edit. Genev. Græco-Lat.* recordatur loci cujusdam ad Jordanem siti, qvem βηθαραμάθον vocat. Dicit enim: Καταφλέγη ἢ καὶ πλησίον Ἰορδάνου βασίλεια κατὰ βηθάραμάθον (MSC. Busbeq. Lipsiense & Wratisl. βηθαραμάθου,) στασιασάντων ἑτέρων τινῶν ἐκ τῆς περαίας. Heic *Ludovicus Cappellus, loc. cit.* legendum suspicatur

Βηθαμάραθον & hoc pro Βηθαβάραθος ob affinitatem literarum β & μ. ut possit esse locus ille idem cum isto; nempe Βηθαβάραθος esse qveat ביתא ברתא & hoc idem cum בית־ברה, eò, qvòd utriúsqve situs πέραν Ἰορδάνου fuisse perhibeatur. Sed de firmitate hujus videat ipse *Cappellus*. Latinum sanè, ut vertit *Rufinus*, *Betharantes*, aut, ut habet codex Viennensis, *Bethorontas*, ipsi favere non videntur.

§. VIII. Et hæc de uno, qvæ Scriptura celebrat, baptismate Joannis nobilitato loco. E re jam erit alterum etiam, in qvantum chartæ angustia permittet, attingere. Dicitur hic *Joann.* III. 23. *Ænon*, [*Burchardus, Description. Terr. Sanct. p.* 309. *Tom.* VI. *Antiq. lect. Henrici Canisii, edit. Ingolstad.* 1604. vocat *Elorium*] qvod potiùs scribendum videtur *Drusio, Comment. prior. ad voc. N. T. p.* 10. *seqq.* *Ainon*. *Syrus* distinctè vocat ܥܝܢ ܝܘܢ; ita & *Arabs* عين نون unicâ mutatâ literâ. Illud qvidem exponi solet *oculus columbæ*: at hoc *oculus piscis*. Sed mendum esse ait *Scultetus*. (*Exercit. Euang. lib.* I. *c.* XXXIV. *p.* 83. *Vid. etiam Casaubon. ad annal. Baron. ann.* 31. *n.* 42. *Exerc.* XIII. *diatr.* XV. *p.* 250. *ex qvo hæc desumsit.*) in lectione Syriaca, eámqve vult eamdem esse ac Arabicam. Contra *Ludovicus de Dieu, Animadv. ad Joann.* III. 23. *p.* 413. fide, qvam habebat mappæ terræ sanctæ, ab ipsis Judæis Amstelodami editæ, Syro omnino assentiendum arbitratur, ejúsqve lectionem non veram modò, sed & rectissimam pronunciat. Immò probat etiam, qvòd *Junius* in notis ad versionem *Tremellii* verterit, *fons columbi*. Fontem enim fuisse in Ænon, indéqve nomen loco factum ipsi videtur. *Hieronymus in Loc. Ebraic. Tom.* III.

p. 416.

p. 416. de eo ita ſcribit : עינן *Ænon juxta Salim, ubi baptizabat Joannes, & oſtenditur nunc uſqve locus in octavo lapide Scythopoleos ad meridiem juxta Salim & Jordanem.* Locus verò hic an idem ſit ac *Ænon*, cujus itidem mentio eſt & apud *Hieronymum* & *Euſebium*, diſputatur, uno affirmativam, altero negativam tuente. Affirmativæ favet *Baronius ad ann.* 31. *n.* 42. in qvem invehitur *Caſaubonus, locô jam cit. p.* 249. *ſeq.* (*cujus verba etiam recenſet Scultetus loc. cit.*) rectène an minùs, eruditi cenſebunt, ſi eos audiverint. *Druſium, Part. alt. annot. in N. T. p.* 82. ſi qvis conſuluerit, docebitur hæc: *Enon ſive* αἰνὼν *& o in* α *versâ ex dialecto chaldaica* αἰνὰν *locus erat prope Jordanem:* Nec malè forſan hæc *Druſius:* qvem maximè juvat, qvòd *Ezechiel c.* XLIIX. 1. nunc vocat עינן, qvod anteà *c.* XLVII. 17. dixit עינון, ipsíqve LXX. verterunt αἰνὼν, qvæ loca eſſe eadem, ne Carneadem qvidem, qvi tamen de omnibus dubitare ſolitus ſit, negare poſſe, rectè autumat. Qvod autem locus hic ἐγγὺς τοῦ Σαλεὶμ fuiſſe dicitur, de eo itidem in partes abeunt Autores. *Druſius, Comment. prior. ad Voces N. T. p.* 151. ex Hieronymo, & *Dieu in Joan* III. 23. *p.* 414. ex mappa Judaica conſtare dicunt, Ebraicè ſcribi שלם, mutatum verò in formam Chaldaicam שלים ſive Syram ܫܠܝܡ. Terræ autem hôc nomine vocatæ mentio fit 1 *Sam.* IX. 4. in qva Saul aſinas patris qvæſivit, nec invenit. Cujus regionis oppidum *Junius* & *Tremellius* eſſe putant *Salim*, cujus hìc meminit *Joannes*, ſed, judice eodem *Druſiô, Part. alter annot. in N. T. p.* 82. 83. malè: & qvam ſententiam nec *Dieu, loc cit.* probat, qvod ibi ſit שעלים, qvod Senes reddant σεγαλὶμ & *Jonathan* vocet terram מתברא *Mathbera.* Inde *Hieronymum* præferunt,

 qvi

qvi sic dicit, *Tom:* III. *Epist.* CXXVI. *p.* 298. *Salem seu Salim urbs erat juxta Scythopolim* [Bethsan], *ubi olim ostendebatur palatium Melchisedec.* Qvam tamen opinionem explodit *Albertus Vogtius, Miscellan. Biblic. Heptad.* IV. *loc.* IV. §. 3. *p.* 168. & rationes, qvibus id probare adnitatur doctissimus Pater, dudum eversas ab aliis, affirmat. Annotat præterea *Adrichomius, fol.* 148. (*conf. Dn. Geier. Comm. in Psal.* LXXVI. 3. *Part.* I. *p.* 1550) *Jerusalem* circa A. M. 2023. tempore Abraami conditam esse à Melchisedeco, & *Salem* ab eodem; post autem, circa Davidis, eamdem occupantis & exornantis, tempora, *Jerusalem* appellatam. Ut ita qvoad unam partem sua *Hieronymo* esse qveat veritas; utut qvoad alteram vacillet. Ex qvibus proinde, utrúmqve hunc locum, in qvibus *Joannem* baptistæ officiô functum recenset Divina veritas, secus Jordanem fuisse, manifestum est.

§. IX. Gordius autem est nodus, gladióqve Herculis vix solubilis; unde *Jordanes* suum desumserit & ortum & appellationem, de qvo, saltim ὡς ἐν παρόδῳ, verba qvædam faciemus. *Petrus Kirstenius, Medicus & Philologus qvondam clarissimus, Not. in Arab. Euang. Matth. c.* III. 5. *p.* II. 12. etymon ejus ex Philologia petit, qvando nomen الاردن [ut apud Arabes, & omissô ال articulari apud Persas qvoqve scribitur] non ineptè deduci ait ab ار, qvod *ostende* significet, & ودني vel ودن qvod *appropinqvare* sonet; ut ita, juxta mentem ejus, الاردن *Jordan* esset idem ac *ostende appropinqvationem*; qvòd, ubi incipit Jordan, appropinqvent mutuò duo fluvii, qvorum alter ار i. e. *ostende*: alter verò دن i. e. *appropinqvare* vo-

cc-

cetur. Qvô dubio procul oculum intendit ad communiſſimam & Patrum & aliorum non de fece vulgi virorum opinionem, *Jordanem* ſuam tam originem, qvàm nomenclaturam ex duobus accepiſſe fontibus, *Jor* & *Dan*. Ita enim *Hieronymus*, *Comment. in Matth.* III. *lib.* III. *c.* XVI. *Tom.* VI. *p.* 33. Jordanes *oritur ad radices Libani & habet duos fontes, unum nomine* Jor *& alterum* Dan, *qvi ſimul mixti* Jordanis *nomen efficiunt.* Et alibi, *Qvæſt. in Geneſ. Tom.* III. *p.* 382. Dan *eſt Phœnicis oppidum, qvod nunc* Paneas *dicitur.* Dan *autem unus è fontibus eſt* Jordanis. *Nam & alter vocatur* Jor, *qvod interpretatur* ῥεῖθρον *qvod eſt* rivus. *Duobus ergo fontibus, qvi haud procul à ſe diſtant, in unum rivulum fœderatis* Jordanis *deinceps appellatur.* Sic & *Chryſoſtomus, Tom.* VII. *ſerm.* XLI. *in Jordan. fluv. p.* 345. *edit. Savilii.* Ὁ Ἰορδάνης παρὰ πάντας τοὺς ποταμοὺς δύο ῥίζας ἔχει πηγῶν· οὐ γὰρ ἀπὸ μιᾶς πηγῆς περιέρχεται ὁ Ἰορδάνης· ἔχει δὲ τὴν μὲν μίαν πηγὴν εἰς τὴν πανιάδα, τὴν δὲ ἄλλην πλησίον τοῦ πανιάδος. καὶ ἡ μὲν μία πηγὴ καλεῖται Ἰὸρ, ἡ δὲ ἄλλη Δάν. Nec *Suidas*, *Tom.* I. *p.* 1244. *edit. Græco-Lat.* abludit, qvando ita diſſerit: Ἰορδάνης ὁ ποταμὸς ἐκλήθη οὕτω διὰ τὸ συμμίγνυσθαι δύο ἅμα ποταμοὺς Ἰὸρ καὶ Δάνην. Ita etiam ex *Philoſtorgio*, *H. E. lib.* VII. *c.* III. refert *Jacobus Gothofredus*, *Diſſert.* ad *h. l. p.* 284. in Paneade alterum è duobus Jordanis fontibus oriri, qvi etiamnum *Dan* ſeu *Danites* à veteri nomine vocetur. Alterum verò eidem vocari *Jor* ſeu *Joraten*: & à priore 160. ferme ſtadiis ex eodem monte effundi, indéqve in planitiem lapſos junctóſqve *Jordanem* efficere, noménqve imponere. Alii contra unicô tantummodô fonte naſci putant hunc fluvium, illo qvidem

in loco; primùm *Dan*, deinde *Panium*, & postmodùm *Cæsarea Philippi*, qvòd ibi sit condita, dicto. In *Paneadis* autem nomen transiisse, cùm gentiles simulacrum *Panis* in ea posuissent, autor est *Philostorgius*, *c. l. p.* 89 *epitom. Photii* sed de cujus fide dubitat *Gothofredus*, *c. l p.* 183 cùm nemo veterum hanc ejus originem reddiderit. Et hanc sententiam ex modernis inprimis propugnat *Jo. Lightfootus*, *Collegii S. Catharinæ Cantabrigiæ Præfectus*, & qvi hunc seqvitur, *Jo. Christophorus Becmannus*, *Professor Francofurtanus*. Qvam item autoritate & testimoniô *Josephi*, *Talmudistarum* & *Plinii*, nec non ipsius, qvem modò laudavimus, *Hieronymi* confirmare satagunt. *Ille* qvidem *Cent. Chorogr. c.* LXVII *p.* 125 *seqq in Horis suis Hebraicis* primum adducit locum *Josephi de bello Jud. lib.* IV. *c.* I. *p.* 863. *edit. Genev.* ubi hæc habet: πηγαὶ, αἱ τ̃ μικρὸν καλȣ́μενον Ιορδάνην προσπέμπȣσι τῷ μεγάλῳ. agit enim ibidem de lacu *Samochonitide*, dicitqve *extendi ejus palustria ad Daphnen regionem, ut aliàs amœnam, ita fontes continentem, qvi Jordanem parvum immittunt in magnum.* Unde esse videtur *Lightfooto* prima origo duplicati apud Tabulas fontis, & duplicati rivi ad primos fontes. Dein, *p.* 126. alia adfert loca & ex *Josepho*, *Antiq. lib.* XV. *c.* XIII *it. de bell. lib.* I *c.* XVI. *&* *lib.* III. *c.* XXXV. & *Talmudicis*, *Bab. Bava Bathra fol.* 74. 2. *&* *Megill fol.* 6. I. itémqve *Plinio*, *N. H. lib.* V. *c.* XV. ubi fonti *Jordanis* assignatur *Panium* vel *Paneas*, nec nominatur alius. Tandem, *p.* 127. verò, Chorographorum expetens veniam, liberè loqvitur, qvæ sentit: I. *Non constare*, *ullum alium* Jordanis *rivum fluere in lacum* Samochonitiden, *præter istum, qvi oritur è* Paneade. II. *Jordanem majorem & minorem* dici, *non ratione duorum fontium*, aut *duo-*

duorum rivorum discretorum & distantium; sed *ratione distinctæ magnitudinis*. Orientem nempe è *Paneade Jordanem* vocari *parvum*, usqve dum flueret in *lacum Samochonitin*: postea verò à lacu isto exeuntem, cùm incrementum magnum ab ista palude obtinuisset, exinde vocatum esse *Jordanem majorem*. *Samochonitin proinde Jordanem parvum* recepisse, *magnum* emisisse. *Hic* verò, *in Historia Orbis terrarum tripartita recentissimè edita c.* III. *part.* IV. *n* 12. *p.* 54. *seq.* iisdem se munit argumentis, nisi qvòd *Hieronymum* etiam clarissimam etymo huic *Jordanis* affundere dicat lucem, scribentem *in locis Ebraic. Tom.* III. *p.* 418. Dan *viculus est qvartô à* Paneade *milliariô euntibus Tyrum, qvi usqve hodie sic vocatur Terminus Judææ Provinciæ, contra Septentriônem. De qvo &* Jordanis *flumen erumpens, à loco nomen sortitum est: Nomen* Jor *qvippe* ῥεῖθρον *i. e.* fluvium *seu* rivum *Ebræi vocant.* Ex qvo concludit Vir Cl. *si* Jor *fluvium significat, jam non fons Jordanis erit, & nomen proprium, sed appellativum. Ergo in loco* Dan *seu* Panio *aut* Paneade *fons Jordanis*. Non licebit jam inqvirere in mentem sanctissimi Patris, si qvis loca, qvæ ante ex eo citavimus, applicuerit huic, cui similem & alibi habet, qvando dicit *Comment. in Ezech. lib.* VII. *c.* XXVII. *Tom* IV. *p.* 414. *Ex nomine Patriarchæ* Dan *& tribus & locus, in qvo habitavit tribus, nomen accepit: ubi hodie* Paneas, *qvæ qvondam* Cæsarea Philippi *vocabatur. Unde &* Jordanis *fluvius sortitus est vocabulum:* Jor *videlicet rivus;* Dan, *qvi fluit de Libano.* Qvorumdam verò ex *Rabbinis* esse sententiam *Jordanem* dici, qvasi יורד מדן *labens* vel *descendens è Dan*, meminit *Buxtorfius, Lexic. Chald. Talmud. & Rabb. à Filio edit. col.* 981. A qvibus nec abit *Drusius, Comm. prior. ad voc. N. T. p.* 93. qvi, si non ex *Jor & Dan*, ut duobus fontibus ita dici conjicit *Jordanem*,

qvasi

qvasi *qvod è Dan descendat.* Ut eò respicere videatur *Bernaldus.Chronic lib* III *c.*IV *p.*239. qvando sic disserit: *Urbs* Dan *sita est in extrema sorte tribus Aser*, *post Sidonem ad montem Libanum*, *in agro Rohob Judic.* XIIX. 28 *Habet autem ager urbis* Dan *Jordanem de se manantem*, *ex qvo nonnulli fluminis Jordanis etymologiam petunt affirmantes*, Jordanem, *qvi est Ebraice* ירדן Jarden *sic dici qvasi*, יורד מדן Jored middan „ *labens & descendens ex Dan* Qvibus tamen, ut incongruè dici visis, subjicit: *Sed amnis* Jordanis *appellatio longè est antiqvior urbe* Dan. *Multis enim post Mosen annis urbs* Dan *fuit instaurata & nominata à Danitis* Proinde hoc incommodum præcavens *Nicolaus Abramus Jesuita in PharoV.T. lib.*II. *c* XVI *n.*74. *p.* 57. *seqq* alium & satis antiqvum ei adsignat ortum & nomenclaturam; Dicitur enim ipsi ירדן *Jarden* [ut Ebræi vocant], qvasi יאר ערן *fluvius Eden*, *fluvius locum voluptatis ac deliciarum interluens*: eumqve cum eo, qvi Paradisum irrigavit, & in qvatuor aqvas cardinales divisus est, eumdem esse, plures per paginas adstruit. Qvem videant eruditi, & crisin suam rationibus, qvas nectit multas, adhibeant. Nostram si licebit hac de re dubia prodere mentem, pace aliorum remur & conjicimus, non absurdè ab ערן appellationem ejus peti posse, si consideremus, ipsum non modò fluvium *Jordanem*, si fides est Autoribus, *Plin. H. N. lib.* V. *c.* XV. *fol.* 72. *edit. Basil. Solin in Polyhist. c.* XLVIII. miram præ se ferre svavitatem, & dulcorem eximium, alias ut virtutes silentii peplo involvam; verùm etiam regiones præterfluere amœnissimas & terram fœcundissimam, lacte & melle irriguam, atqve his abundantem *Exod.* III. 8. 17. ut delicias incolis & voluptates inde parari, totámqve adeo regionem istam omni deliciarum apparatu instructam dicere haud injustè potuerimus. Taceam, *Amosum c.* I. 5.

5. (*conf.* B. *Glaſſ Philol. S. lib.* IV. *Tract.* III. *Obſerv.* XI. *p.* 966 *in fin.*) laudare locum in Cœlo-Syria, ubi Damaſcus ſita eſt, *Eden* dictum, qvi tantum non diſtat à Libano, unde aliàs deducunt *Jordanem*; ut hinc petere ejus fontem vereamur. Non tamen abſurdos adeo cenſemus eos, qvi à *Dan* eum derivant, qvidqvid etiam falſi heic qværat *Beroaldus*. Nôſſe enim ipſum oportet, per πρόληψιν ſeu anticipationem ſæpius aliqvid memorari in ſcripturis. Exempla qvi deſiderat, adeat B. *Glaſſium loc. c. Obſerv.* x. *p.* 958. *ſeq.*

§. X. Et hæc ſunto, qvæ circa *Educationem* JOANNIS noſtri, ipſiúſque *officium* monere viſum fuit. Poſſemus eqvidem ſubjicere adhuc alia (*Vide ſis etiam Diſſertationem politam, de Adventu Eliæ, Excell. Dn. Friſchmuthii*) qvæ huic inſervirent materiei, & recenſere varias nomenclationes, qvibus eum donant: qvorum tamen qvaſdam jam tetigimus; alteras cathedrâ Theologicâ dignas judicamus. Unicam modò, coronidis vice, adjiciemus, qvâ honorificentiſſimè ejus meminerunt Alcoraniſtæ. Non enim ſolùm Prophetam eum magnum, ſed & Chriſti patruelem cenſent; eúmqve hôc ornant Epithetô, ut vocent حصور, qvod *cælibem, à muliere ſe continentem*, παρθενεύοντα notat, à verbo حصر cum Keſre in medio. *Confer Golii Lexic. Arab. Latin. p.* 619 Qvô ſignificatu, *ut notat Hotting. Hiſt. Orient. lib.* 1. *c.* III. *p.* 128. *Baidavi, Comm. in Alcor. Surat.* III. ſumit, qvando dicit:) حصور *Hazura* ſignificat eum, *qvi valde cuſtodit ſe & continet à cupiditatibus & luſibus* Ibiqve addit; *Refertur enim, eum* [JOANNEM] *in pueritia ſua qvoſdam prætetiiſſe pueros, qvi ad luſum ipſum vocârint; reſpondiſſe autem illum; NON SUM CREATUS AD LUSUM.* Ex qvo ſi non aliud, hoc

hoc saltim discimus; tantam fuisse JOANNIS autoritatem, ut inter obscurissimas etiam tenebras pro viro sanctissimo & verbum DEI verificante habitus sit, inqve majori prope æstimio, apud incredulos, qvàm ipse Salvator: ut, cùm *Matth.* XIV. 1. *Marc.* VI. 14. *Luc.* IX. 7. *seqq.* ad Herodis aures pervenissent miracula, qvæ edebat JESUS, *Joannem*, qvem antè occiderat, à mortuis resurrexisse crederet.

CAPUT III.

DE

Victu & Amictu

JOANNIS.

§. I.

MUlti qvidem multa de *Victu JOANNIS* pridem disseruêre, ut nos hâc operâ supersedere facilè possemus. Ne tamen videremur themati huic aliqvid detraxisse, libuit saltim qvædam gratâ brevitate producere, institutum si spectes, minimè ἀπροσδιόνυσα. Scilicet, ut in compendio dicam, tota hæc ejus σκληραγωγία considerari potest vel ἀρνητικῶς, vel θετικῶς. Statim enim, ubi annunciabatur ab Angelo, à deliciis eum arcebant verba hæc Luc. I. 15. Οἶνον καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ. Hinc dapes ipsi erant ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον

Erat

Erat aliàs unum è κριτηρίοις Nasiræatus (*Vid. Jo. Leusden. Philol. Ebr. mixt. Dissert.* XXII. *p.* 150. *it. Spicileg. Philol. Cent.* V. *c.* XXII. *sect.* VIII. *p.* 394. *Imprimiis autem peculiarem de Nasiræis Tractat. Talmud. Latinitate donatum à M. Jo Ulmanno, Argentor. c.* VI. *Mischna* I. *seqq.*) si qvis abstineret a *Sicera*; ut *Joannem* etiam huc referre hac propter non vereantur Autores. Unanimi autem Philologorum consensu per *Sicera* indigitatur omne id, qvod inebriandi vim habet; ut hinc Thaumasiander noster ubiqve ferè verterit: starck Geträncke. Sive enim spectes Ebræum שכר, sive Chaldaicum שכרא aut Syriacum ܫܟܪܐ, radicem habebis שכר *inebriatus est*; vel, ut ἐμφατικωτέρως exprimit Arabicum سكر, *ebrius fuit, æstuavit irâ, crapulâ affecit, ebrietate totum occupavit.* Unde etiam petit *Golius Lexic. Arab. lat. p.* 1191. (*Conf. etiam Edmundi Castelli Lexic. Polyglott. nuper edit. hâc rad. col.* 3755. *seq*) سكر & سكر *Sicera, potus inebrians, temetum, vinum dactylorum*; & qvod parem habet significatum, سكر, itemqve Persicum & Indicum شكر *saccharum*, cui procul dubio & Latinum suam debet originem, ut & Germanicum Zukker: deniqve etiam qvod noster hôc locô habet Metaphrastes مسكر *inebrians*, pro qvo Targum diceret מרוי *potus inebrians. Vid. Lexic. Buxt. Chald. Talmud. & Rab. col.* 2220. *it. Schindl. Lexic. Pentagl. rad.* שכר *col.* 1861. Æthiops aliâ voce appellat ሜስ፡ qvod ICt. πολύγλωττος, *Dn. Ludolfus, Lexic. Æthiop p.* 80. in *genere* notare ait *Siceram*, seu *potionem qvamvis inebriantem*, ut in nostro *Lucæ* loco & *Deut.*

XIV.

XIV. 26. in *specie* verò *hydromeli*, cujus in Æthiopia maximus, ob mellis copiam, sit usus. Talmudistæ interdum accipiunt pro vino, interdum ei contradistingvunt. Aliqvando autem(*Vid. Grot. Annot. ad Luc.* I. 15. *fol.* 603. *Drus. Part. alt. Annot. in N. T. p.* 64. *Buxt. Lexic. min p.* 809. *it. Lex. Talmud. col.* 787. *Heins. Aristarch. c.* V. *p.* 148. *&c.*) vertunt יין חי *vinum vivum*, i. e. purum, putum, non mixtum aut dilutum aqvâ, qvod Latini *merum*, Græci ἄκρατον dicerent. Aliqvando etiam vocant חמר עתיק *vinum vetus*, *temetum*, qvòd caput & cerebrum magìs turbet hoc, qvàm יין, qvô novum, cui hoc opponunt; intelligunt. Præthereà *Jo. Guilielmus Stuckius*, *Antiqvit. Conviv. lib.* III. *c.* IX. *p.* 321. *f edit. Tigur.* 1582. & ex eo *Laurentius Beyerlinck*, *Magn. Theatr. Vit. hum. Tom.* VI. *lib.* XIV. *p.* 558. *C. D.* notant, potum esse multis nationibus usitatum, qvi ex pomorum succo conficiatur, & *Sidra* vulgò, ab Ebræis *Secar* appelletur: cujus duo præcipua numerant genera: Unum, qvod ex piris fiat, & à Normannis *du poire* vulgò, à Græcis ἄπιον sive ἀπίτης, Latinè *piraticum* appelletur: Alterum, qvod ex pomis conficiatur, & Galli vulgò *du cydre* vocent. Utrúmqve verò genus à Germanis dici Hochbaumer & Bärlymost, [vel Apffelmost, Birnmost] h. e. *potum arboreum* seu *piraceum*. Magis autem propriè notari volunt hâc voce *omnes potiones è fructibus expressas*, qvarum eadem fere sit svavitas atqve illecebra, qvæ vini. *Conf. Hieronym. Epist. ad Nepotian. Tom.* I. *fol.* 6. *Flac. Clav. Script. S. Part.* I. *fol.* 1134. *Ravanell. Part.* II. *hâc voc. fol.* 1093. *a Geier. Comm. in Ps.* LXIX. 13. *p.* 1391. *It. Aretius Comm. in Luc.* I. *Loc.* II. *fol.* 533. *&c.* Addunt enim: *Apud Orientales certè hodie tam ex dactylis palmarum*,

rum, qvàm ex aliis fructibus, ſvaviſſimi, delicatiſſimiqve potus conficiuntur. Qvibus maximè ſubſcribunt recentiores, qvi noſtrò etiam ſeculò ibidem locorum potu iſtiuſmodi gulæ ſuæ indulſerunt. Qvare etiam *Sculteto, Exerc. Euang. lib.* I. *c.* XVI. *p* 45. *Sicera* omnium μεθυσκὸν ὂν eſt *genus*; vinum & omnis alius potus inebrians, *ſpecies*. Unde & diagramma facit tale: *Sicera* eſt vel *ſimplex*, expreſſa I. ex *uvis*, unde *vinum* propriè dictum. 2. *fructibus arborum, ſucco pomorum, pirorum, palmarum*, Apffel-wein, Birn-wein. Vel *compoſita* ex I. *melle & aqva*, ὑδρόμελι, Metre. 2. *melle & vino* οἰνόμελι. 3. *frugibus terrarum*; *frumento, tritico, hordeo & aqva*, reſpondens veteri Gallorum & noſtrati *cereviſiæ*.

§. II. Edulia verò Joannis qvi deſiderat, habebit; ut jam innuimus; ἀκρίδας καὶ μέλι ἄγριον. *Matth.* III. 4. *Marc.* I. 6. Opiparum convivium. Sed an monachi noſtri, qvi tamen totum præ ſe ferre geſtiunt *Joannem*, tantas inde ſibi parare qveant corporis craſſities, velim experiantur. Hærent autem Autores, qvid ἀκρίδες iſtæ fuerint. Hinc variæ circumferuntur ſententiæ. (*Vid Toſtat. Part.* I. *in Matth.* III. *qvæſt.* XXV. *fol.* 121. *Spanhem, Part.* II. *Dub.* XCIX. *n.* 2. *p.* 673. & *imprimis Stuck. Antiq. Conv. lib.* II. *c.* IX *f.* 166. *it. Bunting, in Vit. Jo. Baptiſt. fol.* 15. 16. *Chytræus, Comm. in Matth.* III. *p.* 80. 81. *Camerar. in h. l p.* 25. *edit. Lipſ.* 1572. *Chemnit. Harm. Euang. c.* XVI. *p.* 307. *edit. Lyſer. Chriſtoph. Pelarg. Qvæſt. Eu* III. *in Matth.* III. *p.* 49. *a.* Alii interpretantur ἀκρέμονας ſeu ἀκρέμονας βοτανῶν ἢ φυτῶν h. e. *ramuſculos ſeu extremitates arborum & plantarum*; qvibus melle confectis *Joannes* uſus ſit in cibo, ut *Perottus* explicat. Hinc *Nicephorus, H. E. lib.* I. *c.* XIII. *p.* 79. ἄκροις δρυῶν πρὸς ἀποτροφὴν χρώμενος: & *Iſidorus Peluſiota, lib.*

1. *epist.* CXXXII. *ad Timoth. Lector. p.* 40. *edit. Paris.* 1638. *conf. ep.* V. *p.* 2. αἱ ἀκρίδες, αἷς Ἰωάννης ἐτρέφετο, οὐ ζῶά εἰσιν, ὥς τινες οἴονται ἀμαθῶς, κανθάροις ἀπεοικότα. Μὴ γένοιτο. ἀλλ' ἀκρέμονες βοτανῶν ἢ φυτῶν. Verùm ἀμαθῶς hanc opinionem destruxerunt eruditi (*Vid. Stuck. c. l. Kirsten. not. ad Euang. Arab.* Matth. *c.* III. 4. *fol.* II. *Casaub. Exerc* XIII. *Diatr.* 7. *p.* 220. 221. *Scult. c. l. c.* XV. *p.* 42. *s. Georg Calixt. Concord. lib.* II. *c.* I. *p.* 71. 72. *& alii.*) aliud enim esse ἄκρις, ἀκρὶς, & aliud ἀκρὶς ἀκρίδος, myops sit, qvi non videat. Alii verò, ut notat *Theophylactus in Matth.* III. *fol.* 36. ἀκρίδας has volunt esse herbas, qvas μέλαγρα adpellant. Unde & *Abulensis, loc. cit.* observat, prodidisse *Borchardum in descriptione Terræ sanctæ*, in Palæstinæ Cœnobiis, qvæ vicina sunt Jordani, herbas se edisse sæpius, qvas ibi monachi *locustas* appellaverint, iisqve dixerint vesci solitum *Joannem.* Aliis sunt ἀκρόδρυα seu ὀπῶραι ἄγριαι, i. e. *arborum gemmæ* aut *fœtus, vel silvestrium fructuum cibi*, qvemadmodùm Autores explicare solent. Qvo pertinent & illi, qvi ἀκρίδας istas cum ἀχράσι, i. e. *piris silvestribus* confundunt. Qvæ tamen opiniones omnes à viris doctis meritò rejiciuntur. Sic *Epiphanius contra Ebionitas, hæres.* XXX. memorat, fuisse qvosdam ex Judæis, qvi pro ἀκρίδες corruptè legerint ἐγκρίδες, qvas ipse, ut & *Eustathius, Iliad.* ε. *fol.* 1188. explicat πεμμάτια ἑψόμενα ἐν ἐλαίῳ εἶτα μελιτόμενα, h. e. *bellaria oleô cocta & melle condita.* Qvos verò sermonem veritatis hôc modô convertere in mendacium rectè dicit. Verior ergo indaganda est sententia. Hanc *Centuriatores, cent.* I. *lib.* I. *c.* X. *col.* 364. *s.* putant esse eam, qvæ ἀκρίδας hasce exponit *sqvillas, pisces* vel *cancros* seu *cammaros*, abjectos à piscatoribus, ut immun-

mundos ſecundum legem; qvaſi legendum ſit καρίδας h. e. καρᾶνας, qvos *Plinius*, *N. H. lib.* IX. *c.* XXX. vocat *locuſtas aqvatiles*, *Büntingus*, *Itin. Scr. S. p.* 130. explicat Heuſchrekken, die im Waſſer leben, und eine Art der Krebſe geweſen iſt. A vero item non planè abiiſſe putat *Scultetus*, *Exerc. Eu. lib.* I. *c.* XV. *p.* 43. eos, qvi per ἀκρίδας, intellexerunt cancros. Tales enim & ipſe hôc locô concipit locuſtas, qvæ inſtar cancrorum oblongorum, non qvidem in aqvis, ſed in terra repſerint, cùm alatæ non fuerint, & hujus etiam generis locuſtam ſe annô 1617. Baſileæ apud CL. Medicum, *D. Thomam Platerum* vidiſſe ait. Forſan autem non ineptè *Camerarius, in Matt.* III. *p.* 26. judicat, iſtis tam anxiè exqviſitis nihil opus videri, cùm, qvod & *Euſtathius*, *in Hom. Odyſſ.* θ. *fol.* 303. in ſuum retulit Commentarium, fuerint populi aliqvando, qvi, qvòd locuſtis veſcerentur, ἀκριδοφάγοι appellati fuêre, ſicut, qvi piſcibus, ἰχθυοφάγοι. Unde alii (*Conf. Martin. Chemn. Harm. Euang. lib.* I. *c.* XVI *p.* 307. *recogn. à Polyc. Lyſero.*) licèt abſurdum adeò non ducant, Joanni in cibum fuiſſe cancros, tamen, ut vocabuli ſignificatio id præbeat, maximè verentur. Cancri, ut etiam annotat incomparabilis Criticus atque polyhiſtor, *Thomas Reineſius*, *Variar. Lect. lib.* II. *c.* VIII. *p.* 193. dicuntur καρίδες, & ſqvillæ ſunt à locuſtario genere diverſæ. Magis ergo accedunt veritati, qvi ordinariam vocis ἀκρίδων ſignificationem heic retinent, nec, ut *Spanhemius*, *Part.* II. *Dub.* XCIX. *n.* 3. *p.* 674. loqvitur, locuſtas non neceſſariâ metamorphoſei in novam ſpeciem mutant, ſed intelligunt animal ex inſectorum genere ab *uredine locorum* ſic dictum. Has vero tales non fuiſſe cen-

ſet *Büntingus*, *in Vita S. Jo. Baptiſt. fol.* 16. qvales apud nos in gramine ſaltant; ſed volucres qvadrupedes, qvi interdum per aëra volitârint, interdum in terris repſerint vel ſaltitârint; omnémqve ex roſis, odore totam opplentibus regionem Hierichunticam; dulcedinem ſuxerint, atqve aliis palato minimè ingratis herbis ac oleribus, floribus item jucundiſſimis in horto balſami penes Jordanem victitaverint. Præter autem memoratum *Euſtathium*, ingens adhuc Autorum ſe offert numerus, qvi, haſce edules fuiſſe locuſtas, multis probant. Singulos adferre non vacat, qvos etiam ne charta qvidem omnes caperet. Magnam eorum ſeriem inveniet, qvi adire non pigrabitur *Abulenſem*, *Part.* I. *ſup. Matth.* III. *qvæſt* XXV. *col.* 121. *Laurentium Beyerlinck*, *Syntagm. Cathol. Tom.* I. *lib.* I. *col.* 207. *Caſaubonum*, *Exerc.* XIII. *Diatr.* VII. *ad ann. Baron. p.* 219. *ſ. Druſium*, *Præter lib.* I. *p.* 5. *It. Annot. in N. T. Part* II. *p.* 8. *Kirſtenium*, *Not. in Arab. Euang. Matth. p.* II. *Martinium*, *Lexic. Philog. voc* Locuſta. *Spanhemium*, *loc. cit. Stuckium*, *Antiq. Conviv. lib.* II. *c.* IX. *fol.* 165. *ſ.* & alios, qvorum mentionem paullò antè fecimus. Et ne ceterorum proferam verba, *Kirſtenius* ex ore præceptoris ſui Arabici refert, eum affirmâſſe, ſe circa Jordanem ſæpius fuiſſe & illic locuſtas comediſſe. Ubi annectit: *Petebam, ut exponeret hiſtoriam animalis, & modum præparandi hunc cibum in deſerto. Narravit, Locuſtas illas eſſe ejuſdem ſpeciei cum noſtris, ſed majores; nam pro regionum diverſitate variant. In Indiis enim ſunt ingentis magnitudinis; has autem circa Jordanem, dicebat, eſſe mediocris magnitudinis, inſtar avium noſtrarum montanarum, qvas ſilveſtres vocare ſolemus. Modum præparandi talem ſignificabat. Captis locuſtis alæ & pedes abripiuntur, reliqvum corpus collô*

ſuſ-

ſuſpenditur, Soliqve illic locorum ſatis ferventi per aliqvod temporis ſpacium exponitur. Ubi incaluerint à ſole probè, ebulliunt qvaſi & intumeſcunt; ubi ſatis intumuerint & ſpumeſcere incipiunt, ſufficienter præparatæ ſunt, cibum enim exhibent ſvaviſſimum. In Africa vero, aliísqve locis ad ignem coqvi & aſſari ajebat. Et ſane *Claudius* qvoqve *Ælianus*, *de Animalium natura, lib.* XII. *c.* VI. *p.* 697. *edit. Lugdun.* 1616. memorat, ſe vidiſſe, qvi connexas cicadas [animalculum affine locuſtis] ad cibum venderent hominibus, homines. Ut ita nodum qværere in ſcirpo ridiculum ſit.

§. III. Sed neqve hic cibus Judæis fuit lege prohibitus. Recenſet enim Höttingerus, *Jur. Ebr. leg.* CLI. *p.* 207. ex *Barzelonita* ſuo, qvomodo ſignis exploraverint locuſtas, qvæ eſſent mundæ aut immundæ, indéqve ex Rabbinis octo mundarum producit ſpecies: I. vocatur חגב, qvam alii *cicadam*, alii *bruchum* vertunt. II. רבנית ſpecies *Chagab*, III. חרגול *cantharus* juxta qvosdam. IV. עיצרכיא ſpecies *Chargol.* V. ארבה vulgo *locuſta.* VI. צפורת כרמים *avis vinearum*, ſpecies *Arbeh* VII. סלעם *bombyx.* IIX. יוחנא ירושלמית *Juhanna Jeroſolymitana*, ſpecies *Solham.* Et harum I. III. V. & VII. ſpecies ſunt notiſſimæ, & in ipſis etiam literis ſacris, *Levit.* XI. 22. (*conf. Stuck. c. l. fol.* 167. *f. it. Martin. Lexic. Philol. voce* Locuſta) uſitatæ; ceteræ adeo freqventer non occurrunt. Cùm verò illæ non minùs ſint obſcuræ, qvàm hæ, ut etiam in noſtram vertere vernaculam dubitaverit *B. Lutherus*, ſed retinuerit voces Ebræas, Arbe, Selaam, Hargol und Hagab: hinc nominum horum rationes variè perqvirunt Grammatici. Qvid autem ſit & unde dicatur חגב, Chaldæis חגבא, non omnino patere ajunt. *Vid. Stuck. c. l.* Verti verò ſolet à LXX. ἀττέλεβος, vel, ut aliis placet, ἀττέλαβος, ab ἄττω

ſubſilio, qvoniam parvas pennas habens ſubſilit potius qvàm volat *Vid. Mart. Lexic. voc.* Attelabus. חרגל Chaldæis חרגלא, vetus interpres vertit ὀφιόμαχον, & eſt juxta qvoſdam (*Vid. Mart. voc.* Ophiomachus) genus volucris, aut lacertæ pugnantis cum ſerpentibus. Sed *Stuckius loc. cit.* mavult cum *Kimchio* referre ad genus locuſtæ. Qvo procul dubiô pertinet locus *Ariſtotelis, lib.* IX. *ἱϛορίας c.* VI *p.* 1049. *edit. Aurel.* 1607. qvi dicit: πολλοὶ δὲ καὶ τὴν ἀκρίδα ἑωράκασιν, ὅτι, ὅταν μάχηται τοῖς ὄφεσι, λαμβάνεται τοῦ τραχήλου τοῦ ὄφεων. Tertia ſpecies ארבה dicitur ipſis *à multitudine*, רבה enim *augeſcere* ſeu *multiplicare* ſignificat, qvod agminatim & turmatim aggregentur. Hoc genus *Stuckius*, *loc. alleg.* in Ægyptios agros tempeſtate Moſis *Exod.* x. 12. divinô judiciô orientali ventô immiſſum ait. Chaldæis dicitur גובא *ab altitudine*, vel, ut alii volunt, itidem *à collectione*: גבב enim *collegit*, *congregavit*, notat. Græcè reddiderunt alicubi ἀκρίς, ſecundùm qvoſdam (*Conf. Spanhem. loc. antè alleg. p.* 674.) παρὰ τὸ τὰ ἄκρα τῶν ἀϛαχύων καὶ δένδρων νέμεσθαι: alibi βροῦχος, ſecundùm qvoſdam (*Vid. Stuck. c. l. conf. Mart. Lexic. voc.* Bruchus) qvaſi βραχὺς i. e. *brevis*, qvòd potiſſimùm recens natæ & pennarum adhuc expertes hâc voce indigitari ſoleant locuſtæ: vel παρὰ τὸ βρύκειν, qvod, ut & βρύχειν & βρυκᾶν, qvibus affine & noſtrum freſſen, *edere*, *conſumere*, *devorare* ſignificat, qvòd fructus radicitus conſumant. Ut benè etiam hinc petere poſſis agricolarum vocabulum brachen, qvando primâ operâ aratrô findunt terram, ſeu agrum proſcindunt, den Acker brachen: item, brechen, *frangere*, *confringere*, nec non *fricare*. Alibi etiam exponi ſolet ἀττέλαβος *à ſubſiliendo*, ut antè innuimus. Qvartam tandem ex notiſſimis ſpeciem, nempè

סלעם

סלעם, ita Ebraicè dici putat ſæpiùs laudatus *Stuckius ibid. loc.* qvòd aſcendat & ſaliat ſuper rupes & ſilices. Nam סלע Latinè *ſilicem* , *ſaxum* ſeu *rupem* ſignificat. Chaldæis & Rabbinis eſt רשון (*Vid. etiam Lex. Chald. Talm. & Rabb. Buxt. hâc voc. col.* 2293.) LXX. ἀττάκος , item ἀττάκης (*Conf. Mart. Lex. voc.* Attacus) ab ἄττω *ſalio*. Qvare non abs re notavit multum nominatus *Martinius* (*voc. Locuſta*) Hiſpanis dici *Lagoſta*, *Langoſta* , & Gallis *ſautereu* & *ſauterelle* , qvaſi *ſaltatrix* : ait enim *ſaulter* & eliſò l *ſauter* eſt *ſaltare* ? Italis *cavalleto*, qvaſi parvus *caballus*. eqvulus, & in Saxonia alicubi Springperdeken, qvaſi *eqvulus ſaltans*. Hinc *Magiſter ſubtilitatum Scalig. Exer.* CXCII. *n.* 1. *p. m.* 626. *Saliunt tamen, idqve adeo, ut ab Italis* caballettæ, *à Gallis* ſaltatrices *meruerint appellari*. Belgis Springhäne, Sprinckäver. Anglis Graſshopper, qvòd *in gramine ſaltent* : & noſtris deniqve Germanis Heuſchrekken, qvòd *in fœno ſaltitent* , ab antiqvo vocabulo ſchrikken, *ſubſilire*, item *paſſum facere*. Et qvæ ſunt alia , in qvibus Philologus delectatur.

§ IV. De *Melle* itidem, ut dicitur, *ſilveſtri* non minores ſententiarum ſunt diverſitates, qvid ſit. Solet autem potiſſimùm duplex conſtitui: ὡραῖον , qvod apes in alveolis conficiant ; & ἐρεικαῖον, qvod ſpargant in ericis, in Heiden , kleinen Gebüſch : vel ut *Büntingus in Vit. S. Jo. Baptiſtæ fol.* 16. explicat: das die Immen im Herbſt machen aus einem Kräutlein, das die Græci Erice [ἐρείκη] nennen, welches unſer Rosmarien an der Blumen und Geſtalt nicht ungleich ſeyn ſoll. Id cùm ſaporis ſit aliqvantò injucundi; plerumqve dici, ait, *mel ſilveſtre* ; qvod tamen *Joanni* tribuere indignum putat. De neutro etiam horum loqvi Euangeliſtas cenſet *Scultetus*, *l. c. c.* XV. *p.* 42. ſed δροσόμελι intel-

telligit, qvod singularem fuisse refert in illis Syriæ locis circa Libanum mellis speciem, & *rorem mellis* appellat; eò, qvòd, sicut ros, in arbores defluat, & posteà coagulatus seu duratus aliqvantulum in grumos, pellibus excipiatur, colligatúrqve. Tale item *Chytræus*, *Comment. in Matth.* III. *p.* 81. concipit, & *Büntingus*, *loc. cit.* ex eo flores & olera Palæstinæ saporem nacta dicit mellifluum atqve jucundissimum; indéqve armentis ibidem pascua fuisse miræ dulcedinis & amœnissima, ut ipsum etiam lac dulcore tali abundaverit, ipsáqve hinc Terra sancta in sacris adepta sit encomium, qvòd lacte & melle irrigua fuerit. Idem verò fuisse putat, qvod Jonathan 1. *Sam.* XIV. 27. in deserto non procul à Jordane inter Michmas & Ajalon gustavit, & vocatur ibidem הדבש יערת *silva mellis*, ut *Ludovicus Cappellus*, *Spicileg. in c.* III. *Matth. v.* 4. *p.* 7. qvi Büntingum heic seqvitur, transfert, h. e. *mel silvestre*, μέλι ἄγριον; *favus* enim *mellis* ab aliis reddi solet. Annectit etiam *Scultetus*, rem esse valde bonam, instar generosissimi sacchari: hodiéqve inde Venetias, & Venetiis in alia loca devehi. In Myropoliis autem vocari *Manna*. Qvod maximè quoqve accedit menti *Suidæ*, vel qvicumqve est vetus ille scriptor, qvando *voc.* ἀκρὶς *Tom.* 1. *col.* 143. *edit. Græco-Lat.* μέλι hoc ἄγριον dicit ἀπὸ δένδρων ἐπισυναγόμενον, μάννα τοῖς πολλοῖς προσαγορεύεσθαι. Sed & in Media mel stillare ex arboribus, & in Thraica ex plantis fieri, autor est *Ælianus*, *de nat. animal. lib.* V. *c.* XLII. *p.* 320. *f.* Beda, *in Matth.* III. *f.* 19 opinatur, fuisse folia arborum miræ dulcedinis. De vero autem intelligi posse melle, qvod in silva ab apibus fuerit congestum, conjicit *Stukius*, *Antiq. Conv. lib.* 1. *c.* XXI. *fol.* 56. *b.* *Isidorus Pelusiota*, *lib.* 1. *ep.* V. *f.* 2.

&

& ep. CXXXII. *f.* 40. mavult dicere *montanum*, indéqve refutat, qvi *herbam* per id intelligunt, qvando ait: ὅτε ἡ πόα τίς ἐςι τὸ μέλι ἄγριον. ἀλλὰ μέλι ὄρειον ὑπὸ μελιασσῶν ἀγρίων γινόμενον, πικρότατον ὄν, καὶ πάσῃ γεύσει πολέμιον. Cujusmodi apes & mel dari, itidem non negat *Stuckius*, *c. l. Conf. Ælian. c. l. Beyerlinck. Tom.* V. *lib.* XI. *fol.* 397. Nam & *Flacius, Clav. Scr. S. Part.* 1. *fol.* 636. suô testatur exemplô, qvòd mel tale expertus sit insipidum, quod in solitudine fuerit congestum, qvale etiam *Joanni* adscribit. Ast forsan non malè *Spanhemius, l. c. n.* 7. *p.* 678. (*conf. Bochart. t.* II. *hieroz. f.* 516. *seqq. ubi adhuc plura*) observat, omne id dici mel *silvestre* seu ἄγριον, qvod etiam agreste est, & extra alvearia vel è florum calycibus, vel ex arborum truncis destillat. Ut nondum quidqvam sit caussæ, cur Pontificiis eremum, seu solitudinem inhospitam, ubi *JOANNES* vixerit, concedamus. Immò Syrus etiam interpres tali utitur vocabulô, qvod generale est & vocat *mel*, qvô usus est *Joannes*, ܕܒܫܐ ܕܒܪܐ *mel agri*, vel *campi*, non *silvæ* tantùm. Qvod idem & Æthiopicum ወዐረ፡ገዳም፡ innuit; nec, si accuratè perpendas, Arabicum (*Vid. Gol. Lexic. Arab. Latin. f.* 244.) عسل البر aliud vult. Ut hisce collatis versionibus facilè ex textu possit colligi, qvale Euangelista μέλι intelligat, tale scilicet, qvod hinc inde apes vel in agris, vel aliis locis silvestribus confecerunt.

§. V. *Amictum* verò ejus qvod attinet, describitur ab Euangelista *Matth.* III. 4. *Conf. Marc.* I. 6. ita: εἶχε γὰρ τὸ ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ. Sed qvale fuerit hoc ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλου, non-

dum conveniunt autores. Aliqvi, qvibus *Schindlerum* annumerat *Scultetus*, *Exercit. Euang. lib.* I. *c.* XVII. *p.* 46. undulatam h. e. ad undarum ſimilitudinem pictam, adeóqve nitidam hìc concipiunt veſtem, ex tali ſcilicet confectam panno, qvem Hiſpanicè inde vocant *Camelota*, Italicè *Zambeloto*; & Germanicè Schamlot. qvô etiam tenuioris fortunæ homines fuiſſe veſtitos recenſere eumdem aſſerit. Alii contra, qvibus item annumerare potes *Ludovicum de Dieu*, *Comment. in Marc.* I. 6. *p.* 153. *ſ.* intelligunt unius cameli pellem piloſam, ſive crudam & impexam, cui Joannem involvunt, eumqve, ut pictores imprimis ſolent, in Faunum & Satyrum mutant. Verùm utramqve hanc ſententiam citatus rejicit *Scultetus*, *p.* 46. 47. *Conf. Spanhem. Part.* II. *Dub.* XCVIII. *n.* 2. *p.* 665. *ſ. Dan. Heinſ. Ariſtarch. c.* V. *p.* 141. *ſ.* Qvamvis ſi ſatis ſe explicuiſſet, *Schindleri* utiqve aliqvem inveniret locum. Non enim multum ab eo diverſum ſentit *Chytræus*, *loc. cit. p.* 80. (*conf. Bünting. l. c. f.* 15.) dicens: *Veſtis Joannis erat contexta ex pilis cameli, ſimilis ei, qvam hodie vulgo à camelis vocamus Kamelot, vel Schamlot.* Qvi tamen ita ſe expedit: *Non fuit ſordida veſtis, neqve etiam valde pretioſa, ſed mediocris & κόσμιος & in iis locis εὔπορισος.* Qvapropter & *Martinus Chemnitius*, *l. c. p.* 306. laudat *Stapulenſem*, qvòd refert, Palæſtinæ populos ſolitos eſſe pilos camelinos nere, & inde veſtimenta texere. Id qvod de caprarum pilis manifeſtè conſtare ait. (*Vid. Exod.* XXV. 4. XXVI. 7. XXXVI. 14. *Conf. B. Glaſſ. Philol. lib.* III. *tr.* I. *can.* 39. *n.* 6. *p.* 490.) Motus autem verbis *Stapulenſis* exiſtimat, *Joannem* propter peculiare vitæ inſtitutum paullulum à vulgari loci illius veſtitu diſceſſiſſe, & durius genus elegiſſe, ut Nazaræus eſſet, h. e. ſeparatus ipſo etiam veſtitu à reliqvis incolis.

colis. Hinc, cùm incolæ in locis desertis vestitu uterentur duriori, ex pellibus videlicet ovilibus & caprinis, (*Vid. Ebr.* XI. 37.) qvem Græci vocârunt μηλωτὴν 1. *Reg.* XIX. 19. *&* 2 *Reg.* II. 8. durius adhuc Baptistam habuisse censet vestimentum καμηλωτὴν, qvod non ex *pelle* sed *pilis* [attestante Euangelistâ] *cameli* constiterit. Ut sine caussa Syrum Metaphrasten carpat *Dieu, loc. cit.* qvod singulare καμήλȣ mutârit in plurale ܓܡ̈ܠܐ; qvemadmodùm & *Beza* vertit: *indutus erat pilis camelorum.* Qvâ ratione in Græco esse possit Enallage numeri, qvas freqventes esse in sacris literis, ipsum *Dieu* procul dubio non latuerit.

§. VI. *Zona* deniqve JOANNIS qvæ fuerit, adhuc disqvirendum restat. Has multis in usu & magni æstimii fuisse gentibus, constat. Ut *Stuckius, Antiq. Conv. lib.* II. *c.* XIX. *f.* 232. *b.* de iis tale ferat judicium: *Ornamento esse viris pariter atqve fœminis cingula, qvis dubitet, cùm corpora bene cincta discinctis longè speciosiora atqve pulchriora appareant?* Hinc variarum etiam rerum fuisse symbola, pluribus docent passim Autores. *Vid. eumd. Stuck. c. l. Zonam solvere* qvondam dicebantur novæ nuptæ, cùm non nisi virgines cingulô ex lana ovis confectô cinctæ procederent, qvod vir in honorem Junonis, Deæ Virginalis, *Cinxia* eapropter dictæ, primâ nocte sponsæ accubans, autore *Festô*, in lecto solvebat. Sed & alii hanc zonæ solutionem *symbolum puerperii* æstimant; unde primò parientes *zonam* olim dicebantur *solvere*, & levatæ partu eam Dianæ Λυσιζώνῳ seu *Solvizoniæ* dicabant. Ut hodienum etiam *discingere* (Germanicè usitatâ voce, entbinden) dicamus Deum prægnantes, qvando illas gravi illo uteri onere liberat. Sed hæc impræsentiarum scire adeo non atti-

tinet. Sacerdotum potiùs & Prophetarum *Zonas* tangere heic juvat. Has pretiosas interdum fuisse, ex auro nempe, hyacintho, purpura, cocco & bysso confectas, docet divina scripturæ litera. *Exod.* XXXIX. 5. *&c.* interdum etiam tantùm ex lino, vel pelliceas, ut fuit *Eliæ*, 2. *Reg.* 1. 8. & nostri *Joannis*, qvam Euangelistæ *l. c.* vocant ζώνην δερματίνην. Qvæ qvalis fuerit, *Camerarius*, *l. c. p.* 25. ita explicat: Δέρμα *est cutis seu pellis detracta animanti. Ut cingulum illud lora fuisse intelligi posse videatur.* Syrus ζώνην vertit ܐܣܪܐ ܕܚܨܐ *cingulum lumborum*, ad indicandum, interprete *Dieu in Matth.* III. 3. *p.* 4. Græcam vocem non qvodvis cingulum, sed qvô lumbi cinguntur, significare, qvod Ebræi אבנט *balteum* vocant. Qvare *Heinsius*, *Aristarch. c.* V. *p.* 141. *s.* rectè refutat eos, qvi μηλωτὴν Eliæ cùm ζώνῃ hac δερματίνῃ confundunt, qvos, licèt Criticos, heic tamen ἀκριβῶς judicare, collatis Scripturæ locis 2. *Reg.* 1. 8. *& c.* II 8. & 13. manifestè patere dicit.

CAPUT IV.

DE

Morte & Cultu

JOANNIS.

§. I.

VIx per sesqviannum (*Vid. Lightfoot. Hor. Ebr. in Matth.* XIV. 10. *p.* 183.) vel, juxta alios (*Vid. Bün-*

Bünting. vit. Joan. Baptist. f. 28) menses qvatuordecim, publicè docuerat JOANNES, cùm vita ejus perclitari cœpit. Qvum enim præco esset justitiæ, & ulli blandiri aut veritatem dissimulare nescius; in carcerem erat conjiciendus, prætextu qvidem propter turbam discipulorum (*Vid. Joseph. A. J. lib.* XVIII. *c.* VII. *f.* 626) qvæ ipsi qvotidie affluebat, qvasi suspecta esset Herodi, & seditionem populi inde timeret; re verò propter Herodiadem, (*Vid. Marc.* VI. 17. *Luc.* III. 19. 20. *Conf. Adrichom. in vit. Christi, f.* 262. *Bünting. l. c. f.* 19. *Scalig. de Emend. Temp. lib.* VI. *f.* 552. & 555. & *alios)* Philippi, prænomine item Herodis *Josepho, l. c.* & *Cedreno, Comp. Hist. Tom.* I. *p.* 183. dicti, fratris sui uxorem, Herodis M. ex Aristobulo neptem, Aristobuli verò ex Bernice filiam; qvam, repudiatâ regis Arabum, Arethæ, filiâ, qva cum quindecim ultra annos (*Vid. Bünting. l. c. f.* 28.) in matrimonio jam vixerat, in sui allexerat amorem, & incestum cum ea committebat. Qvod ansam dabat *Joanni*, graviùs in eum animadvertendi. Ubi qvidem addit *Büntingus, f.* 29. Herodem primùm simulâsse pœnitentiam, ex aula nihilominus *Joannem*, in qva tempus aliqvod vixerat, dimisisse, & brevi post tempore Machærunta ipsum ultra Jordanem in vincula misisse, in qvibus etiam ita se gessisse dicitur, ut ne ullis qvidem, istam ob contumeliam, conviciis aut calumniis Herodem sugillaverit; qvô adeò admiratione fuit ductus, ut, referente eodem *Büntingô, f.* 30. æqvanimitatem ejus magni æstimans, sæpius eundem visitârit, ejúsqve concionibus aurem præbuerit. Ubi sanè, ut facilè possumus hariolari, majori œstrô percita Herodias, omnia dira *Joanni* imprècata fuerit, verita ne istiusmodi concionibus Herodes ad frugem meliorem redigeretur.

tur. Nec fortè intermiſerit die noctúqve moliri aſtus, qvò hunc, qvi grandis ipſi erat in oculo ſudes, eradicaret, qvæ tamen de cauſſa juſta meritò deſperare potuiſſet. Verùm, qvod ait Poëta *Ovid. Metam.* I. *verſ.* 190. *ſ.*

- - - - Immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur:

ipſa potiùs hæc furibunda Mœnas, ut rectiſſimè audit *Nicephoro, H. E. lib.* I. *c.* XIX. *f.* 88. invertebat ita:

Integritatis amans & mens cupidiſſima juſti
Enſe recidenda eſt, ne pars corrupta trahatur.

Natalem enim Herodes celebrabat *Matth.* XIV. 6. *Marc.* VI. 21. in hoc ipſo loco, ut habet *Büntingus, l. c. f.* 36. ubi captivus tenebatur Baptiſta, in arce videlicet Machærüntica, menſe Martiô, vel, ut *Beda, in Marc.* VI. & *Lightfootus, l. c.* (*Conf. Baron. ad ann.* 33. *n.* I.) explicant, paullò ante Paſcha, annô ſui regni XIII. *Vid. Cedren. l. c. f.* 184. Tiberii undevigeſimô, *Id. f.* 188. Heic cœnam fuiſſe paratam, memorat *Marcus*, τοῖς χιλιάρχοις, καὶ τοῖς πρώτοις τῆς Γαλιλαίας, cui ipſa etiam cum filia, qvam *Salomen* vocant Hiſtorici, (*Vid. Joſeph. l. c. & Cedren. f.* 183.) intererat. Gaudiis non modò omnia erant ſuffuſa, nihílqve non tentabatur, qvod incitamento eſſe poterat hoſpitibus, ut exporrigerent frontem; ſed & totus amabat conventus omnem hôc die Herodi exhibere reverentiam. Honori ejus, ſed, eheu! JOANNIS exitio Salome, aurô gemmíſqve micans, choreas pedibus plaudebat, precium inde adepta hoſpitibus qvidem ſpectatu triſte atqve crudele; matri verò ſaltatricis

cis acceptiſſimum, *Niceph, l. c.* Juramentô enim cùm ſe obſtrinxiſſet Herodes, fore ut acciperet, qvæcumqve, dimidium licèt regni, peteret; à matre ſubornata donum poſtulat caput ſanctiſſimi JOANNIS in diſco repræſentandum. *Conf. Juſtin. Martyr. Dialog. cum Tryphon, Jud. f.* 208. Sed licèt pœnitentiam ſimularet ſtipulator, vi tamen præſtiti juramenti id etiam putabat faciendum, quod facere aliàs pro ſummo haberetur piaculo. Strictô enſe adſtat ſpeculator, uti Græcis etiam vocis hujus elementis Euangeliſtæ *Marc.* VI. 27. vocatur, & *Joannem*, qvi per integrum jam annum & menſes tres, ut *Büntingus*, *l. c. f.* 30. obſervat, vel, juxta *Lightfootum*, *l. c.* per ſesqviannum carcerem erat paſſus, decollare jubetur. Tantum qvippe ignobile hoc crudelis leonis germen, ut *Iſidorus*, *lib.* IV. *ep.* XCVI. *f* 462. bene vocat Herodem, ob unicam meretriculam non veritum eſt audere facinus, ut ei etiam id ipſi Ebræi (*Vid. Gorionid. l. ſupra cit. It. R. Dav. Gans in Zemach. David*, *p.* 89. *edit. Vorſt.*) exprobrent; & rectè de juramento ejus dicat *Procopius*, *in Reg. lib.* II. *c.* XV. *p.* 138. *edit. Meurſii*, *exc. Lugdun. Bat.* 1620. Τίς γὰρ οὐκ ἂν τὴν ἀλήθειαν τὴν Ἡρώδου κατηγορήσειεν, ἐπὶ φόνῳ γενομένην τοῦ Βαπτιστοῦ; ἐπεὶ γὰρ ὤμοσεν ὡς οὐκ ἔδει, τὸ ψεῦδος αἱρετώτερον τῆς σφαγῆς. Epicedia verò *Joanni* canunt Hiſtorici. *Joſephus* enim, *Ant. Jud. lib.* XVIII *c.* VII. *f.* 626. (*Conf. Euſeb. Pamph. H. E. lib.* I. *c.* XI. *f.* 29. *Niceph. lib.* I. *H. E. c.* XX. *f.* 91.) ejus de morte verba faciens, iſto eum decorat encomiô: Κτείνει γὰρ τοῦτον Ἡρώδης, ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ τοῖς Ἰουδαίοις [Cod. Busb. τοὺς Ἰουδαίους] κελεύοντα ἀρετὴν ἐπασκοῦσιν [Busb. ἐπασκοῦντας] καὶ τὰ πρὸς ἀλλήλους δικαιοσύνῃ, καὶ πρὸς τὸν Θεὸν εὐσεβείᾳ χρωμένοις βαπτισμῷ συνιέναι. Amputatum autem

ca-

caput cruore tabidô & pulvere resperſum & lanci impoſitum in convivium omni luxuriæ genere adfluens Herodem inferri juſſiſſe refert *Nicephorus* *l. c. c.* XIX. *f.* 88. ibíqve fuiſſe datum puellæ ſaltatrici, *Adrichomius*, *in vit. Chriſti ad ann.* 33. *f.* 265. *Conf fol.* 29. qvi item ſubjungit, decollationem iſtam contigiſſe d. XXV. Martii, nondum expletô ætatis ejus annô XXXIII. celebrari verò nobis d. XXIX. Auguſti, qvòd eo die caput hoc venerandum in Edeſſa civitate inventum ſit. *Conf. Vincent. T.* IV. *Specul. Major. S. Hiſtor. lib.* VII. *c.* XXII. *f.* 77. *a. edit. Venet.* 1591.

§. II. Et hæc JOANNIS cataſtrophe adeo nota eſt, ut eam nec ipſi Muhammedani negent, ſed ſuo etiam Corano hanc hiſtoriam inſeruerint; niſi qvòd, ut moris eſt apud eos, in eo turpiter hallucinentur, qvòd ineptè eumdem cum Elia, adeóqve totam illius temporis hiſtoriam cum iſta confundant. *Keſſæi, in vit. Patr. p.* 132. *ſeqq.* verba, prolixa licèt, non tamen huc adſcribere pigrabimur. Suô verò idiomate Arabicô notavit *Höttingerus, Hiſtor. Oriental. lib.* I. *c.* III. *p.* 145. (al. 96.) *ſ.* cujus latinâ verſione hoc in loco contenti erimus. Sonant autem ita: *Mortuo Zachariæ ſucceſſit Jahja filius, regnante Achabô & Azbile, cujus manus non tantùm ſangvine Prophetarum & juſtorum madebat, ſed & Veneris mancipium erat. Septem illa habebat viros, qvos rex omnes oppugnabat. Ipſa verò ſpecioſa admodùm abſentis aut bello occupati regis vices ſuſcipiebat; in bellum nonnunqvàm prodibat & in omnibus fere negotiis principis alicujus perſonam agebat Jahja interim graviter eam reprehendit, exprobratâ ipſi tyrannicâ Prophetarum, maritorum & juſtorum laniênâ: Illa autem irâ efferveſcens in carcerem illum compingit.* Idem *Hötting. p.* 146 (al. 97.) *Qvodam verò die præſentes ſe ſiſtebant captivi, qvos inter vidit adoleſcentem*

tem formoſum ex filiis regiis, qvem herus ejus obſidis locô habebat. Illa verò accenſa in ipſum amore, in mandatis dedit δεσμοφύλακι, ut honorem ei deferret, ſumptus ſuppeditaret & habitaculum amplum adſignaret. Ipſe qvoqve noctu ad eam ingreſſus, cum eadem pernoctavit, manè verò in carcerem rediit. Qvô cognitô Jahja hortatus eſt juvenem, eúmqve officii monuit. Ille verò cùm hoc ei dixiſſet, ſtatim detulit famam ejus Azbili, (Jezabeli) *qvæ commota cogitare cœpit Jahia* (Johannem) *occidere: metuit enim, ne ſecretum ejus proderet. Cúmqve maritus ejus ex itinere rediret, eqvum conſcendit, ſecúmqve filiam, qvæ natu maxima inter liberos ejus* (Achabi) *erat, aſſumſit; qvam pater ejus rex impendiò diligebat.* Ipſa autem ſagax *cùm eſſet, ad patrem in itinere faciem prius non convertit,* (aut *avertit*, utrúmqve enim vox arabica notat) *qvàm ei rex Agab* (Achab) *dixiſſet:* O *filia, merita es hodie donum à Patre tuô, qvòd egreſſa in occurſum adventum ejus honorâſti. Pete igitur à me, qvicqvid volueris: Neqve enim qvidqvam à me petes, qvod non ſim tibi indulturus. Dixit, ô parens, nullius rei ſum indiga: optem autem te mihi concedere captivos. Poſteaqvàm autem in hos illi poteſtatem dediſſet, egreſſi illi ſe ſtiterunt præſentes. Cùm verò Jahja* (Johannes) *tranſiret, eum Azbil in amplo cratere mactare* (propriè *ſacrificare*) *juſſit: mactârunt autem eum ſicut ovis mactatur.* Hactenus *Keſſæus*, qvem poſteà etiam addere dicit *Höttingerus*, *filiam caput Joannis ſangvinem ſemper ſtillans, in patina patri obtuliſſe, eíqve dixiſſe, donum ſe vel hoſtiam ei nunc offerre, qvalis hactenus regi nulli obtigerit. Cúmqve rogâſſet, qvid igitur haberet? reſpondiſſe? Hic Jahja eſt filius Zachariæ. Tum Regem dixiſſe: perdidiſti patrem tuum, matrem tuam & populum tuum, &c.* Tandem eumdem ait concludere, *Joannis ſangvinem à rege ſe-*

 pul-

pultum ita ebullii∫∫e, ut ædes regiæ & loca vicina eô redundârint. e. q. ſ.

§. III. Sed ne qvid prætereamus, monitu & hoc videtur neceſſarium, non omnino convenire inter Autores de loco incluſionis aut decollationis *Joannis*. *Joannes* enim *Phocas*, *Compend. loc. deſcript. n.* 12. συμμικτ. *Allatii*, *lib.* I. *p.* 16. *à Nihuſ. edit. Colon. Agripp.* 1653. Sebaſtæ eum, in carcerem ſubterraneum, in qvem viginti gradibus deſcendatur, conjectum, capitéqve imminutum ait. Qvod autem falſum reputat *Burchardus*, *p.* 308. *Antiq lect. Caniſii*. cùm nihil omnino poteſtatis habuerit Herodes in Samaria, ut qvæ in procuratione Pilati fuerit. Inde fide Chronicorum & Joſephi probabilius cenſet, in caſtro Machærunte eum eſſe decollatum. Ait enim *Joſephus*, *Antiq. Jud lib.* XVIII. *c.* VII. *f.* 627. (*Conf. Euſeb. H. E. lib.* I. *c.* XI. *f.* 30.) expreſſis verbis: καὶ ὁ μὲν ὑποψίᾳ τῇ Ἡρώδου δέσμιος εἰς (τὸν) Μαχαιροῦντα πεμφθεὶς (τὸ προειρημένον φρούριον) ταύτῃ κτίννυται, Et hinc etiam qvæſtio ſolet ventilari de corpore defuncti Joannis, ubi ſepultum fuerit. *Machærunte* enim qvidam (*Vid. Buno in not. ad Introd. Geogr. Ph. Cluver. lib.* V. *c.* XX. *n.* 4. *p.* 592.) inter Eliſæum & Abdiam Prophetas ſcribunt tumulatum: alii ex adverſo *Sebaſtæ* ſeu *Samariæ* hos ipſos inter Prophetas monumentum ejus oſtendi produnt, qvod etiam ſe vidiſſe, qvamvis non intraverit, prædicat *Burchardus*, *l. c.* Pari modô *Vincentius*, *l. c.* memorat, *Joannem* qvidem in caſtello Arabiæ, Machærunte dicto, vinctum & truncatum; corpus verò Sebaſtæ in urbe Palæſtinæ ſepultum: caput autem in Hieruſalem humatum eſſe juxta Herodis habitaculum. Et ſi fides eſt *Nicephoro*, *l. c. f.* 89. (*Conf. Sozom. H. E. lib.* VII. *c.*

XXI.

XXI. *Vincent. l. c.*) utiqve alius tumuli locus fuit capiti, alius trunco. Refert enim, Herodiadem Joannis reprehensionem qvodammodò etiam post capitis resectionem esse veritam, conjungeréqve id rursus reliqvo corpori timuisse; verùm apud se remotis arbitris, in abstrusiore regiæ loco sepeliendum duxisse: truncum ipsum aliò abjici jussisse. Furtim autem hunc sublatum ejus discipulos solenni cum veneratione in celebri qvodam sepelisse loco, subjicit. *Büntingus, l c. f.* 42 hoc ejus cadaver humatum conjicit ad arcem Machærunticam, qvinqve milliaribus ab Hierusalem in monte excelso Peræ ultra Jordanem versus austrum sitam, in regione peramœna, atqve vinetis pulcerrimis, hortísqve aromatariis conspicua: cujusmodi in locis aliàs Judæi sepelire consveverunt mortuos, qvò memores suæ essent mortalitatis & resurrectionis. Sed qvando constanter adeo affirmant Historici, Sebastæ repertas fuisse reliqvias Joannis, nihil detrahitur veritatis antecedentibus, cùm non obstet, alibi priùs à discipulis humatum fuisse corpus Magistri sui, ab aliis autem postmodùm Sebasten sive Samariam translatum, uti nec ipsi id negant Historici (*Vid. Baron. in ann.* 33. *n* 4 *Casaub. ad h. l. Baron. Exerc.* XV. *Diatr.* II. *p.* 303. *Compend. Hist. Eccl. Gothan. lib.* II. *c.* II. *sect.* II. *n.* 17. *p.* 90. *& alios.* Disertis enim *Buntingus* etiam fatetur verbis, *l. c. f* 43. ossa Baptistæ longa post tempora à Christianis esse refossa, & Machærunte ultra sex milliaria Sebasten translata, ibidémqve honestè humo supposita.

§. IV. Qvàm magna verò in veneratione in antiqva Ecclesia fuerit & hodienum sit hoc *Joannis* sepulcrum, vel ex eo patet, qvòd à peregrinis qvoqve visitari, ejúsqve reliqviæ piè & religiosè coli consveverint, ut hinc in superstitionem etiam a-

bierint. Sic notat *Hieronymus*, *Epist.* XVII. *ad Marcellam*, *T.* 1 *p.* 45. Paullam & Eustochium in Svasoria ad Marcellam, nobilissimam feminam, *ut commigret Bethlehem*, inter bona Palæstinæ numerare, qvòd liceat Samariæ *Joannis* Baptistæ cineres adorare. A Barbaris úsqve ad Julianum apostatam intactum fuisse sanctissimi viri hujus bustum, ferunt. Ejus autem tempore, annô videlicet imperii, ut *Cedrenus*, *l. c. f.* 305. habet, secundô, ossa Joannis sparsisse dicuntur gentiles, invidentes miraculis, qvæ fiebant ad hoc ejus monumentum, & rursus collecta & cremata latiùs sparsisse, pulverémqve ventilatum fuisse, ut *Ruffinus*, *H. E. lib.* II. *c.* XXVIII *Theodoretus*, *lib.* III. *c.* VI. *Sozomenus*, *lib* VII. *c.* XXI. & ex iis *Vincentius*, *l. c. & lib.* XVII. *c.* LX. *f.* 230. annotant. Sed DEI providentiâ factum, subjiciunt, qvosdam de Hierosolymis ex monasterio Philippi, orationis caussâ per idem tempus venisse: hos, cùm tantum nefas humanis qvidem manibus, sed ferinâ mente fieri viderent, mori gratius habuisse: qvàm hujuscemodi piaculô funestari, indéqve inter eos, qvi ossa ad exurendum legerent, mistos, diligentiùs, in qvantum res pateretur, ac religiosiùs congregantes furtim se vel stupentibus vel insanientibus subtraxisse & ad religiosum Patrem Philippum venerandas reliqvias pertulisse: qvi suprà se esse dixerit tantum thesaurum servare: inde ad Athanasium, maximum tunc Alexandriæ Episcopum, ea miserit. Qvod tamen, ut maximè dubium, in medio meritò relinqvimus. Pari modô Cl. *Buno*, *in not. ad Introd. Geograph. Cluv. lib.* VI. *c.* II. *n.* 4. *p.* 624. si memorat, ad urbem Heliopolin (in Ægypto sitam, & in sacris On, nunc Bethsemes, Arabibus Bahalbeth dictam & ab Israëlitis; cùm in Ægypto essent, conditam) duo esse Templa, in qvibus

bus S. Joannis Baptistæ conserventur reliqviæ, aureâ capsâ inclusæ: qvas singulis annis, inspectante magnâ hominum multitudine, hoc edere dici miraculum: Qvum reliqviæ illæ in flumen conjiciuntur, aqvam ipsam contrariô cursu adscendere, modò in unum, modò in alterum templum. Ut hinc ille dies tam Muhamedanis, qvàm Christianis solennis sit.

§. V. Fabulam etiam primô statim intuitu redolent, qvæ de inventione capitis ejus ex supra dictis Historicis narrat idem *Vincentius*, *l c.* his verbis: *Caput revelatum est duobus monachis, qvi caussâ orationis in Hierosolymam venerunt, qvibus in visione angelica dictum est: Ite ad palatium Herodis qvondam principis, & ubi fumum è terra adscendere videritis, ibi caput Joannis Baptistæ invenietis. Qvi ita facientes cum magno honore clanculò secum illud Hierosolymâ deportârunt. Et non multò pòst à latronibus raptum est, qvi mittentes illud in qvoddam specu, ibidem dimiserunt. Donec idem Joannes cuidam eremitæ revelavit, dicens: Accipe caput meum quod in hoc specu depositum est, & da illud Joranno Episcopo, qvi ipse est Alexandriæ, ubi reliqviæ corporis mei reqviescunt, qvi & ita fecit, &c.* Annô autem imperii Theodosiani sextô caput hoc Constantinopolin esse advectum, testatur enim *Cedrenus*, *l. c. f.* 316. qvi alibi *f.* 311. addit, inventum istud qvondam apud qvosdam monachos Macedonianos, qvi Hierosolymis profecti in Cilicia degerint. Inde à Valente, cùm esset ea de re à Macedonia eunucho admonitus, Constantinopolin vehi jussum: sed cùm ad pagum, (prope Chalcedonem, ut alii addunt,) cui Cosilai erat nomen, pervenisset vehiculum, porro progredi noluisse mulas, qvantumvis flagellis admodùm cæsas. Atqve ita tum eo in pago caput repositum fuisse,

cùm Deus tantô donô Valentem indignum judicârit. Theodosio autem hoc pietatis præmium largitum esse, ut id Constantinopolim adferret, inqve fano Joannis Baptistæ deponeret. Qvod idem & *Baronius*, *ad ann.* 391. *Epitom. Spond. part.* 1. *p.* 421. *edit. Colon. Agripp.* 1614. narrat, nec immeritò, qvod spectat ad ejusdem venerandi capitis inventionem, nullam, addit, esse fere historiam [fabulam enim Pontificius dicere non audebit], qvæ tam variè narretur. Pergit etiam, tam apud Græcos, qvàm Latinos, publicis monumentis, duplicem memoriam anniversariâ die peragi, duplicis ejusdem præcursoris capitis inventionis; qvarum prior illa dicatur facta, ex ruderibus antiqvæ Herodis Regiæ, posterior verò, ex agro Ermesæ, unde Constantinopolin translatum est. Ita idem ipse *Baronius*, *ad ann.* 616. *Part.* II. *Epitom. p.* 149. refert, ab Agilulpho & Theodolinda, Regibus Longobardorum, magnificentissimam Basilicam erectam esse Modoëtiæ, non longè Mediolanô, in honorem S. Jo. Baptistæ, qvem etiam Patronum gentis adsciverint, & propitium multis post in casibus senserint.

§. VI. Varias autem hodienum credulæ plebeculæ reliqvias †. objiciunt papicolæ, qvemadmodùm hinc inde eorum produnt scripta. *Epitomator*

† Lege his de reliqviis Magnum nostrum Gerhardum, Tomô VIII. Locor. c. VII. §. 103. p. m. 66. a. b. B. Joh. Georg. Dorscheum, Dissertat. XI. Pentadecad. §. 10. s. p. m. 355. s. edit. opt. Argentor. M. DC LIV. in 4to; ubi & p. 352. s. de Deserto, cibo & vestitu Johannis prolixè, &, qvod solet, eruditè tractat. Adde Joh. Henr. Hôttinger. Secul. XV. Sect. I. p. 330. s. Ursini stupenda Templi Jesuitici, part. III. p. 353. al. 364 Caroli du Fresne integr. librum de Capite Johannis Paris. editum.

tor Baronii Heinricus Spondanus, *Presbyter Romanus*, *Part.* III. *ad ann.* 1025. *n.* 2. *p* 28. refert ex *Roberto le Viſeur*, Theologo Pariſino, & Canonico Ambianenſi, qvòd *Angeliaci* fuerit pars cranii, miſſa à Conſtantino Copronymo Imp. ad Pipinum Regem Francorum Chriſtianiſſimum; *Romæ*, in Eccleſia Sanct. Silveſtri, pars altera cranii; *Auguſtæ Prætoriæ*, in finibus Subalpinorum, maxilla altera; altera *Lugduni*; *Ambiani* verò facies (exceptô mentô) à labro ſuperiori uſqve ad partem frontis. Sic aliqvas etiam reliqviarum in *Magnum ſuum Vitæ humanæ Theatrum* congeſſit *Laurentius Beyerlinck*, *Protonotarius*. *Canonicus & Archipresbyter qvondam Antverpienſis*. *Neapoli* in Sanct. Maria Annunciata reſervari ait, *Tom.* IV. *lib.* XVI. *f.* 303. *H.* digitum, qvô mundi Salvatorem CHRISTUM monſtravit. *Coloniæ* autem *Agrippinæ*, apud Dominicanos, articulum hujus indicis, *f.* 279. *F. conf. f.* 282. In Eccleſia Sanct. Servatii, Epiſcopi *Trajectini* ad Moſam, particulam capitis *f.* 287. *D. E.* particulam etiam in Eccleſia Sanct. Crucis in *Jeruſalem*: nec non de oſſibus & particulam veſtis ejus *f.* 301. *B. Aqvisgrani* de capillis *f.* 286. *A. B. Tornaci* itidem de veſte ejus, de capite, oſſibus, cilicio cum dente illius: qvæ monſtrari refert *f.* 291. *E.* d. 24. Junii. Ita *Romæ* in Eccleſia Sancti Joannis Lateranenſis de cineribus & ſangvine ejus, cilicium item de pilis camelorum *f.* 300. *C.* Humerum qvoqve reſervari in *Gallia*, in oppido Sanct. Dionyſii, aliqvot ſtadiis Lutetiâ Pariſiorum diſtante, ex donatione qvidem Dagoberti, Lotharii II. filii *f.* 296. *D.* Non minùs autem, ſi non eſt falſum, ut omnino putamus, admirandum ex *Sigeberto* recenſet, qvandò dicit *f.* 55. *F. Annô Domini DCXIII. apud urbem Galliæ Maurienam*, *mulier*, *Sanct. Joanni Baptiſtæ nimis*

devota, expetebat ab eo donari sibi aliqvid de membris ejus, & in hac orandi instantia per triennium persistens, cùm alter qvivis jam posset desperare, ipsa, spem in DEO ponens, juravit se non manducaturam, donec, qvod petebat, acciperet, & sic septem diebus jejunans, septimâ tandem die super altari pollicem miri candoris apparere videns, læta domum DEI accepit. Ad qvod adorandum tres Episcopi venientes, cùm de hoc sancto pignore partem elicere vellent, tres sangvinis guttas ex eo stillare in linteo supposito stupuerunt, & singuli singulas se meruisse lætati sunt. Hæc *Beyerlinck.* Qvibus similia ex aliis etiam, si esset opus, possemus adjicere, qvi tamen chartæ malumus parcere, qvàm futilibus ejusmodi eam onerare. Meræ enim sunt vanitates, qvibus misero popello glaucoma objicere non verentur, qvasi mendaciis, qvæ tamen honestiori nomine *pias fraudes* appellant, plus possent expedire, vel religio salvari, qvàm si veritate muniti incederent.

CONCLUSIO.

Habes heic, L. B. primum ingenii nostri juvenilis fœtum, qvi Tibi JOANNIS *Vitam* tenui delineavit penicillô. Laboris qvidem, ut non negamus, hinc inde indiguisset majoris, & plurima etiam notatu haud indigna inferri adhuc potuissent, nisi jam præter intentionem Diatribe hæc excrevisset; ne dicam, ut sæpe aliis impeditio animi sensa distracta fuerint, qvi item hôc ipso momentô cogor, ut abrumpam. A te verò, *doctissime Lector*, non nisi favorem exspecto, veniam, sicubi fuero lapsus, humillimè precatus. Tibi contra, qvæ sacrare potero studia vel officia, non nisi promtissimô spiritu sacrata habebis.

DEUM

DEUM autem obnixè veneror, ut omnes nos, actúsqve nostros suô semper regat Spiritu! Ei pro benigna mentis & calami directione sit LAUS, HONOR ET GLORIA!

Ex *Luc.* I. 66.

يد الرب تكون معك ⁘

GRATIA *discentem* Te movit, *Amice* JEHOVÆ,
Ut per JOANNEM *grata docere* qveas!

Festinantissimus qvidem, sed tamen

CL. BUTNERI
amantissimus scrib.

M. Jo. Fridericus Nicolai,
Colleg. Philosoph. Adjunctus.



VII.

CHRISTIANI NOLDII

HISTORIA IDUMÆA,

SEU,

DE

Vita & gestis Herodum,

DIATRIBE.

Accesserunt hinc inde Notæ in Josephum: ut & pro eo vindiciæ & responsiones, contra Baronium, Serarium, Salianum, & Alios.

Hieron. in Matth.

Multi labuntur ob Historiæ ignorantiam, putantes eosdem Herodes esse.



Perilluſtribus & Excellentiſſimis Dominis,

Dn. OTHONI KRAG, Hæreditario in Wolleberg &c. Regni Daniæ Senatori, & Neoburgi in Fionia Præfecto Regio,

NEC NON

Dn. GODESCALCO à BUCHWALT; Hæreditario in Guiresbech, &c. S.R.M. Daniæ à Conſiliis Status, & Præpoſito Uterſenſi,

Pro tempore Sereniſſimi Daniæ Regis, ad Præpotentes & Celſiſſimos Federati Belgii Ordines Generales, Legatis Extraordinariis,

PATRONIS MAXIMIS,

Salutem, æternámqve in Chriſto Benedictionem,

Perilluſtres, Excellentiſſimi Domini,



Æ, proh dolor! nunc rerum vices ſunt, ut ſeu aliorum cum aliis, ſeu vicinorum cum vicinis odia conſideremus, humanum genus continuis natum præcipitiis qvaſi videatur. Qvid cometa velociſſimus, qvi annô ſeculi ſecundô ſupra qvinqvageſimum arſit, intra illud ſexennium, qvô rexerunt alii, terris portendit, res eſt triſtior, qvàm ut debeat repeti, aut ut à me ſatis declarari poſſit. Id malim dicere, & id magis ad propoſitum ſit, qvòd, à qvo ad hanc Sociam Gen-

[illegible] oculis, multorum in vos oculos converte[illegible], EXCELLENTISSIMI, *cùm o[illegible], Pietate, Prudentiâ, & si qvid aliud [illegible] abundè vos instructos esse, sin[illegible] lata hæc arrexit spes, fore, ut vestrâ [illegible] pax collapsa Boreæ resarciretur. [illegible] & fœderati hujus Populi votum, qvam [illegible], dum privatus Ego ad vos [illegible] etiam meam ipsius qvalem qvalem debui [illegible], & hoc parvô thure Nomini [illegible]. Faxit Deus propter suas miseratio[illegible] vestra & omnium Similium, in ho[illegible] & afflictissimæ Patriæ, in certam nec [illegible] pacem prosint.*

In qvo voto finio, & persevero

Perillustr. Excellent. Vestrar. Servus Humilimus.

CHRIST. NOLDIUS, Danus.

[illegible] Frisiorum, [illegible] Apr. Annô [illegible]

A D



AD

LECTOREM.



Amiliam hîc exhibemus Herodianam; Familiam eqvidem, ſi opes & florem ſpectes, amplam: ſed ſi vitam aut mores, turpem ac propudioſam. Nam hæc eſt illa progenies, qvæ Chriſtum in cunis vagientem reqviſivit, & coëgit in exilium: qvæ miniſtranti inſidiata eſt: qvæ per ſcelus ab hoſtibus captum riſit: qvæ Sanctos Præcones, aut gladiô ſuſtulit, aut multavit carcere, aut disjecit, contempſit, ac innoxios deſtituit. Qvorum ſcelerum Divina, (ut fit) ultio ſic conſeqvuta eſt, ut familia hæc florentiſſima, & tot fuſa per generationes, juſtâ nemeſi, intra centum annos, tota penè exſtirpata ſit. De qvo graviter Flavius, Ant. XIIX. c. VII. βούλομαι οὖν εἰπεῖν ἐπὶ μακρότερον περί τε ἡρώδου καὶ γένους αὐτοῦ, ὡς ἐγένετο: ἅμα μὲν καὶ διὰ τὸ ἀνήκειν τῇ ἱστορίᾳ τὸν περὶ αὐτῶν λόγον, ἅμα δὲ καὶ παράστασιν ἔχειν τοῦ θείου, ὡς οὐδὲν ὠφελεῖ πληθὺς, οὐδ' ἄλλη τις ἀλκὴ τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐπιτετευγμένων, δίχα τῶν πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβειῶν, εἴγε ἐντὸς ἑκατὸν ἐτῶν ἐξόδου, συνέβη πλὴν ὀλίγων, πολλοὶ δὲ ἦσαν, διαφθαρῆναι τοὺς ἡρώδου ἀπογόνους. *Volo*, inqvit, *altiùs repetere Herodis progeniem: vel qvòd hoc ad præſentem pertineat hiſtoriam, vel qvò magis appareat Divina Providen-*

tia: qvandoqvidem absqve Pietate nihil prodest nec numerosa soboles, nec ulla humana potentia. Prout Herodis copiosa proles, intra centum annos, præter paucos occidit. Qvô ipsô partim Operæ nostræ fructus constat, partim latiùs explicabitur. Nam cùm in sacra Novi Fœderis Historia, tot † occurrunt Herodes, Archelai, Philippi, Berenicæ adhæc, Drusillæ, & alii, (ut nihil dicam de profanis Scriptis Judaicis & Romanis) in qvibus, maximè ad personas cognomines, Lector sæpè hæret & offenditur, operæ pretium futurum judicavi, ut accurata esset Herodum Genealogia, * ad qvam Lector dubius recurrere posset. Rectè enim Hieronymus in Mathæum: *multos labi ob historiæ ignorantiam, putantes eosdem Herodes esse.* Et vel unus locus Actor. c. XII. 1. 6. s. evincit: in qvo novimus qvàm Interpretes hallucinentur, qvòd Herodem Lucæ, Agrippam Flavii esse, non perceperint. Tentârunt qvidem Serarius, Salianus, Montacutius, Capellus, & alii, has genealogias; sed profectò infeliciter. Maximè Capellus: cujus in

† Vide dicta in extrem. Præfation. nostr. hunc in Fascem.

* De nomine, Genealogia, majoribus, statu, fortuna, conditione & morte Herodum omnium agunt B. D. Glassius, part. 1. Exeges. Euangel. & Epistol. Dominical. p. m. 855. s. 868. 979. s. Jo. Henr. Alsted. in Præcognit. Theolog. lib. II. c. CXVI. p. m. 570. s. 594. s. edit. Hanov. M. DC. XXIII. in 4to. Henr. Nicol. in Natalitiis §. 15. Christian. Schotan. in Diatribe I. Genethlior. p. m. 19. edit. Franeker. 1656. in 8t. Marqvard. Freherus in Dissertatione de Numismate Census, qvam in editione Francofurt. 1675. in 8t. adjecerunt Francisci Moncæji Atrebatii Aaroni repurgato, p. m. 355. s. Habes & illam in Abrah. Sculteti Observationib. Grammaticis, Historicis Logicis & Theolog. in Matthæum; c. LX. p. 76. s. edit. Francof. M. DC. XXII. in 4to. Confer Spanhem. Dubior. Euang. part. II. n. XVI. p. m. 227. s.

in Genealogia Herodiana, ** (Hiſt. Apoſtol. & Jud. p. m. 85.) penè qvot Perſonæ, tot ſunt vitia. Alteram rationem, ob qvam in hoc argumentum ſum ingreſſus, præbuit Joſephus. Nam cùm eum, qvamvis optimè meritum, Judæi juxtà ac Pontificii incurſant, qvaſi prorſus nullius eſſet fidei, vindicandum eum hâc opellâ duximus. Judæorum odium Flavius, uti videtur, contraxit, vel qvòd, à qvo Veſpaſianis vinctus imperium prædixerat, (ἁλώς. III. c. XIV. & lib. V. c. XII. Sveton. in Veſpaſ. c. V. Xiphilin. in Veſpaſian. p. 216. edit. Henr. Stephan. M. D. XCII. in fol.) penes Romanos manſerit: vel qvòd ſcripſerit veritatem, Judæis ipſis imputans excidium, qvòd immorigeri & inſanabiles, Romanis rerum Dominis ſe oppoſuiſſent. Unde in eum ſic detonat Abrabanel, Comment. in Daniel. font. 10. ואף שנודה להם שיוסף כתב זה לא נקבלהו ממנו כי הרבה דברים כתב בחילוף האמת ובחלוף מה שעידו עליהם כתבי הקדש כדי להסביר פנים לרומיים כעבד העומד ביד אדונים קשים שידבר כרצונם: *Et qvamvis* (inqvit) *concederemus illis Joſephum hoc ſcripſiſſe, non tamen apud nos receptum foret. Nam multa ſcripſit cum depravatione veritatis, & contra Scripturæ teſtimonium: aucupandæ Romanorum gratiæ cauſsâ, & in eorum arbitrium,*

** Hujus tamen Capelli phantaſmata tanti fecerunt Bibliorum Criticorum non ſolùm primi, ſed & editores noviſſimi, ut Brianô Waltonô directore Operi ſacro eadem præfixerint, Amſtelodamenſes verò, qvod fauſtum & felix ſit, Tomo IX. inſeruerint. Supinam tamen Inſpectorum tanti operis negligentiam non poſſumus ſatis mirari. Qvi enim in Chronologia Bibliis præfixa, Capellum laudaverant, ejuſdémqve hypotheſin de corruptione textus Hebræi, ad Actor. XIII. 20. repetiverant, iidem ad hiſtoricum Veteris Teſtam. locum 1. Reg. VI. 1. communem & veram ſententiam propoſuerunt, ut manifeſta inter adnotata horum interpretum pugna ſit.

trium, *inſtar Servi ſubditi dominis graviſſimis verba componit* &c. Hæc ille. Pontificiis haud dubiè ſudes in oculis eſt, qvòd Joſephus, lib. 1. contr. Apion. p. Gelen. 1026. aſſerat: Judæorum Canonem ex duobus ſuprà viginti libris tantùm conſtare, & ſub Rege Artaxerxe obſignatum. *οὐ μυριάδες*, *inqvit*, *βυβλίων εἰσὶ παρ' ἡμῖν ἀσυμφώνων καὶ μαχομένων, δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι βυβλία, τοῦ παντὸς ἔχοντα χρόνου τὴν ἀναγραφὴν, τὰ δικαίως πεπιστευμένα. καὶ τούτων πέντε μέν ἐστι μωυσέως &c.* * *Seqvitur: ἀπὸ δὲ ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γέγραπται μὲν ἕκαστα, πίστεως δ' οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ ἑαυτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν.* † Qvô Authoris Maximi clarô teſtimoniô, cùm excludantur Pontificii, qvô minùs poſſint Apocrypha ſua in Canonem intrudere, *πύξ τε παλαισμοσύνῃ τε καὶ ἅλμασιν ἦτε πόδεσιν* ‡ hoc agunt, ut Scriptoris optimi authoritatem infringere, & fidem ejus elevare poſſint. Notæ in eum ſunt injuriæ, Baronii, Cani, Poſſevini, Salmeronis, Pere-

* Id eſt: *Infiniti libri non ſunt apud nos diſcordantes & ſibimet repugnantes: ſed ſolummodò duo & viginti libri, habentes temporis totiùs conſcriptionem: qvorum juſtè fides admittitur. Horum ergo qvinqve qvidem ſunt Moſeos.* &c.

† H. e. *ab Artaxerxe verò uſqve ad noſtrum tempus ſingula qvidem conſcripta, non tamen priori ſimili fide ſunt habita, eò qvòd non fuerit certa ſucceſſio Prophetarum.* Hæc Joſephi verba non ſine ſucceſſu citant & urgent ad Pontificios D. Georg. Calixtus in Exercitatione de Auctoritate ſacræ Scripturæ, §. XVII. & D. Conr. Hornejus, Diſp. II. de Script. ſacr. §. 39 p. m. 137. edit. Helmæſtad. M.DC.XXXII. in 4to.

‡ Homeri Oδ. θ. v. 103. *i. e. Pugniſqve luctâqve, & ſaltu atqve curſu:*

rerii, Pinedæ, Gordoni, & inprimis Saliani in Annalibus: cujus qvasi curæ destinatæ sunt, barbam ut vellat mortuis leonibus, & duos Josephos, Flavium scilicet, & Scaligerum exagitet. Sed illum maximè. Ut vix pagina abeat, qvâ non legas & audias: rem atrocem in Josepho incidisse. Longè alia de eo fuit eruditorum Principum & Antiqvitatis * sententia: dum & Titus Imperator libros ejus sub manu sua edi ac in Bibliothecis poni fecit; & Agrippa Rex doctissimus, eosdem sibi ad censendum missos publicis aliqvot literis comprobavit. (Joseph. in Vit. p Gelen. 1026. Euseb. Hist. I. c. IX.) Hieronymo, Epist. XXII. ità Josephus placuit, ut ab eo *Græcus Livius* appellatus sit. Eusebius, Hist. Eccles. I. c. V. eum habuit pro ἐπισημοτάτῳ τῶ παρ' ἑβραίοις ἱστορικῶν. Photio, Bibl. cod. XLVII. dicitur, καθαρὸς τὴν φράσιν, καὶ ἀξίωμα λόγου μετὰ εὐκρινείας καὶ ἡδονῆς ἐκφῆναι. πιθανός τε ταῖς δημηγορίαις, καὶ ἐπίχαρις, κἂν ἐπὶ τἀναντία ὁ καιρὸς καλῇ, χρήσασθαι τῷ λόγῳ. δεξιὸς καὶ γόνιμος ἐνθυμημάτων ἐφ' ἑκάτερα, καὶ γνωμολογικὸς ἢ ὥς εἴ τις ἄλλος καὶ πάθη τῷ λόγῳ παραστῆσαι ἱκανώτατος, καὶ ἐγεῖραι πάθος, καὶ πραῦναι δοκιμώτατος. Qvæ nè minimam

*Vide qvæ diximus part. III. Methodor. nostr. n. IX. c. XIII. n. 123. p. 387. s. & in Fascc II. p. 52. s. B. David Christiani Disp. III. de Messia, p. m. 120. §. 216. vocat Josephum *diligentissimum καὶ φιλαληθέστατον omnium scriptorum, διάκονον τῆς τῦ θεῦ φωνῆς, i. e. ministrum ac internuncium DEI ad Vespasianum imperatorem.* B. Dannhawer, Act. I. Dramat. Theatr. I. Phœnom. II. p. 67. *magnum auctorem, nisi ubi κάλυμμα judaicum obfuit; aut adulatio in transversum rapuit, de qvo Sixt. Senens. lib. IV. Bibliothec. p. 337.* Confer eundem D. Christiani, Disp. IV. Anti-Jesuit. Sect. II. §. XVI. (a) p. m. 158.

mam habent malæ fidei suspicionem. Possevinus, Bibl. tom. I. lib. II. c. LXI. & tom. II. lib. XVI. c. XIV. contra eum adducit Egesippum. Sed is totus favet. Ità enim scribit in Prologo: *Relator egregius historicô stylô Josephus, utinam tam religioni & veritati attentus, qvàm rerum indagini & sermonum sobrietati. Consortem se enim perfidiæ Judæorum in ipso etiam sermone exhibuit, qvem de eorum supplicio manifestavit: & qvorum arma deseruit, eorum tamen sacrilegia non dereliqvit. Deploravit flebiliter ærumnam, sed ipsius caussam ærumnæ non agnovit* &c. Ubi tantum abest, Egesippus Josephi Historiam reprehenderet, ut is potiùs in ipso rerum collaudatâ indagine, veritatem tantùm Euangelii desideraverit. Qvô oculô Judæum cæcum qvis mirari vellet? Deniqve: Scaliger, vir si qvisqvam perspicax & oculatus, in Prolegomenis Operis de Emendat. Tempor. seriò judicat: *ubiqve elucere Josephi simul & fidem & eruditionem; ut tutiùs ei non modò in judaicis, sed & externis credi possit, qvàm omnibus aliis Græcis ac Latinis.* Hærebat scilicet non vanè in animo, qvod Josephus, qvi ipse pars eorum fuit, qvæ scripsit, & qvi in ceteris, liberalissimâ educatione, genere Regiô, sectâ Pharisæus, accessum habuit ad patriæ archiva, & posteà (Romæ otium nactus) ad instructissimas Orbis melioris Bibliothecas &c. falsò aut temerè scribere non potuerit. Qvod, (si nolint ipsi credere Josepho, Ant. XX. c. V. lib. I. contr. Apion. p. Gelen. 1037. 1038. & in Vit. p. 1026.) Pontificii discant è suo Torniello, qvi in Annal. ad ann. M. 4051. n. 31. ita inqvit: *Si mihi licet dicere qvod sentio, puto multò tutius esse seqvi hac in parte Josephum, Autorem valdè gravem* &c. *Id námqve ipse Josephus, multò meliùs scire potuit, qvàm qvivis alius. Fuit enim natione Judæus, & bi-*

ſtoriarum judaicarum peritiſſimus, & ipſius Herodis tempori valdè proximus, atqve in geſtis ejus ſtudioſiùs perqvirendis ac deſcribendis omnium diligentiſſimus. Habuit item ad manus libros Nicolai Damaſceni, (conf. Ant. lib. XII. c. III.) *Scriptoris egregii, ſæpiùs ab ipſo citati, qvi fuit Herodis contemporaneus & familiariſſimus,* &c. Hæc Torniellus. Neqve ſegniùs contra Judæos inſtat Judæus Zemach D. ad ann. 4829. Abrabanele multò ſedatior & temperatior:

יוסף בן גוריון הכהן מיחוסי ושועי הכהנים שבירושלים ומשוח מלחמה הוא חבר את ספרו אחר הרבן הבית ואם מקצרת דבריו בענין טיטוס נראין קצת כסותרין את דברי רזל אשר בפרק הנזקין ממ״ תרע מאחל שזה האיש היה גדול בחכמה ובתבונה איש צדיק וישר והוא קודם בזמן מחכמי הגמרא כמה מאות שנה וראה את כל הנעשה בימיו על כן אין אנו מחזיקין אותו לסופר הבלתי נאמן ומפני זה אנשים חכמים וידועים הלמו יחד סיפוריו וסיפורי רזל״ באופן שאין דבריהם יהיו סותרים זה לזה :

Joſephus filius Gorionis Sacerdotis, ex nobili & opulenta ſtirpe Sacerdotum Hieroſolymitanorum ortus, & unctus in belli Ducem, compoſuit librum ſuum poſt excidium Templi. Qvamvis autem qvædam ejus dicta de hiſtoria Titi, videantur qvaſi repugnare verbis Rabbinorum noſtrorum, f. m. in Talmude tract. Githin cap. Hanizachin, tamen cùm fuerit vir ſapientiſſimus, & prudentiſſimus, vir juſtus & rectus, & tempore anteceſſerit Sapientes Gemaræ aliqvot centenis annis, videritqve omnia, qvæ ſuâ ætate geſta ſunt, non eſt cur eum cenſeamus inter Hiſtoricos minùs fideles. Qvamobrem viri Sapientes & eruditi conciliant ea, qvæ refert, cum iis qvæ tradunt Rabbini noſtri: ſic ut eorum dicta non ſint contraria. Hæc Ille: Flavium vocans filium Gorionis, † (cùm eſ-

† Vide Bellarm. de Scriptorib. Eccleſiaſtic. & qvidem Teſtam. Veteris extr. p. m. 20. edit. opt. Colon. M. DC. LXXXIV. in 4to, al. p. 26.

esset Marathiæ, & hunc ipsum intelligat) more Judæorum. Nam & Josephus Hebræus, cit. Raym. Mart. p. m. 260. Josephum filium Gorionis dicit alloqvutum nomine Titi, Hierosolymitanos: Qvem ex ἄλως. lib. VI. c. VII. XI. XV. & lib. VII. c. IV. constat ipsum Flavium fuisse. Qvid ergò, dices, non erravit Flavius? Inqvam Ego: Menda Editionum manifesta sunt. De qvo graviter Casaubonus, Exercit. I. extr. sect. 34. p. m. 154. *Verissimum est*, (inqvit) *qvod ante multos annos ad Svetonium dicebamus, & argumentis aliqvot demonstravit posteà ὁ μακάριτης Josephus Scaliger, Josephi Codices depravatissimos jam circumferri. Neqve hodie atqve heri esse corruptos, sed ante Ruffini ætatem. Id enim versio illius manifestissimè declarat, multis locis ad insaniam usqve inepta, non aliam persæpe ob caussam, nisi qvòd corruptissimos nactus Codices, & judiciò criticô destitutus, qvidqvid invenit, exprimere est conatus.* Et pòst, p. 156. *Consensus versionis cum hodiernis Exemplaribus Græcis etiam manu exaratis, & qvidem oppidò vetustis, veritatem sententiæ non probat. Porrò, Græci Codicis scripturam, in editione Basiliensi, (nupera enim priore deterior) locis propè infinitis esse corruptam, & sæpe vocibus aliqvot mutilatam, (est ubi periodis integris) docuit me diligens comparatio cum vetustissimis Exemplaribus, qvæ in Regis Christianissimi Bibliotheca servantur. Collationem illam ante annos qvinqve instituetam, operâ adjutus doctissimi Viri & amicissimi Caroli Labbæi JCti, qvum id à nobis illustrissimus Scaliger petiisset, de editione nobilissimi Scriptoris tum cogitans: qvam immatura viri Divini mors Reipublicæ literariæ invidit. Tum igitur ex unius aut alterius libri contentione didici, qvod dudum eram suspicatus, hodiernis Josephi libris nihil depravatius posse inveniri. De qvo tamen nè per somnium qvidem*

dem tot Interpretes videntur cogitâſſe. Hactenus Caſaubonus. Ut vitioſum conſtet nos habere Joſephum, tam Græcum qvàm Latinum, tam Baſileenſem, qvàm Geleniarum ſive Genevenſem, (qvis enim ex Antiqvis hanc non tulit labem?) at defectu vix Authoris, ſed bonorum Codicum. Qvi intereà dum conqvirantur, (ſuperſunt enim Vaticani, Regii, Voſſiani &c. probatiores) ſobriè & circumſpectè Authorem tam inſignem nos tractare convenit: nec (qvod ajunt,) infantem cum ſordibus abjicere. aut Librariorum ſphalmata Scriptori ipſi imputare. Liceat enim & rectè hìc ſperare, ut, etiamſi nec Scaliger, nec Voſſius,* nec Petitus &c. Literarum Lumina, editionem Joſephi emendatam abſolverint, ſed morte præventi rem reliqverint infectam, ſuccedant aliundè Coccejus aut Schotanus, Viri Lingvas apprimè docti, & in Antiqvitate ſacra profanáqve verſatiſſimi, qvi Rempublicam literariam iſtô ornent beneficiô. Noſtri humeri debiliores ſunt: qvamqvàm animus non deeſſet, ſi Deus & boni media ſuppeditarent, ut & fontes corrigerentur, & nova verſio Librorum maximè ἁλώσεως concinnaretur, qvos Gelenius neglexit, & notæ vindiciæqve neceſſariæ adſpergerentur. Nuper etiam Joſepho illud objecit vir Clariſſimus,† qvòd circa tempus raptæ Herodiadis, cum Euangeliſtis non poſſet conciliari. Euangeliſtas dicere, Herodiadem raptam ante Chriſti Paſſionem, (ut qvæ Chriſtô vivente apud Antipam maritum, Baptiſtæ lethum pro-

* Vide hìc omnino doctiſſima doctiſſimi D. Thomæ Ittigii Prolegomena in Joſeph. edit. Colon. M. DC. XCI. in fol.

† is eſt Schotanus, cujus vide proximè ſeqventem epiſtolam, p. 421.

procuraverit,) Josephum autem hæc referre qvasi ad annum imperii Tiberii penultimum, post Christi Passionem &c. Sed Josephus, Ant. lib. XIIX. c. VII. dicit, assumptam Herodiadem, postqvàm Antipas Româ esset reversus. At Romam haud dubiè ivit Antipas tum, cùm illic esset Tiberius, (qvid enim eô absente illic ageret?) Romæ autem non fuit Tiberius, postqvàm secessisset Capreas, Coss. M. Liciniô & L. Calpurniô. Tacit. Annal. IV. c. LXVII. coll. cum c. VII. annô scilicet Imperii ejus XIII. Imò verò Ant. XIIX. c. VIII. clariorem adhuc Characterem temporis habet Josephus, cùm refert Herodiadem in Antipæ thoro vixisse circa mortem Drusi, filii Tiberii. Nam Agrippa, qvi post obitum Drusi Româ discessit, qvòd Tiberius neminem ex Drusi amicis, nè dolor refricaretur, ad se vellet admittere, veniens summè inops in Judæam, interventu Herodiadis, Antipæ tum uxoris, sustentationem mox accepit. Drusum autem constat sublatum Coss. C. Asiniô & C. Pollione: annô scilicet Tiberii IX. Teste Tacitô, Annal. IV. c. VIII. coll. cum c. I. Ut satis in tempore & Euangeliis convenienter Josephus asserat raptam Herodiadem: cùm annus nonus Tiberii, satis antecedat Christi mortem. Bellum Antipæ cum Areta circa ultima Tiberii, (cujus facit mentionem Flavius, Ant. lib. XIIX. c. VII.) non evincit Josephum tum asserere, primò assumptam Herodiadem ab Antipa. Nam per ὑστέρωσιν, (ut assolet) totam ibi narrat Historiam, ubi ejus eventus tantùm incidit. Nimirum: Simultas inter Aretam & Antipam ob rejectam filiam & hujus locô introductam Herodiadem, non tum cœpit, cùm bellum erupit; sed aliqvot annos ante insederat, qvàm ad arma, occasione agri Gamalitici esset ventum. Prout ex Flavii epilogismis


jam

jam adductis, & totius apud ipsum narrationis filo constat. Atqve hoc est, de qvo Lector Optime, te volui admonitum. Qvem in nomine Jesu sic valere jubeo.

CHRISTIANO NOLDIO, L. A. M.

S. P.

ERUDITE VIR:


egi obiter opusculum tuum de vita & rebus Herodiadarum. Probo utilitatem Libri pro Studiosis historiæ sacræ: qvia ea breviter cognoscere possunt, qvæ facem præferunt N. T. historiæ. Probo diligentiam, qvâ ex plurimis contractè exhibes, qvæ diffusè & sparsim apud alios habentur. Alibi etiam acumen est in solvendis difficultatibus. At qve illis, * qvi alleges autores, incùm plurimos laude industriæ & eruditionis ὡς ἀιετοὶ ἐν νεφέλῃσι eminuerunt, & qvod plus est, pietate præstiterunt haud vulgari, qveri posset judiciosus lector, carpi qvidem illos, sed sine præfatione debiti honoris. Ceterùm, qvantum rem ipsam attinet, probo communiter, qvòd Josephum defendere moliaris adversus conjurationem Lojolitarum. Ego cum

* Hunc mendosum qvilibet pro suo corrigat arbitrio locum, nos in alieno ópere noluimus esse ingeniosi. Fortè ita erit: *At de illis, qvos allegas auctores, cùm plurimi laude* &c.

eum cum eruditis judico φιλαλήθη, & in media luce rerum versatum non potuisse ignorare sui temporis res & eventa. Lapsum tamen esse non tantùm in superioribus, id est remotis antiqvitatibus, sed & in rebus Hassamonæorum, etiam Herodiadarum, haud ambigo. Nemo enim hominum sui temporis res ità scire aut componere potest, ut ab errore immunis sit. Tuam conciliationem de uxore Philippi, magìs probo qvoad conatum, qvàm effectum. Qvòd enim Herodes ille Philippi nomen habuerit, non potest fieri; nec verosimile est, id habuisse cognomen. Nomen unius hominis apud Judæos unum erat, cui accedebat cognomen aliqvando duplex. Inter nomen & cognomen non discernis, qvando διωνυμίαν (hæc est pons asinorum in ἀπόροις historiæ sacræ) perurges. Nomen id unum in Græcum solebat verti, aut à significatione, aut à sono. Saulus ad Græcos exiturus dictus est Paulus. Simonis cognomen Syrum Cephas, versum est Πέτρος, ut Thomas redditum est δίδυμος: Manasses Μνασέας; Joacim ἄλκιμος; Jesus Ἰάσων, at Malchus Philosophus ille vocatus est *Porphyrius*, qvia purpura regum gestamen erat. Talia sunt infinita. Illic non erant duo nomina, sed unum versum aut transformatum. Herodes ille (ut fermè omnes Herodiadæ) Græcô dicebatur nomine, ἥρως, ἥρωος, ἥρως, ἡρώδης, sed ἰῶτα elisô ἡρώδης. Nihil certius est. qvia apud Græcos etiam hoc nomen freqventabatur, ut novisti. Herodes Parthicus nihil habet affine cum Herode. Qvia Græcum nomen erat, non fuit opus versione aut metaplasmô. Ut cognomen Philippi fuerit, qvì convenit, qvod fratrum uni erat nomen? Cognominibus qværitur discriminatio. Verum est, qvòd multi Herodiadarum autoribus dicti

dicti fuerint Herodis vocabulô, ut Antipas, ut Agrippa major in ſacris, minor apud profanos: ſed hoc non fuit verum nomen, qvia fuit confuſio. Herodes ibi valebit idem qvod Herodiades. Qvod ſi etiam concedamus hoc tuum à nomine conciliationis conamen, nondum res erit in ſalvo. Nam Euangeliſtæ vivente * Johanne Baptiſtâ, Herodiadem in Antipæ thorum tranſiiſſe dicunt, utpote qvæ viro ſancto lethum procuraverit apud adulterum: at Joſephus poſt paſſionem Domini, penultimô, ſi fortè, annô Cæſaris Tiberii, ab Herode marito traductam eſſe ad Antipam. Qvomodo iſta cum Euangeliſtis poſſunt conciliari? Sunt & alia, in qvibus tecum non poſſum ſentire, ut hoc, qvòd magorum adventum bienniô poſt Chriſtum natum factum eſſe putes. Ego tua argumenta non conabor ſolvere, qvia id nunc non ago nec otium eſt, ſed video Euangeliſtam Matthæum ὀφθαλμοφανῶς contradicere. Narrat enim ſic: c. II. I. Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν τῇ Βηθλεὲμ &c. Sic dico, ſi advenerunt bienniô poſt, non advenerunt cùm Dominus natus eſſet, ut congratularentur nativitati. Nam qvis ille modus deſignandi temporis, dicere factum eſſe Chriſto natô, qvod factum eſt bienniô poſt Chriſtum natum. In deſignatione hujuſmodi (ut nôſti rectiùs) tempus apud Rhetores inter connexa, non conſeqventia conſtituitur. Ita & rogant magi: v. 2. Ποῦ ἐστιν ὁ τεχθεὶς Βασιλεύς &c. Hìc oſtendunt ſe qværere regem jam natum, id eſt, iſtum regem, cui hoc ſignum eſſet, qvòd eſſet natus. Atqvi nativitas nullius hominis indicium eſſe poteſt niſi recens. Qværere de bimulo, ubi eſt ille rex qvi natus eſt? non

* Reſpondet hanc ad objectionem B. Noldius in præcedente præfat. p. 417.

non qvadrat. In Græco est τεχθεὶς cum ἀποδείξει, ut sciamus à nativitate regem illum denotari. Ego sic existimo, advenisse magos sub ipsam nativitatem Domini, ut pastores Bethlehemiticos seqverentur gratulaturi & salutaturi Regem suum, gentiles post Judæos Nativitas Domini attraxit, & hôc adventu debuit esse præluſtris. Qvòd Herodes bimulos necaverit, id non tam pertinet ad computationem à nativitate Domini, qvàm (ut ipse Euangelista annotat) ἀπὸ τοῦ χρόνου τοῦ φαινομένου ἀστέρος. Stella ista prænuntiavit magis nativitatem, qvi ut sub nativitatem adessent, profecti domô sunt. Ego ista breviter & festinabundus, cùm me alia vocarent. Deum conatibus tuis faventem precor, re uti tuam diligentiam amplector.

Tuus

C. SCHOTANUS.

9 Aprilis, Juliani
1660.

HONORI

Cl. D. Magistri,

CHRISTIANI NOLDII,

Historiam Idumæam vindicatam & conciliatam edenti.

Q*Væ sit Idumæûm scelerata potentia Regum,*
Eximiâ NOLDI *dexteritate probas*
Dignus laude labor, nostros terrere Monarchas:
Nè juvet Herodum tetrica facta seqvi.

Qvæ

Quæ sit Idumæûm celebris prosapia Regum,
Eximiâ NOLDI *dexteritate doces.*
Dignus laude labor: Te defensore, Josephi
Antiqvum accipiunt scripta tenéntqve decus.

posuit

N. Arnoldus.
SS. Th. D. & Prof.

Clarissimo, Præstantissimo

VIRO,

D. CHRISTIANO NOLDIO,

Liberalium artium Magistro solertiss.

Τοὶ δ' ἀεργίην δυσερπέα τῆλε γενέσθαι
Οἶδα κραδίης σου, Νόλδιε φίλε σοφοῖς.
οὔποτέ σοι ἠὼς καμάτων ἄτερ σῆς ἀνατέλλει,
οὐδὲ ἔδυ ἀργῷ ἠελίοιο φάος.
Ἀλλὰ ἀεὶ φιλόμουσος ἐὼν ἔργον ἐπὶ ἔργῳ.
Ἔργαζ' ἐνδελεχῶς μηδ' ἀτρεμίαν ἔχων.
Νῦν ποιεῖς ᾠδὰς μάλα ῥυθμίζων κατὰ τέχνην,
Βιβλία μουσάων ὄργανα καλὰ γράφων.
Νῦν δὲ Ἰδουμαίων, Ἡρωδῶν, ἤθεα, ἔργα,
Ἀμμύντωρ Φλαβίου, ἱστορέεις λόγιος.
Τοὔνεκά τοι ἄμμες μεγάλην χάριν ἴδμεν ἅπαντες,
Καὶ πάνυ ἄσβεστόν σοι δὲ γένοιτο κλέος.

Lubens posui,
Petrus Moll, J. U. D.
& Græc. Ling. Profess. ordin.

Cla-

Clarissimo Doctissimóqve Viro,

CHRISTIANO NOLDIO,

HISTORIAM IDUMÆAM

egregiè paranti,

Hunc Αναγραμματισμόν,

CHRISTIANUS NOLDIUS,

SOLUS HIC NIDUS TRINA,

Ita ἐξηγημένον.

HErodum Tria monstra stupes? sed, Lojola qvondam
Solus in hoc uno Nomine Trinus erat.
Non Aqvilæ imbelles generat mistura Columbas;
Sed simili similes progenerantur Aves:
SOLUS at HIC NIDUS, *qvem Lojola struxit averno,*
TRINA *tibi specie monstra aliena dedit.*
Et Canis, & rugiens Leo, qvos vulpecula fallax
Instruit, hôc nidô fœtificare solent.
Gens Idumæa tuos Herodes plangito; nostris
Sed nunc invaluit Lojola, Christe! malis.
Qvid juvat ingemuisse? tuos sensisse labores,
NOLDI, *tot nostris sit medicina malis.*

Honoris & Amoris ergò

posuit

N. WANDSTAD.

DE VITA, ET GESTIS HERODUM.

I. ANTIPATER *Senior:*] Filio, [de qvo infrà,] cognominis. *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* II. *Phot. Biblioth. n.* 238. *Alexander Jannæus*, Rex Judææ, & ejus Uxor *Alexandra*, eum *Ducem Idumææ* fecerunt. *Joseph. cit. loc.* Eusebius, *Hist. Ecclesiast.* I. c. VI. VII. ex *Africano*, eum vocat *Herodem:* dicitqve, *& eum, & Majores ejus*, ἱεροδούλους, seu ἱερέας *fuisse fani Apollinis, ad muros*, [περὶ τοῖς τείχεσιν, non in muris, sicut vertunt Alii;] *Urbis Ascalonis.* Atqve etiam addit: *Eum ita pauperem fuisse, ut filium Antipatrum à Latronibus Idumæis captum, præ inopia redimere non potuerit.* Qvam sententiam comprobant *Magdeburgenses, Hist. Eccles. Cent.* I. *lib.* I. *c.* III. *p.* 21. Sed fabulas hîc seqvutum *Eusebium*, constat ex *Josepho:* Cujus *Ant. lib.* XIV. *c.* II. hæc sunt verba: Οὗτος τοίνυν ὁ Αντίπατρος, ἀντίπας τὸ πρῶτον ἐπικαλεῖτο, καὶ τῷ πατρὶ αὐτοῦ τοῦτο ἦν τοὔνομα. ὃν ἀλεξάνδρου τοῦ Βασιλέως, καὶ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ στρατηγὸν ἀποδειξάντων ὅλης τῆς ἰδουμαίας, ποιήσασθαι φιλίαν πρὸς τοὺς ὁμονοοῦντας αὐτῷ ἀράβας, καὶ γαζαίους, καὶ ἀσκαλωνίτας λέγουσι, πολλαῖς αὐτοὺς, καὶ μεγάλαις ἐξιδιωσάμενον δωρεαῖς. Τὴν οὖν τοῦ ἀριστοβούλου δυναστείαν ὁ νεώτερος ἀντίπατρος ὑφορώμενος &c. Ex qvibus luculenter do-

docemur: *Patrem junioris Antipatri*, (qvicqvid omninò fuerit de *Nomine*) certè non fuisse *Æditu-um*, aut delubri Ministrum; multò minùs op-pressum egestate; Sed *Ducem Idumææ*, & opibus sic affluentem, ut *gentes*, & *urbes*, muneribus, hísqve *multis* & *magnis*, demereri potuerit. Qvem etiam constat, filium reliqvisse non modò πολλῶν εὐποροῦντα χρημάτων *Jos. Ant. lib.* XIV. *c.* II. *He-gesipp. de Excid. lib.* I. *c.* XIV Sed & Regiâ affini-tate dignatum. *Joseph. Bell. Jud. lib* I. *c.* VI. Imò: Genti Idumææ præfectum; idqve ἕνεκα τῶν προγόνων *Jos. Bell. Jud lib.* I. *c.* V. Erat enim Ma-joribus apud suos clarus. *Hegesipp. de Excid. lib.* I. *c.* XIV. Qvæ cum *Eusebiana* ejus vili & humili con-ditione, haud consistunt. Qvamqvàm autem *Alii* verba antè laudata *Josephi* accipiant de *Antipa Ju-niore*: qvasi *Hic* primùm, & non *Pater*, Dux I-dumææ à *Jannæo* factus esset, tamen Textus ex-sertè his contrariatur. Et cùm *Josephus* sub-jicit: ὁ νεώτερος Ἀντίπατρος &c. clarè signifi-cat voce νεώτερος, qvòd de *Alio Antipatro*, hoc est: *Seniore*, antè fuerit loqvutus, & qvòd ex διεκβάσεως qvadam à *Patre* ad *Filium* deinceps re-verti vellet. Ratio etiam Temporis, pro *Nobis* est. Nam *Antipater Junior*, ita non fuit à *Jannæo* Dux creatus, ut potiùs primùm cœperit inclare-scere sub *Jannæi* filiis, *Hircano*, & *Aristobulo*, sic-ut passim liqvet ex *Josepho*: Et *Antipater*, ipso te-ste *Eusebiô*, *l. cit.* paullò postqvàm à Latronibus esset educatus, cum *Hircano* amicitiam contraxit. Sed qvid Respondendum iis, qvi heic loci *Jose-phum* non recipiunt: Inter qvos *Serrarius*, *Opusc. de Herod. c.* IX. XI. & ex eo *Salianus*, *in Annal. ad Ann. M.* 3989. *n* XI. XII. [Qvi tamen se i-psum

pſum confutat, *ad A. C.* I. *n.* 49. cùm eum *Idumææ Ducem* facit,] *Euſebii* ſeqvuntur partes, qvòd idem cum ipſo de *Antipatri* origine, ſcripſerint, *Africanus*, *cit. Euſeb Hiſt. Eccleſ.* I. *c.* VI. *Epiphan. Hæreſ.* XX. *Theodoret. in Dial. immutabil.* & *Orat.* IX. *in Daniel. Ambroſ. in c.* III. *Luc. Hieronym. in c.* XXII. *Math.* &c. atqve ideò, *Sanctorum Patrum ſententias unius Joſephi Teſtimonio, qvi tam ſæpè falſitatis convincitur, præponderare.* Sed facilis eſt reſponſio: ſcilicet, in re antiqua, Autores Antiqvos & Domeſticos, haud eſſe deſerendos, niſi ubi metus eſt abſurditatis. Et proinde Patres adductos à *Serrario*, qvi *Qvartô*, *Qvintô*, &c. *Seculô* demum vixerunt, & *Traditione* (incertum cujus) nixi, rationes, ob qvas à *Joſepho* diſcedendum, nullas addiderunt, minimè valere poſſe. Ut contra hos tam Alienos Teſtes, *unus Joſephus*, (*Scriptor* ſcilicet *Internus*, & *Idoneus*, & qvi etiam in hac ipſa cauſſa, *Patres* aliqvot Patronos habet) ſatis ſtare poſſit. Nam qvòd non toties falſitatis convincatur, qvoties eum *Lojolitæ* accuſant, paſſim *Hôc Opuſculô*, oſtenditur. Qvin imò: Et *Africanum* * ſæpe errâſſe conſtat; dum ſeriem Regum Aſſyriæ, etiam ante diluvium auſpicatur &c: qvomodo paſſim notant *Chronologi*. Et *Euſebius*, [qvem hìc ſeqvuntur Alii,) parum attentè legit ſcripta Veterum, & pleraqve habet majori ſtudiô, qvàm judiciô collecta. *Scalig. de E-* *men-*

* Hunc Voſſius apud Joh Friſchmuth in Diſput. de primo, qvem in veri nominis Meſſia Judæi exigunt, Charactere, c. II. §. 6. *virum doctrinæ excellentis & ſtudii de Eccleſia bene merendi indefeſſi* vocat; Grotius verò *non tam diligentiâ qvàm judiciô & lingvarum cognitione deſtitutum*, labi potuiſſe cenſet.

mendat. Temp. lib. VI. † Qvi & *Patres* ab eo deceptos monstrat, & plures ejus errores indicat. Qvomodo & Molinæus, *apud Wolf. t.* II. *Lection. memorabil. fol.* 610. Ut Bellarminus, *de Scriptor. Ecclesiast. ad Ann. Chr.* 326. non injuriâ miretur, qvòd moderni *Eusebium* tantô ardore velint defendere. *

2. ANTIPATER *Junior* :] Priùs *Antipas*, posteà *Antipater*. Genere Idumæus. Vir dives, acer, factiosus, & industrius. *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* III. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XIV. *Phot. Bibl. n.* 238. Arte mirâ factus ad pecuniam gratiæ conciliandæ caussâ contemnendam. *Hegesipp. l. cit.* Ut propter & hæc, & decus Majorum, Gentis suæ Princi-

† Si Oporino Grubinio in p. m. 10. Amphotidum Scioppianar. edit. Paris. annô CIↃ. IↃC. XI. in 8t. adcredimus, Eusebius Scaligero *scriptorum omnium levissimus est & inaccuratissimus.*

* At de Pontificiis hoc nihil mirum, Eusebium enim, qvando placet, & ipsorum hypothesibus patrocinari videtur, Gelasius Pontifex *usqve qvaqve doctissimum*, Lindanus *celeberrimum Christianæ Scriptorem Ecclesiæ*, Sixtus Senensis *tantâ secularium disciplinarum peritiâ & divinarum litterarum exercitatione inter omnes sui seculi Episcopos clarum*, vocat, *ut Constantini Imperatoris elogiô celebrari meruerit*; *qvem à nonnullis inter sanctorum cœtum relatum fuisse*, testantur Anton. Possevinus & Cæsar Baronius. Cùm verò displicet, *Arii fautor acerrimus* Melch. Cano Fortunatarum Insularum Episcopo; *hæreticus Arianus* Franc. Costero Jesuitæ, *Arianæ factionis signifer* Cardinali Baronio est. Tu vide B. D. nostrum Dorsch. Dissertat. II. Heptadis Dissertationum Historico-Theolagicar. p. m. 153. s. edit. Rostoch. 1660. in 12. B. Dannhawer. in Προσθήκη Συγκρίσεως Concilii Nicæni I. atqve Tridentini ultimi de Eusebio Pamphili & Paullo Sarpio, p. m. 81. s. edit. Argentor. M. DC. LXVI. in 4to.

cipatum nactus ſit. *Joſeph. Bell. Jud. lib.* I. *c.* V. Euſebius, *Hiſtor. Eccleſiaſt. lib* I. *c.* VI. VII. narrat: *Eum unà cum aliis ſpoliis è fano Aſcalonis raptum, qvòd Pater pro ipſo non eſſet ſolvendo, manſiſſe apud Latrones in Idumæa, & ipſorum moribus, & inſtitutis educatum.* Qvaſi *origine Idumæus* non fuiſſet. *Photius* eum *Idumæum* qvidem rectè habet, & ex *Aſcalone*; *Bibl. n.* 238. ſed *Bibl. n* 76. addit ampliùs, eum fuiſſe ἀσκαλωνίτην ἱεροδȣ̃λον. Qvæ qvàm verè tradant tum *Euſebius*, tum *Photius*, [utut *Ille* etiam præſumat, eos, à qvibus hauſit, ſibi ἀληθεύοντας hoc tradidiſſe,] palam ex *his*, & qvæ *ſuprà* dicta fuerant, licet æſtumare. Rectè *Cunæus, lib.* I. *de Rep. Heb. c.* XVI. familiam illam, *Sacerdotalem* fuiſſe negat. Exortâ autem in Judæa diſſenſione inter fratres *Hircanum*, & *Ariſtobulum*, [ob qvam Gens in ſervitutem lapſa *Joſeph. Ant. lib.* XIV. *c.* VIII. & *lib.* II. *contra Apion. Phot. Bibl. n.* 238. *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib.* I. *c.* VI.] *Antipater* Hunc ſuſpectum habens, totum ſe *Hircano* dedidit, eiqve ad Principatum repetendum, qvem per vim invaſerat *Ariſtobulus*, ſvaſor fidus, & adjutor exſtitit. *Joſeph. & Hegeſipp. loc. alleg* [Nam qvòd *Photius Bibl. loc. cit.* ſcribat contrarium, & qvòd Antipater *Hircano* propter Amicitiam cum *Ariſtobulo*, fuerit διάφορος, caſtigandi *Codices:* mirórqve illud nec ab *Hæſchelio*, nec à *Schotto* factum. Magna certè oſcitantia. Cui ſimilis, qvòd *eod. n. p.* 981. *Schottus* legat, ȣ̃ καὶ ἀδελφὴ συνῴκει Μαριάμμη; Qvaſi ſoror *Ariſtobuli*, vixiſſet cum *Mariamme*; qvæ fuit *Mariamme* ipſa. Ut facile fuiſſet librarios corrigere & ità reſtituere: ᾧ, nempe *Herodi*, cujus ante mentio facta, καὶ ἀδελφὴ συνῴκει Μαριάμμη.]

Ee Cer-

Certè non antè destitit *Antipater*, qvàm ingeniô validissimô contra *Aristobulum* in partes traxisset, primò *Aretam*, Regem Arabum, à qvo *Aristobulus* victus, & obsessa Hierosolyma. *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* II. III. *Bell. Jud. lib.* I. *c.* V. *Hegesipp. l. cit.* sed & deinde *Pompejum*, à qvo Hierosolyma mense tertiô, (non *anni*, ut temerè litigant *Scaliger & Petavius*; sed *obsidionis*,) expugnata, & *Aristobulus* Romam abductus. Ut *Hircano* tandem dominatio permitteretur. *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* V. VIII. *Bell. Jud. loc. cit. Tacit. Hist.* V. *c.* IX. *Dio. Hist. Rom. lib.* XXXVII. *Strab. Geogr. lib.* XVI. *Appian. de Bell. Syr. p.* 119. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XVI. & XVII. Ab eo tempore *Antipater*, dum Romanos rerum Dominos sectatur, & ex ipsorum Ducibus, alium qvidem sublevat *annonâ*, alium etiam *milite, & pecuniâ*; *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* IX. X. XI. *Bell. Jud. lib.* I. *c.* VI. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XVIII. XXI. brevi ità in ipsorum venit gratiam, ut non modò ei legationes maximas *Scaurus*, & *Gabinius*, crediderint; *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* IX. XI. *Bell. Jud. loc. prox. cit.* Sed & *hic*, & *Cassius*, à consiliis ejus sæpè pependerint. Sicut ad Potentiorum animos, donis & hospitiis sibi comparandos, fuit instructissimus. *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XI. XII. XXIII. *Bell. Jud. lib.* I. *c.* VI. X. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXI. XXII. XXVIII. Maximè verò illud extulit *Antipatrum*, qvod *Bellô Alexandrinô*, laboranti *Cæsari* venisset in auxilium. Nam ex eo factum, ut dum *Antipater* in Ægyptum iret, & non modò *commeatu* & *milite*, largiter succurreret; sed & fortiter pugnaret ipse, & captô *Pelusiô*, cum hoste confligens, Cæsareanos pulsos restitueret &c:, Cæsar eum ob virtutem collaudatum, Civitate donaverit. *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XIV. XV. *Bell. Jud. lib.* I. *c.* VII. Sed & inter

Ami-

Amicos receptum, immunitate *Talenti* auxerit. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXIV. Et accusatum ab *Antigono*, qvòd peregrinus, iniqvè legitimis oppressis, potestatem sibi sumeret, parum habuerit culpá absolvisse, si non eum, vulnera pro se accepta ostentantem, insuper *Procuratorem Judææ* declarâsset, & constituisset. Ut *Hircano* saltem *Sacerdotium* relinqveretur. Et jam ità sublatus *Antipater*, & qvasi per gradus ad summa ductus, porrò viam Virtute affectat, mænia reficit, præcavet seditionibus &c; *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XV. XVI. *Bell. Jud. lib.* I. *c.* VIII. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXV. Domi forísqve, vigilans & moderatus, ut haud secus passim coleretur, qvàm si Rex, *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XVII. *Phot. Bibl. n.* 238. aut Parens publicus, *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXVI. fuisset; cùm repentè, [ut fit] invenit, qvi inviderent. Erat *Malichus*, genere Judæus, qvi cùm videret *Antipatrum* indies magis magísqve inclarescere, & confirmari; simul etiam filios ejus, [*Alterum* Hierosolymorum Ducem; *Alterum* autem Galilææ & militiæ,) latè crescere, & ad summa tendere; ratus occurrendum, priusqvàm factio hæcce prorsus regnum subvertisset, initium facere ab *Antipatro*, constituit. Cui dum clanculum struit insidias, oportunitatem nactus in epulis, ad qvas *Hircanus*, [qvamqvàm inscius consilii] & Antipatrum & ipsum invitaverat, agit cum *Pincerna Hircani*, ut *Antipatro* venenum funderet. *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XVII. XVIII. XIX. *Bell. Jud. lib.* I. *c.* IX. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXVIII. Qvô facinore *Antipater* exstinctus fuit: postqvàm blandienten. sibi fortunam, in aliis, totâ vitâ habuisset. *Euseb. Hist. Eccles. lib.* I. *c.* VII. Ab eo tamen [qvod indignum,] proditus, qvem non solùm sæpè beneficiis coluerat; sed & morte ipsâ liberave-

 rat,

iat. *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XVIII, *Bell. Jud. lib.* I. *c.* IX. Documento mortalium, *qvàm sint novæ & nimiæ Potestates in periculo*, & *qvàm ægrè imperia Externorum tolerentur.* Scelus posteà in *Malicho* ulti sunt filii Antipatri, *Phasaëlus*, & *Herodes. Joseph Ant. lib.* XIV. *c.* XIX. XX. *Bell. Jud. & Hegesipp. loc. cit.* Qvorum *Hic* etiam Urbem *Antipatridem*, ei in honorem condidit. *Joseph. Ant. lib.* XVI. *c.* IX.

3. CYPRIS:] Ità enim vocatur, apud J*oseph. Bell.* J*ud. lib.* I. *c.* VI. *Euseb. Hist. Ecclesiast. lib.* I. *c.* VI. *Phot. Bibliothec. n.* 76. & 238. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXII. *Cyprus* autem, J*oseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XII. & *lib.* XV. *c.* IX. Qvin & *Cyprine, nisi fallit Casaubonus, Exercit.* I. *in Annal. p. m.* 11. illustri locô orta apud Arabes. *Autor. allegat.* (Tantò minùs, secundùm *Cyrill. lib.* VIII. *contra* J*ulian.* genere J*udæa* fuit.) Ut etiam necessitudine, aut affinitate, *Reges Arabum* attigerit. J*oseph. Bell.* J*ud.* & *Hegesipp loc. cit.* Unde qvòd *Mariamme* ei δυσγένειαν, seu *Generis obscuritatem* exprobrârit, J*oseph. Ant. lib.* XV. *c.* XI. ad fastum ejus, & morositatem referendum est: Tanqvàm qvæ omnes, sibi non placentes, præ se, ut *ignobiles* despexerit. Ceterùm, qvò Hanc *Mariamme* magis fastidiret & contemneret; J*oseph. Ant. lib.* XV. *c.* IX. XI. tantò eam *Herodes* filius, æqviore locô habuit. Memoratur enim tam flagranti eam studiô atqve affectu proseqvutus, ut cùm carpentum, casu in fuga eversum, eam aliqvandò afflixisset, gladiô eductô, necem sibi intentârit, & voluerit se interficere, nisi manum proximi inhibuissent. J*oseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XXV. Apparet eam diu advixisse. Certè qvô tempore *Herodes* post devictum *Antonium* abesset apud *Cæsarem*, illa adhuc vixit in *Masada.* J*oseph. Ant. lib.* XV. *c.* IX. Mortua

tuæ tandem, *Herodes* magnificè castellum suprà *Hierichunta* dedicavit; qvod ab ea, dictum *Cyprus*. *Joseph. Ant. lib.* XVI. *c.* IX. *Bell. Jud. lib.* I. *c.* XVI. Antipater ex ea *qvinqve liberos* suscepit: Scilicet, *Phasaëlum*, *Herodem Regem*, *Josephum*, & *Pheroram*, mares; Filiam autem unam, *Salomen*. *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XII. *Bell. jud. lib.* I. *c.* VI. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXII.

4. JOSEPHUS:] Ità enim rectiùs, qvàm per *Josippum*, ὁ ἰώζηπ☉ exprimitur. Cùm *Herodes* Laodiceam vocaretur ab *Antonio*, ut caussam diceret super cæde *Aristobuli*; [Erat is Frater Uxoris ejus, *Mariammes*; qvem *Herodes*, decimô septimô annô ætatis summum factum Pontificem, paullò post ob studium gentis, lacu prope *Hiericho* submerserat. *Joseph Ant. lib* XV. *c.* III. *Bell. jud. lib.* I. *c.* XVII. *Hegesipp. Excid. lib.* I. c. XXXVI. XXXVII.] *Josepho* huic regnum, & qvam à regno proximè habuit charissimam, *Mariammen* commendavit. Addens in secretis mandatis, ut si audiret se necatum ab *Antonio*, unà etiam *Illam* interficeret. Etenim, cùm sciret *Antonium* vitæ dissolutæ Principem, formæ *Mariammes* inhiare, tanta eum ceperat vecordia, ut non modò *illam* vivus in alterius manu, pati non voluerit; sed & nè qvidem mortuus eâ spoliari, aut carere. Qvæ mandata, cùm *Josephus*, nihil mali suspicans *Mariammæ* inter conversandum detexisset, & illa, tanqvàm argumenta alienati a se animi, *Regi* objecisset; *Herodes* zelotypiâ furens, cùm putaret, nisi per stuprum, qvæ tam sanctè jusserat premi, haud exsculpta; ità sibi non potuit temperare, ut *Josephum* nè qvidem in conspectum admissum mox necari, & occidi jusserit. Ad has turbas, *Salome*, *Regis Soror*, & eadem *Uxor Josephi*, multum contulit. Nam cùm eam *Mariamme* crebrò sævidictis peteret, & ipsam, Ma-

trémqve, qvotidiè tanqvàm genere impares divexaret: *Salome*, volens paria facere, Fratri suspicionem auget, & vindictæ dulcedine, summa imis miscere, ac innoxios, imò vel *Maritum* perdere, turpi infamiâ, nihil pensi habet. Neqve enim *Josephus* hic fuit *Salomes filius*; [ut vel contrà se ipsum nugatur *Salianus*, *in Annal. ad A. C.* I. *n.* 49.] Sed *Maritus*. *Joseph. Ant. lib.* XV. *c.* IV. *Bell. jud. lib.* I. *c.* XVII. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXXVII. Sed ea dum dicimus, multa *Nobis* restant complananda. Etenim qvæ hîc *Antiqvitatum Scriptor*, jussa, factáqve *Josepho* refert, idqve adhuc salvo sub *Antonio*; alibi, hoc est, *Ant. lib.* XV. *c.* IX. & XI, dicit evenisse *Sohemo*, postqvàm jam *Antonius* esset ad *Actium* victus, aut occisus. Qvid tenendum? Certè pugnantia sunt, aut videntur: *Josephum* Mariammes neci præfectum; rem ad eam detulisse; Et tamen aliqvot annos post, *Sohemum* hoc fecisse, & supplicium ob hoc tulisse. Adhæc: *Josephum* παραχρῆμα interfectum. [hoc est: florente etiamnum *Antoniô*, à qvo *Herodes* tum reversus fuerat;] & tamen occisum unà cum *Mariamme*, [παραχρῆμα γὰρ κτείνειν προσέταξεν ἀμφοτέρους.] *Bell. Jud. lib.* I. *c.* XVII. hoc est: *post victoriam Actiacam*: Imò verò, *annô integrô*, postqvàm *Herodes*, sublatis *Antoniô* & *Cleopatrâ*, ex Ægypto, à Cæsare rediisset. *Joseph. Ant. lib.* XV. *c.* XI. *Casaubon. Exercit.* IV. *p. m.* 207. (Nunqvàm enim *Herodes*, salvis rebus *Antonii*, Mariammem ausus est occidere; *tum* qvòd sciret, si id faceret, *Cleopatram* anxiè *Judææ* inhiantem, contrà se caussam, qvam qværebat, habituram; *tum* qvòd ipse *Antonius* Mariammæ propter formam esset deditus, & in imagine ejus ad se missa, magnam voluptatem habuisset. *Joseph. Ant. lib.* XV. *c.* II. III. IV. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXXVII. Erat enim venustas

ei

ei corporis tanta, ut nulla unqvàm illi par fuisse videretur. *Phot. Bibl. n.* 238. Atqve hôc modô *Mariamme* saltem, *bis* ab Herode fuisset occisa: Primò παρὰ Ἀρχεῖα cum *Josepho*, hoc est; Sub *Antonio*: Et iterum sub *Augusto*, post Victoriam ad Actium. Nodus utiqve solutu haud facilimus. Videtur tamen Textus *Josephi*, *Ant. lib.* xv. c. xi. prælucere, qvi sic habet: Τὰς ἰωσήπῳ δωθείσας ἐντολὰς ἀνεμνημόνευεν, (loqvitur de Mariamme,) ὡς ἤδη διὰ θεραπείας εἶχε τοὺς φρουροὺς, καὶ μᾶλλον τὸν σόεμον, ἐν ἐκείνῳ τὸ πᾶν ἐπισαμένη. Σόεμος δὲ κατὰ μὲν τὰς ἀρχὰς πιςὸς ἦν, οὐδὲν ὧν ἡρώδης ἐνετέταλτο παρείς. λόγοις δὲ καὶ δωρεαῖς λιπαρέςερον τῶν γυναικῶν ἐκθεραπευουσῶν αὐτὸν, ἡττᾶτο κατὰ μικρὸν ἤδη. καὶ τέλος ἐξεῖπεν ἁπάσας τὰς ἐντολὰς τοῦ βασιλέως &c: Et paullò post. Μαριάμμη δὲ χαλεπῶς μὲν ἤκουσε, εἰ μηδὲν πέρας αὐτῇ τῶν ἐξ ἡρώδου κινδύνων ἔσαι. *Non incidebant mandata, Josepho olim data, ità ut omnibus modis demereri conaretur Custodes, præcipuè Sohemum, non ignara incolumitatem suam sitam in ejus manibus. Ille verò principiò fidus erat, non discedens ab Herodis præscripto: Deinde muneribus, ac blanditiis muliebribus, paullatim mollitus est: postremò effutiit omnia Regis mandata &c*: Et paullò post. *Mariamme iniqvô animô tulit, alia ex aliis sibi nasci ab Herode pericula.* Ex qvibus verbis, cùm *Mariamme* dicitur *meminisse mandatorum antè Josepho datorum*, & qvòd *alia & alia sibi ab Herode nascerentur pericula &c*: distincta temporum intervalla possunt colligi. Palam est enim *Mariammen* à *Sohemo* edoctam de mandata sua ab *Herode* nece, conqveri qvòd jam antè sub *Josephi* custodia, simili fuerit periculo exposita.

Sicut ἀνάμνησις, *præteritorum*, *seu abſentium* eſt, *teſte Philoſ. lib.* I. *de memor.* Ex qvo efficitur: *Cædem Mariammes, bis ab Herode imperatam.* Sicut *bis* præcipuè *Herodes*, in vitæ, & Regni incidit periculum. Primò, ſub *Antonio*, cùm rationem redderet necis *Ariſtobuli*: Et *iterum* ſub *Auguſto*, cùm reſpondendum ipſi eſſet; de ſocietate cum *Antonio. Illud*, Laodiceæ: *Hoc*, in Rhodo, contigit. In *priori cauſſa*, Herode abſente, ſolus *Joſephus*, Regis Patruus, Regno & feminis fuit præpoſitus. *Joſeph. Ant. lib.* XV. *c.* IV. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. In *poſteriore* autem, Herodes dum abeſt, Regnum committitur fratri, *Pheroræ*; Mariamme autem, & caſtellum Alexandrium, *Sohemo Ituræo*, & *Joſepho*. Erat is *Joſephus*, Herodis *Qvæſtor*, *Joſeph. Ant. lib.* XV. *c.* IX. Et ſic alius à *Joſepho priore*, qvi jam ante, (ut dictum) jugulatus fuit. Hæc diſtinctio clarè oſtendit: qvomodò per intervalla, tum *Joſepho*, tum *Sohemo*, eadem cædes *Mariammes* demandari potuit: Et qvomodò uterqve, culpâ ſimili, *Joſeph. Ant. lib.* XV. *c.* IV. & *c.* XI. perierunt, & oppreſſi ſunt. *Joſephum* prodidit ipſa *Mariamme*, in os Herodi exprobans mandata. *Joſeph. Ant. lib* XV *c.* IV *Bell. jud. lib* I. *c.* XVII. *Sohemum* autem prodidit, non Mariamme, ſed Mariammes *Eunuchus*, ex fidiſſimis: Cui *Herodes*, per eqvuleum expreſſit, qvòd *Mariamme* ei eſſet infenſa, propter mandata, qvæ *Sohemus* ei revelaverat. *Joſeph. Ant lib.* XV. *c.* XI. Ut *bis* eamdem actionem recurriſſe, *perſonis* tantùm, & *tempore*, mutatis, haud obſcurum eſſe poſſit. Qvòd autem *Flavius*, *Bell. jud lib.* I. *c.* XVII. narret: *Utrumqve* (ſcilicet *Joſephum* & *Mariammen*) *poſt Herodis reditum ab Antonio*, παραχρῆμα *interfectos &c.* de paritate non *temporis*; (*Joſephi* enim ſupplicium, *aliqvot annos* prius fuit;) ſed *pœnæ* tantùm, mol-

liter

liter accipiendum eſt. Qvaſi diceret: *Utrumqve interfectum.* Prout hoc ſimpliciter, & abſqve proſtheſi τοῦ παράχρῆμα explicat *Hegeſippus Excid. lib.* I. *c.* XXXVII. Atqve ità & illud vulnus *Joſephi*, (ſaltem rectè ſi (fortè *ſicut*) ſperamus,) cOIIt.

5. CAEPHALION:] *Joſepho* etiam *Bell jud. lib.* I. *c.* V. φαλλίων appellatur. Pro qvo *Hegeſippus, Excid. lib.* I. *c.* XIV. ſcribit, *Fallion.* Ad locum *Papyronem*, (*Hegeſippo*, *loc. cit.* malè *Paparionem*) dum *Aretas* Rex Arabum, & *Hircanus*, infeliciter acie dimicant cum *Ariſtobulo*, cæſis ſeptem millibus, occubuit. *Joſeph. Ant. lib.* XIV. *c.* IV. *Bell. jud. lib.* I. *c.* V. *Hegeſipp. Excid. lib.* I. *c.* XIV.

6. PHASAELUS:] Hunc pater à *Cæſare* Judææ Procurator factus, compertô qvòd *Hircanus*, (cui ceteroqvin *Ethnarchia* debebatur) naturâ hebes & ignavus eſſet, *Hieroſolymis* præfecit. *Joſeph. Ant. lib.* XIV. *c.* XVII. *Bell. jud. lib.* I. *c.* VIII. *Hegeſipp. Excid. lib.* I. *c.* XXV. Eô officiô, dum omnia publica per ſe obit, & in iis magnâ gratiâ verſatur, nec poteſtate abutitur ad cujuſqvam injuriam, *Joſeph. Ant. lib.* XIV. *c.* XVII. ità nomen & honorem auxit, ut victis percuſſoribus Cæſaris, *Antonius* eum unà cum *fratre*, Regni totius fecerit *Tetrarcham*: Hircanô ità non diſſentiente, ut etiam ipſe ab *Antonio* rogatus, qvem ad gentem regendam, & in officio continendam magis judicaret neceſſarium? pro *Phaſaëlo*, & *Herode* reſponderit. *Joſeph. Ant. lib.* XIV. *c.* XXIII. *Bell. jud. lib.* I. *c.* X. *Hegeſipp. Excid. lib.* I. *c.* XXVIII. Poſtqvàm autem *Antigonus*, filius Ariſtobuli ejecti, *Parthos* contra *Hircanum* adduxiſſet, *Phaſaëlus* belli componendi cauſsâ, Legatus ad eos, cum *Hircano* miſſus fuit. Ubi contra jus Gentium, fidémqve, unà cum *Hircano* captus, dum manibus vin-

ctis interficere se non posset, ut erat magni animi, fortísqve, caput saxis obviis illidit, & ex eo vulnere, (cum ei etiam *Antigonus* scelerate venenum locô pharmaci, supermisisset) vitæ sibi finem fecit. Nullô editô mœroris signô; sed potiùs animô gaudens, & elatus, postqvàm audiret evasisse fratrem, qvi hanc hostium perfidiam ulcisci posset. *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XXIV. XXV. *Bell. jud. lib.* I. *c.* XI. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXIX. In ejus honorem, *Herodes* posteà *Phasaëlum* Urbem, & Turrim *Pharô* non minorem struxit, *Joseph. Ant. lib.* XVI. *Bell. jud. lib.* I. *c.* XVI. Qvæ deinde Romanis usui fuit. *Joseph. Ant. lib.* XVII. *c.* XII. Et reliqvis ferè omnibus subversis, *Hierosolymæ* à Tito in memoriam relicta fuit. *Joseph. Bell jud. lib.* VII. *c.* XVIII.

7. HERODES.] à Patria, *Ascalonita*; (Strabo *Geogr. lib.* XVI. eum vocans ἄνδρα ἐπιχώριον, explicatur *n.* 63.] à rerum gloria, *Magnus* cognominatus cùm ætate majora ostenderet indicia, maturè publicis gerendis est adhibitus. Qvippe qvem Pater qvindecennem, Galilææ, *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XVII. *Bell. jud. lib.* I. *c.* VIII. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXV. Sextus Cæsar, Cœlesyriæ; *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XVII. & Samariæ; *Joseph. Bell. jud. lib.* I. *c.* VIII. Cassius, & Marcus, toti Syriæ; *Joseph. Bell jud. lib.* I. *c.* IX. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXVII. & Antonius Judææ, *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XXIII. *Bell. jud. lib.* I. *c.* X. *Hegesipp. Excid. lib.* I. *c.* XXVIII. præfecerunt. Ejectus autem Hierosolymis à *Parthis*, qvos contra *Hircanum*, tanqvàm regni invasorem, magnis præmiis *Antigonus* conduxerat, fugit ad Romanos. *Joseph. Ant. lib.* XIV. *c.* XXIV. XXV. Ibi, ut ludunt rerum vicissitudines, dum sibi & suis tantùm patrocinium; Regnum autem, (Sibi tanqvàm pere-

grino *ἀνέλπιστον*, *Phot. Bibl. n.* 238. *p.* 973.) ſtirpe Regiâ ortis, & Fratri uxoris peteret, operâ & commendatione *Antonii*, [malè autem ut is ſolus *ἐδοκιμάσειεν*, juxta *Appian. Bell Civil. lib.* v.] ſuprà qvàm ſperârit extollitur, & magnâ cataſtrophe, à ſenatu, *Rex* ſtatuitur. Primô ejus Regni die, [qvi incidit in Conſulatum *C. Domit. Calvin.* II. & *C. Aſin. Pollion.* hoc eſt: *Olympiad.* 184. ſeu *Annum Periodi Juliani.* 4675. ex calculo *Scaligeri*, *De Emendat. Tempor. lib.* VI.] egredientem eum ex curia ſtipabant Urbis Principes, *Auguſtus*, & *Antonius*, & *Hic* etiam epulô excepit. *Joſeph. Ant.* XIV. *c.* XXVI. *Bell. jud.* I. *c.* XI. *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XXIX. XXX. Subnixus autem Romanorum copiis, rem non differendam ratus, movet in Judæam, eámqve & Galilæam brevi, pulſis Hoſtibus non modò recipit; ſed & impigrè purgat latrociniis, promptiſſimô qvôqve arcis incluſô, & ad Clauſtra prædonum in montibus, ſubmiſsô. *Joſeph. Ant.* XIV. *c.* XXVII. *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XXX. Una reſtabat *Hieroſolyma*, & in ea *Antigonus*, factionum Caput: ſed & hìc fortuna præſto fuit. Nam eam poſt qvinqve menſium Obſidionem, & unà *Antigonum*, in poteſtatem accepit. Qvô tùm qvidem vinculis oneratô, poſteà autem *Antiochiæ* occiſô, [*Dio Hiſt. Rom. lib.* XLIX. p. m. 405. inqvit: *Antonius*, non Soſius, ut malè fontem corrupit Xylander, *Herodi cuidam regnô Judæorum conceſſô, Antigonum cruci alligatum, qvô ſuppliciô nullus unqvàm Rex à Romanis erat affectus, flagris cæcidit, ac deinde jugulavit;*] Principatus *Aſamonæus* deſiit: poſtqvàm à *Machabæis* ad hanc rerum periodum ſub *Antigono*, ſtetiſſet *annos centum, & viginti ſex. Joſeph. Ant.* XIV. *c. ult.* & XV. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* XIII.
He-

Hegesipp. Excid. I. *c.* XXX. Ex qvibus usqve ad *Pompeji* invasionem, *anni circiter centum* & *viginti*, Libertatis erant. *Joseph. lib.* II. *Contra Apion. p. Gelen.* 1068. Atqve in hunc modum qvæsitâ potentiâ *Herodes* tandem regnum adiit: πρῶτος τῶν ἀλλοφύλων. *Euseb. Hist. Ecclesiast.* I. *c.* VI. *Phot. Bibl. sect.* 238. *Tacit. Histor.* V. *c.* IX. Cujus suæ nuditatis conscius, (nam *Idumæi* primùm sub *Hircano* aggregati sunt. *Joseph. Ant.* XIII. C. XVII.) antiqvos *Genealogiarum* Libros, qvotqvot potuit, corrupit & incendit. *Euseb. Hist. Eccles.* I. *c.* VII. Princeps aliàs, ut in bello fortis, ita in struendo, & donando perqvàm gloriosus. *Herodion*, *Sebasten*, *Cæsaream*, *Gabalam*, pluráqve intra & extra Regnum, sumptu Regiô, seu nova condidit, seu *Templis*, *Portubus*, *Muris &c:* auxit. Volens ubiqve Magnus videri: alibi autem, cùm Genti non fideret, seu tutus præsidiis, seu gratus in Amicos: Qvibus pariter mortuis, ac vivis; sed uni magis Cæsari *Augusto*, Urbes, arces, turres, palatia, templa, statuas, theatra &c. dedicavit. *Joseph. Ant.* XIV. *c.* VIII. & *lib.* XV. *c.* XI. XII. XIII. & *lib.* XVI. *c.* IX. *Bell. jud.* I. *c.* V. XVI. *Tacit. Hist.* V. *c.* XI. *Euseb. Chronic. Scal. p.* 155. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XXXV. Ut *Augustus*, & *Agrippa* dicerent: Magnanimitati ejus Regnum non sufficere. Qvia enim Honoris fuit cupidissimus, magnoperè incitabatur ad *Magnificentiam*: sicubi spes, aut in præsens laudis, aut in posterum memoriæ, subiret. *Joseph Ant.* XVI. *c* V. Cúmqve & his, & *Ludis qvinqvennalibus*, qvos in gratiam Cæsaris induxerat, Gentem penè totam offendisset, tanqvàm qvi leges Patrias contemneret, & ritus, signáqve Gentilium assumeret, *Joseph. Ant.* XV. *c.* XI. XII. XIII. una Beneficentia ejus plebis reconci-

ciliavit animos, dum annonâ passim graviter accensâ, tertiam partem tributorum remitteret, & aulæ etiam supellectilem incideret, ut inde conflaretur pecunia, qvâ ex Ægypto frumentum emi, & laborantes ali possent. *Joseph Ant.* XV. *c.* XII. Dignitatem ejus non parum auxit, qvòd Romanis rerum Dominis niteretur, & qvòd præter *Antonium*, in cujus semper animo validus fuit. *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XXIII. XXVI. *Augustum*, & *Agrippam*, Lumina Imperii, sic habuerit obnoxios, ut *Augusto* honore secundus post *Agrippam*, & *Agrippæ* secundus post *Augustum* fuerit habitus. *Joseph. Ant.* XV. *c.* XIII. *Bell. jud.* I. *c.* XV. *Confer Philon. in Legat. ad Caj. p. m.* 799. Qvomodo etiam *Augustus* victor, ei regnum non confirmavit modò, *Joseph. Ant.* XV. *c.* X. sed & auxit, amplissimámqve ei *Zenodori* Tetrarchiam addidit, *Joseph. & Hegesipp. loc. cit Tacit. Histor.* V. *c.* IX. *Dio Hist. Rom. lib.* LIV. Et de hoc *Cæsaris* beneficio, loqvitur Strabo, *Geogr.* XVI. *p. m.* 526. cùm sic inqvit: Βασιλεὺς ἐχρημάτισε, [nempe *Herodes*] δόντος τὸ μὲν πρῶτον Ἀντωνίου τὴν ἐξουσίαν, ὕστερον δὲ καὶ Καίσαρος τοῦ σεβαστοῦ. Nempe Regnum qvidem primum accepit ab *Antonio*, sed & ἀπὸ Αὐγούστου, καὶ τῆς συγκλήτου, *Euseb. in Chronic.* Ac potestatem ei *Augustus Victor* [cùm ob conspirationem cum *Antonio*, deponi potuisset] *solus* posteà confirmavit; & sic qvasi de novo Regem fecit, *Joseph. Ant*, XV. *c.* X. Clarissima ei Gloria nata est ex Templo illo Augustissimo, qvod vetere, duplô majus, *Phot. Biblioth. n.* 238. *p.* 973. certè altius. *Joseph. Ant.* XV. *c.* XIV. [Nam *prius*, à *Villalpando*, *Tom.* II. *Explanat. Ezech. p.* 300. negatum] incredibili sumptu Hierosolymis exstruxit. Qvô intrà decennium splendidissimè absolutô, [ut meritò

ritò Tacito, *Histor.* v. *c.* VIII. immensæ opulentiæ; Dioni autem, *Hist. Rom. lib.* XXXVII. rectiùs *περικαλλέστατον* & *ἀχανὲς*, qvàm *ἀνώροφον* seu *sine tecto*, dici posset] qvantum *Herodes* Gentem exhilarârit, & illam sibi fecerit obnoxiam, vix ac nè vix dici potest. *Joseph. & Phot. loc. cit. confer Ant.* XVII. *c.* VIII. *& Bell. jud.* VI. *c.* VI. Ceterùm ad Templum hoc magnificentissimum ædificandum, (de qvo rectè scriptum in Thalmud: מי שלא ראה בנין הרדוס לא ראה בנין נאה: *Qvi non vidit Herodis structuram, non vidit structuram pulchram,*) Herodes inductus est à *Baba*, *filio Buthæ*, ad expiandam *Synedrii*, seu *Rabbinorum* cædem. [*vide infrà.*] Nam cùm Herodes hunc *Babam*, qvem unum ex *Synedrii Assessoribus* servâsset; aliqvàndo interrogaret, *qvomodo facinus tam impium elueret?* responsum tulit: הוא כיבה אורו של עולם ילך ויעסוק באורו של עולם: *Exstinxit Lumen mundi*, [Rabbinos] *ibit & laborabit in lùmine mundi*, [id est: Templô.] Sed Romanis res non æqvè grata visa fuit. Nam *Augustus* de *Templo* consultus rescripsit: אם לא סתרת אל הסתוֹר אם סתרת אל תבנה אם סתרת ובנית עבדא בישא בהר דעבדין מתמלכ׳ אם זיינך עלך ספרך כאן לא דכא ולא בָר רכא הורדוס עבדא קלניא מתעביד: *Si non diruisti*, [Templum,] *non dirues. Si diruisti, non ædificabis: Si diruisti, & ædificâsti, servus malus es. Postqvàm fecerunt, consulunt. Si armis tuis*, [confidas] *scriptum hîc: non Rex es*, (prosapiâ) *nec filius Regis, Herodes servus est, per se liber factus.* Thalmud *in Bava Bathra, & ex eo Beth Jischrael.* Sed qvam laudem Herodes magnis meruit virtutibus, eam non minoribus vitiis fœdè corrupit, obscuravit, & exstinxit. Princeps, si qvisqvam alius, præceps, & regnandi cupidus: *foris* felix, *domi* afflictissimus. Calamitatis ipsius domesticæ fax & tuba

tuba fuerunt *Salome*, & *Antipater*; Hic *Primogenitus* ipsius, illa *Soror*: Qvibus etsi diversa ratio, (*illi* ut litem privatam ulcisceretur, *Joseph. Ant.* XV. *c.* IV. IX. XI. XIV. *lib.* XVI. *c.* I. VI. *Huic*, ut gradum ad Regnum sibi faceret. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* VI. & *lib.* XVII. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XXXVIII. & XL.) unum tamen fuit consilium, ut *familiam Asamonæam* perderent. Horum calumniis *Herodes* incitatus, per se animô mobilis, & suspicax, qvævis sibi atrocissima imaginatur. *Mariammen* Regii sangvinis feminam, suam etiam uxorem perimit. *Joseph. Ant.* XV. *c.* XI. *Bell. Jud.* I. *Euseb. Pamphil. Chronic. lib. prior. Hegesipp. Excid.* I. *c.* XXXVII. Addit scelus sceleri, & unà eum ea fratrem *Aristobulum*, *Joseph. Ant.* XV. *c.* III. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. *Hegesipp. Exeid.* I. *c.* XXXVI. XXXVII. Avum *Hircanum*, *Joseph. Ant.* XV. *c.* IX. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. Matrem *Alexandram*, *Joseph. Ant.* XV. *c.* XI. Et duos suos ex ea filios, *Alexandrum*, & *Aristobulum*, *Joseph. Ant.* XVI. *c.* XVII. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. *Strab. Geogr. lib.* XVI. *p. m.* 526. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XLI. XLII. interficit. *Josephum*, & *Costabarum*, Affines, & *illum* etiam Patruum, occidit. *Joseph. Ant.* XV. *c.* IV. XI. *Euseb. in Chronic. Scaliger. p. pr. p.* 156. *Dorin*, & aliam *Mariammen*, Uxores aulâ ejicit. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* VI. *Bell. jud.* I. *c.* XIX. Fama erat, & Fratrem *Pheroram* venenis eum sustulisse. *Joseph. Bell. jud.* I. *c.* XVI. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XLII. Præter multos sine numero ex fidissimis, *Joseph. Ant.* XV. *c.* XI. & *lib.* XVI. *c.* XI. Et ipsum illum scelestissimum *Antipatrum*, filium ex *Doride*; *Joseph. Ant.* XVII. *c.* IX. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XLV. in qvos etiam sævitum. Ut ita non *uno*, sed *tribus filiis* ab Herode jugulatis, rectè *Augu-*

stus *

ſtus * dicere potuerit, *qvòd præſtaret ejus porcus, qvàm filius* † *eſſe*, *Macrob. Saturn. lib.* II. *c.* IV. Sed *hæc* talia modica, qvæ in *ſuos* perpetravit: Crudeliora adhuc, nec minora reſtant. In tantum ille hominem exuit, & Divina, humanáqve promiſcuè, nihil penſi nihil moderati habuit: Præter duos illuſtres *Summos Pontifices*, qvos tetra illa Sangvinis Vomica impiè occidit, *Joſeph. Ant.* XV. *c.* III. IX. qvatuor alios officiô depoſuit. *Joſeph. Ant.* XV. *c.* III. XII. *& lib.* XVII. *c.* VI. VIII. Sepulchrum Davidis fregit, & diripuit. *Joſeph. Ant.* XVI. *c.* XI. Phariſæorum ſex millia aut necavit, aut multavit. *Joſeph. Ant.* XVII. *c* III. *Euſeb. Chron. Scal. p.* 156. Suſtulit & *Sanhedrin*, ſeu judices 70. *Joſeph. Ant.* XIV. *c.* XVII. & iis, (exceptô *Sameâ*; & Pollione *Joſeph. loc. prox.* ſeu *Babâ*, cui tamen oculos effodit. *Thalmud. in Bava Bathr. Capit. Haſſutaphin*) Proſelytos ſubſtituit. *Philo de Temp. lib.* II. Ut multos alios, qvorum numerus inexputabilis eſt, ferrô, aut flammâ interfectos, *Joſeph. Ant.* XV. *c.* XI. *& lib.* XVI. *c.* XVII. *& lib.* XVII. *c.* VIII. *Bell jud* I. *c.* XVII. *Thalmudiſt. apud Galatin. de Arcan. Catholic. Verit. lib.* IV. *c.* VI. *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XLV. *& lib.* II. *c.* I. ta-

† Fortè *porcum qvàm filium.*

* Miratur Scaliger ad Euſebium, p. 163. Auguſto hæc verba excidiſſe, cùm ipſe Auguſtus ſententiam capitis in tres Herodis filios judiciô ſuô probatam confirmârit. Obiter adverto, notæ huic Macrobii loco in edit. Lugdun. Bat. 1670. in 8t. ſubjectæ adſcriptum eſſe nomen Pontani, is enim debet eſſe *Idem*, qvippe cujus nomen præcedens nota additum habet; at in editione Macrobii Lugdun. Batav. ann. CIↃ. IↃ. XCVII. in 8t. cui Joh. Iſac. Pontani ſubjunctæ notæ leguntur, iſtam in noviſſima editione exhibitam notam reperire non potui. De ſævitia Herodis agit & B. Ægidius Strauch. in §. I. ſ. Ægyptiaci Servatoris noſtri exilii, qvod propediem cum DEO, uni Faſcium noſtrorum inſeram.

r. taceam: Dum etiam eò feritatis eſt deventum ut Tyrannus exſecrabilis ſub edicto hominum conventus prohibuerit, & ipſe etiam, habitu mutatô, ſæpè noctu plebi ſe miſcuerit, qvò ſtudia hominum, & ſermones deprehenderet. Qvô ips, incredibile dictu, qvot ex turba innoxia, lingvâ vel minimum abutentes aut peccantes, ad ſupplicia raptari contigit. *Joſeph. Ant. lib.* XV. *c.* XIII. Ut meritò ſcripſerit Euſebius, *Hiſtor. Eccleſ.* I. *c.* VIII. *Argumentum crudelitatis Herodis, omnem Tyrannidem, qvæ à Tragædis deſcribitur, longè ſuperáſſe:* Et *Legati judæorum* conqveſti ſint: Τοσήνδε ἡρώδην ἐπεισάγεσθαι τὴν ὕβριν αὐτοῖς, ὁπόσην οὐκ ἂν θηρίον, ἀνθρώπων ἐπιστατεῖν δυνάμεως αὐτῷ παραγενομένης: *Tantas ſe ab Herode paſſos injurias, ſeu contumelias, ut majores ipſis ingerere non potuiſſet Beſtia, ſi ipſi imperium fuiſſet.* Joſeph. *Ant* XVII. *c* XII. *confer Hegeſipp. Excid.* II. *c.* I. Sunt, qvi inter hæc triſtia funera referunt Patrem Baptiſtæ *Sachariam*,* juſſu Herodis, inter aram & Templum, nullo alio crimine mactatum, qvàm qvòd ſeu Chriſti prædicâſſet adventum; *Cyrill. adverſ. Anthropom. Origen. in Matth. tract.* XX. *Gregor. Nyſſen. de Chriſti nat. Baſil. ho. de human Chriſti gen. conf. Epiphan. de vit. & interit Prophet. c.* XXV. ſeu filium *Johannem Baptiſtam*, (qvem Herodes, propter inſveta circa nativitatem ejus incidentia, pro *Meſſia* habere potuit) efferis manibus Tyranni ſubduxiſſet. *Petr. Alexandr. Can.* III. *in Biblioth Patrum.* II. *Syn. Sext. can.* I. *apud Theod.* Et qvid niſi immane ab ipſo exſpectandum, qvi nè qvidem ab ὑπομαζίοις vim abſtinuit? *Salvatorem mundi*, in cunis vagientem, Dira Belua ad necem reqviſivit, & dum

* Vide ſuprà p. 354.

dum is, Oraculô monitus, fugâ in Ægyptum evadit: inauditâ rabie, Lutum sangvine maceratum & vomica, Bethlehemi, & toto tractu vicinô *omnes Bimulos, & infra*, obtruncari fecit. *Matth.* II. 13, 14, 15. *Macrob. Saturnal.* II. *c.* IV. *Euseb. Histor. Eccles.* I. *c.* VIII. *& in Chronic. p.* 42. 156. 267. *Nicephor. lib.* I. *c.* XII. XIII. XIV. XV. *Epiphan T.* I. *lib.* I. *c. penult. Phot. Biblioth. n.* 238. Qvo ipso, qvasi gradu summô Bestialitatis auctus, & modum omnem feritatis supergressus, contrucidatis tot innoxiis infantibus, † XIV. millia, habet *Miss. Æthiopic.* πάντας ὅσοι Τύραννοι, ὑπερβαλέσθαι ἱστόρηνται. *Phot. Biblioth. n.* 238. *Edit. Schott. p.* 969. Ceterùm ad *Infanticidium* hoc horrendum, Herodes, non *elogiis Simeonis*, & *Annæ*; *Luc.* II. 25. 36. *sed Magorum secessu*, *. & *frustratione* est in-

† Eumdem numerum habent & Salmeron, Genebrardus ac Cornel. à Lapide. Nonnulli Herodem trucidâsse 144. millia infantum conligere volunt ex Apocal. XIV. I. 3. Neutra sententia mihi videtur verisimilis, qvia non opinor in tam parvo loco ac exiguo, qvalis erat Bethlehem cum ejus tractu fuisse vel 14000. vel 144000. pueros bimulos Herodis tempore. Amplissimis in civitatibus tantus infantum vix datur numerus. Dictum ex Apocalypsi est ἀπροσδιόνυσον, cùm Johannes ibi loqvatur de Martyribus Antichristo ad mortem usqve resistentibus.

* Juvat B. D. Joh. Meisnerus, Præceptor olim noster, cujus memoriam multa cum caritate usurpo, Exercitat. I. in Matthæi II. 16. §. VIII. scribens: *Cùm Herodes delusus à Magis dicitur, non tam propositum Magorum, qvàm persvasio Herodis, vel certè providentia divina respicitur, sicut è veteribus qvidam dixit:* Delusa est animi ejus perversitas à sancta justitia, *apud Origenem, Homil.* III. *in divers. Qvæ res immani furori trucidandi infantes occasionem dedit.*

inductus, *Matt.* II. 16. Neqve enim Magi *intra Purificationem*, advenerunt. Sicut infrà p. 460. s. fusè hoc probabimus. At qvid tandem Herodi post tot facta atrocissima? Num diu illa impunita tolerata sunt? Minimè. Eusebius, *Hist. Eccles.* I. c. VIII. inqvit: Παραυτίκα, μηδὲ σμικρᾶς ἀναβολῆς γεγεννημένης, ἡ θεία δίκη περιόντα ἐτ' αὐτὸν ἐν τῷ βίῳ μετελήλυθε, τὰ τῶν μετὰ τὴν ἐνθένδε ἀπαλλαγὴν διαδεξομένων αὐτὸν ἐπιδεικνύντα προοίμια: *Statim post, & nullâ vel minimâ dilatione int:rpositâ Divina ultio illum dum adhuc in vita mansit, exagitavit; & qvasi procemia rerum ei post discessum è vita obventurarum evidenter ostendit &c.* Et porrò: ἅμα τῇ κατὰ τοῦ σωτῆρος, καὶ τῶν ἄλλων νηπίων ἐπιβουλῇ, θεήλατος αὐτὸν καταλαβοῦσα μάστιξ εἰς θάνατον συνήλασεν &c. *Flavius* autem, *Ant.* XVII. c. VIII. per partes singula clariùs deducit. *Regi*, in⸗r, *morbus factus est gravior, pœnam impietatis exigente Numine. Lent⸗ enim calore torrebatur, qvi non tam externô deprehendebatur tactu, qvàm intrinsecè viscera rodebat. Aderat & vehemens voracitas, cui continuò cibos suggerere necesse erat, simúlqve vexabatur intestinorum exulceratione, & colicis passionibus. Pedes & ingvina, phlegmate humidô, & pellucidô tumebant. Ipsa qvoqve verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœdâ & molestâ tentigine & fœtore ingratissimô. Super hæc omnia nervorum contractione, & spirandi difficultate laborabat. Ut constans fuerit opinio, Regem læsæ tot modis Pietatis dignas factis pœnas exsolvisse &c*: Confer *Bell. jud.* I. c XXI. *Eus⸗b Chronic. Scalig. p.* 42. 267. *Hegesipp. Excid.* I. c. XLV. Inter has horrendorum pœnas facinorum; postqvàm Tyrannus malis indies magis magisqve graviter auctis, præ

desperatione cultrô, (non *gladiô*, ut *Hegesipp. cit. loc.*) frustrà mortis compendium tentâsset, & diu ante se sensisset mori, qvàm moreretur, tandem *Hierichunte*, (qvò post usum thermarum diverterat) *sub ferias Paschales* (*Annô Urbis* 753.) animam terris exsecrabilem deposuit Humani Generis Carcinoma & Propudium. Qvi ità sangvine non potuit abstinere, ut etiam tum, cùm anima penè in labiis hæreret, inter tormina gravissima & mortis præsentissima indicia nè deessent, qvi ipso mortuô lugerent, Nobilitatis lectissimæ, ad se evocatæ, cædem imperaverit. *Joseph. Euseb. in Chronic. & Hegesipp. loc. allegat. aut seq.* Adeò Immanissimus mortalium, eô tempore innoxios, & qvi ipsum non læserant, voluit exstingvere, qvô Alii etiam summis injuriis, & hostibus totâ vitâ infestis solent ignoscere. Vixit *Annos circiter* LX. Regnavit *Annos* XXXIX. (Josephus dissentiens infrà corrigitur. *) Funus ejus sumptuosissimè elatum, & summâ pompâ in *Herodio* sepultum. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* X. *lib.* I. *Bell. jud. c. ult.* Uxores ei X. fuerant: Nempe, *Mariamme Hircani*, & Aliæ IX. Qvas unô tempore habuit in matrimonio, *Joseph. Ant.* XVII. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. Et hunc in modum Tyranni hujus prima, novissimáqve absoluta sunt.

Mantissæ locô: Dubia qvædam circa *Annos ejus*, & (& qvæ hinc pendet) *Epiphaniam* seu *tempus Magorum*, explicanda sunt. Scripserat Flavius, *Ant.* XIV. *c.* XVII. *princ.* τῷ δὲ μετ' αὐτὸν ἡρώδῃ τὴν γαλιλαίαν ἐπέτρεψε, νέῳ παντάπασι, [ἀλλως. I. c. VIII. vocatur νέος * κομιδῇ] ὄντι, ιέ γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη. Βλάπτει δὲ οὐδὲν αὐτὸν ἡ νεότης,

† i. e. *nimis adolescens.* * p. 451. s. 457. s.

ότης, ἀλλ' ὢν τὸ φρόνημα γενναῖος ὁ νεανίας, ἀφορμὴν εὑρίσκει παραχρῆμα εἰς ἐπίδειξιν τῆς ἀρετῆς. †
His ſimilima habet Photius, *Bibl.n.238 p edit.Schott.* 970. Τὸν δὲ μετ' αὐτὸν ἡρώδην, νέον ὄντα κομιδῆ, πέντε καὶ δέκα γὰρ αὐτῷ ἀπὸ γενέσεως ἔτη ἦν, τῆς γαλιλαίας ἀποφαίνει ἐπίτροπον, οὐδὲν ὑπὸ τῆς νεότητος, οὗ μὴ οὐχὶ τὸ δεινὸν αὐτῷ καὶ γενναῖον ἐκφῆναι κωλυόμενον. Sed ætatem illam Herodis, Caſaubonus *Exercit.* 1. *ſect* 34. *p. m.* 153. [ut eripiat ſcilicet *Joſephum*, cui Baronius, *Tom* 1. *Annal p* 26 27. Poſſevinus, *Biblioth. Tom.* 1. *lib.* 11 *c* LXI. *& Tom.* 11. *lib.* XVI. *de Hiſtor. c* XIV. *p* 301. & Alii inſultant, *qvaſi novem Annos Herodis prætermiſiſſet*;) in hunc modum habet ſuſpectam: *Ubi*, inqvit, *Ant.* XIV. *c.* XVII. *dicitur, Herodem, qvi tempore Julius Cæſar Bellô Ægyptiacô confectô, res in Syria & Judæa compoſuit, natum fuiſſe annos tantùm qvindecim, ſciat Lector, mendoſum eſſe illum locum, ut alios in Optimo illo Scriptore infinitos. Perperam enim apud Joſephum legitur* ιε γὰρ αὐτῷ ἐγεγόνει μόνα ἔτη: *qvindecim tantùm annos natus erat: qvum ſit abſqve dubio ſcribendum* κε, *vel etiam* κϛ. *annos tum natus erat tantùm* XXV. *aut etiam* XVI. *qvemadmodùm jam ante nos rectè cenſuerunt Viri Præſtantiſſimi, & harum rerum callentiſſimi Joſ. Scaliger. Laurent. Suſtyga, Joh. Kepplerus, Auguſtin. Torniellus & Eduardus Liveleus Anglus. &c.* Idem tuetur & Langius, *in Annis Chriſti, lib.* 11. *part. prior. c.* XVIII. *p.*

* i. e. *Herodi ſecundo Galilæam curandam commiſit, etiam tum admodùm adoleſcenti, nec excedenti annum qvintum decimum. Qvod tamen illi nihil obfuit, ſed qvia fuit generoſô ingeniô prœditus confeſtim occaſionem invenit, qvomodo poſſet virtutem ſuam oſtendere.*

p 338. Salianus autem, *in Annal. ad Ann. M.* 4008. *n* 42. 43 46. qvasi inter partes medius, & à *Casaubono*, & à *Baronio* dissentit. Nam *Lectionem* qvidem sanam agnoscit, sed *sententiam* non probat: Qvippe, *Herodem circa id Tempus non habuisse annos* XV. *sed* XXV. II. *Tum qvòd incredibile sit, nobilem Galilææ provinciam, Adolescentulo qvindecim annorum non solùm commissam esse, (Regnum enim Agrippæ etiam septendecenni negatum. Joseph. Ant.* XIX. *c.* VII. *) Sed ea gesta esse illo tempore ab ipso* [intelligit Latrones Galilææ exstirpatos. *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XVII. *& lib* XVII. *c.* XII. *Bell. jud.* I. *c* VIII. *) qvæ in illam ætatem minimè cadere videantur: Tum, si nunc egerit annum decimum qvintum, & annô septuagesimô decesserit, ut tradit Josephus, oporteret eum ad Annum Urbis* 759. *aut* 760. *id est: Decimum Christi, vitam produxisse: & sic non regnâsse annos* XXXVII. *&c.* Hæc illi. Qvorum difficultatibus ut evolvamur, primò certè via non debet tentari, per ea qvæ *Casaubonus* adducit. Neqve enim illô locô *Josephi* mendum esse potest; Non, qvòd non *libri Josephi* depravati sint; aut qvòd in Annum XXV. aut XXVI. nomen etiam νέȣ, imo vel παντάπασιν aut κομιδῇ νέȣ, non possit cadere: (Id enim satis eleganter ostendit *loc. allegat.* Casaubonus, Vir sui seculi utiqve Eruditissimus, & cujus auspiciis, admirabilis cursus ad omnem doctrinæ factus excellentiam. *Cunæ. de Rep. Hebr.* I. *c.* IX.] sed qvòd *Josephus* & *Photius* illum characterem addant, *qvòd* νεότης *Herodi nihil obfuerit, qvò minùs rem præclarè gesserit &c.* Ex eo enim διαῤῥήδην patet, mentem illam *Flavio* fuisse, & lectionem frustrà aliter refingi. Cùm fortia facta in *Qvindecenni* qvidem, propter ætatem, habeant admirationem, in Viro autem *annorum*

XXV.

XXV. *aut plurium*, nullam habeant. Itaqve *illic* non est angvis in herba; sed *in tota* potiùs *ætate Herodis*: qvam is scilicet habuit annorum σχεδὸν, non *septuaginta*, sed *sexaginta*. Ut pro ἑξήκοντα, & ἑξηκοςὸν, tam facilè potuerint ἑβδομήκοντα, & ἑβδομηκοςὸν, *Joseph. Bell. Jud.* I. *c.* XXI. & *Ant.* XVII. *c.* VIII. surrepere, ac τρισὶν ὅλοις καὶ τριάκοντα ἔτεσιν dominationis Hircani: *Bell. jud.* I. *c.* III. pro ἔτεσιν ἑνὶ καὶ λ. *Ant.* XIII. *c.* XVIII. aut pro σχεδὸν τρισὶν &c. εἰκοςῷ ἐνιαυτῷ *Ant.* XVIII. *c.* VI. pro εἰκοςῷ δευτέρῳ. *Scalig. de Emendat. Temp.* v. *p m.* 239. ἀδελφός *Ant.* XVIII. *c.* VII. pro ἀδελφιδὸς, vel ἀδελφιδȣ̃ς. *Ant.* XVII. *c.* I. confer *num.* 39. Hujus Τετρακοσίων ἐτῶν *Ant.* II. *c.* v. pro διακοσίοις πρὸς τοῖς δεκαπέντε. *Ant.* II. *c.* VI. Nam *Josephum*, Habitationis populi in Ægypto annos non plures CCXV. numerantem, à LXX seductum fateor. Neqve ideò prorsus fidem amittet: nisi simul amittent tot *Græci Latiníqve Patres*, qvi ingenti agmine Codices LXX. *Interpretum* æqve seqvuti sunt. Imò *Vetus Ecclesia* secundum LXX. *Annos Mundi*, etiam in Conciliis Oecumenicis computabat. *Voss. Isagog. Chronol. c.* XI. *p.* 95. Ità Herodes Galilææ præfectus est *Annô ætatis* XV. Annum autem agens XXII hoc est: *Annô Urbis* 714 *Julian.* VI. Rex est declaratus; mortuus tandem ante Pascha, *Anni Urbis* 753. *Julian.* XLV. Sed *hoc ultimum* nobis diligenter solidandum; ut qvô maximè opus. Nè posteà tanqvàm ex dubiis progredi, & Andabatarum more, cæcis ictibus pugnare audiamus. De morte Herodis, *Tres* invenio Sententias illustriores. *Prima* est *Kepleri*, & *Petavii*: qvi eam proferunt ad *Annum Julian.*

XLII. *Secunda* eſt *Langii*, circa finem *lib. de Ann. Chr. & paſſim.* [ante etiam approbata, ſaltem qvà Annum, ab *Alſtedio*, in *Chronol. p. m.* 132. & explicata à *Calviſio* in *Iſagog. Chron c.* XLVI. *p.* 161.] qvi eam reducit ad plenilunium menſis Adar prioris, *Anni Juliani* XLIV. *Tertia* eſt *Scaligeri* v. *Emendat. Temp p. m.* 433. 434. ſtatuentis eam in *Anno Juliano* XLV. Prima Sententia, maximè enormis eſt: Qvòd ſic oporteret *Herodem* priùs morbô abſumptum, qvàm in hanc lucem Chriſtus prodiiſſet. Rectè enim *Scaligeriani* ex talibus epilogiſmis, qvi convelli neqveant, partum Virginis incidiſſe probant in *Annum Julian.* XLIII. (ut Dionyſiana vulgata Chriſti Epocha *duobus totis Annis* brevior ſit:) Nam is ſi moveretur, Chriſtum *Annô* XI. *Tiberii* non poſſe eſſe ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα. *Luc.* III. I. 21. 23. cùm Annus XV. *Tiberii*, ſit *Julianus* LXXIII. Id qvod rectiùs, *lib.* II. *part.* II. *c.* II. III. & *p.* 346. *ſeq.* oſtendit *Langius*, Vir ingenii aliàs incomparabilis, qvàm *ſuam ipſius roborat Sententiam*. Secundum hanc enim *Purificatio*, *Profectio in Nazareth*, Luc. II. 39. & *Bethlehem*, (infrà demonſtanda) *fuga*, *infanticidium*, & *Herodis obitus*, in *unum menſem Adar*, cumulanda ſunt. Imò intrà *dies* XVII. Cùm ex mente *Langii*, *p.* 367. 352. Purificatio contigerit II. *Februarii*; & mors Herodis XIX. *Febr.* Cui *qvinto die*, hoc eſt: XIV. *Februar.* laniena Bimulorum præceſſiſſet: Sed qvomodò tanta moles rerum; ita non dicam feſtinari, ſed præcipitari poteſt? Si poſt Purificationem, *Dies* admodùm VI. ſumantur pro mora data Amicis in Hieruſalem, & itinere in Galilæam, *Luc.* II. 39. (modò verò hoc tantillum ſufficit, Cùm vix ſit probabile potuiſſe *Simeonem &c.* puerum ſibi tam diu deſideratum ſtatim poſt

Pu-

Purificationem dimittere, aut ab eo divelli,) Præteriêrunt *Dies* VIII. Februarii: si addantur *Dies* VII. *aut* VIII. (tempus & illud satis modicum,) qvibus Parentes res in Nazareth dispofuerint, (secundum ea, qvæ infrà dispuro,) & redierint *Bethlehemum*: labentur *dies Mensis* XVI. Ponamus verò qvàm possumus ocyssimè, & vel illâ ipsâ nocte, qvâ ventum in *Bethlehem*, fugam esse imperatam: (ponamus, inqvam: Nam *infrà* illic parentes diutiùs probo mansisse) qvæ absurda conseqventur? *Occisos scilicet Bimulos, anteqvàm fuga inita, imò, qvàm mandata*: Et *Deum*, (qvi mortuô Herode, jussit ut parentes redirent,) *vocâsse ex Ægypto filium: qvi in Ægypto necdum fuerat. Math.* II. 13. 15. 19. Nam III. *diebus*. [qvi intersunt inter fugam, & Herodis mortem] parentes certè in Ægyptum non venissent. Qvi ex confesso bis *Tribus*, & ultrà, *septimanis*, ex Ægypto non redierant. Moniti enim *ante Pascha* ab Angelo, (nempe postqvàm Herodes decessisset,) ipsi *Langio*, *p.* 367. primùm *post Pentecosten* sunt reversi. Qvæ incommoda magis augebuntur & major fiet temporis confusio, si adhuc Herodes, non 33: sed [qvæ sunt *Langii*, *p.* 352. δεύτεραι φροντίδες] 50. *aut* 55. *ante Pascha diebus*, exspiraverit. Ut nihil dicam de *Eusebio*, qvi expressè in *Chronic. Græc. Scalig.* [*Latinum*, mendosum ultrò contemninus] bimulorum cædem refert ad *Annum Christi* II. & in *Histor. Eccles. lib.* I. *c.* VIII. graviter asserit: morbum ultimum Herodis, tanqvàm pœnam demum immissum post Infanticidium At *Langio* itâ non seqvitur morbus, ut etiam ὑπομάζιοι, postqvam *ultra mensem* Herodes jam decubuit, (qvintô scilicet ante ejus mortem die,) primùm trucidati & sublati sint. Sed huic telo prævenit

Langius, *p.* 370. Dum contendit, *ex Eusebio nihil certi haberi posse*, *qvòd in Annis Herodis crassissimè erraverit.* Ego verò memini, *Eusebium Græc. in Chronic. p.* 265. Herodi eosdem annos Regni tribuere qvos *Josephum.* Invenio etiam Christi γέννησιν referri ab ipso ad *annum regni Herodis* λέ. Qvæ haud dubiè *Langius* aut non improbabit, aut non improbare potest. Imò verò esto vel maximè, qvòd Eusebius *Tyranni res* frigidè distinxerit, hoc est: eos ad *annos Augusti*, *aut Olympiades* non rectè redegerit; (neqve enim illud est in qvæstione:) num propterea Vir illô locô positus, saltem ubi γνήσιος, non præsumendus in *Annis Jesu Christi* circumspectior & attentior? Imò verò qvòd talis fuerit, saltem in tempore *Epiphaniæ*, & *Magorum*, (ut in anno χειροτονίας etiam ipsi *Langio p.* 369. satisfecit,) infrà pluribus mox demonstrabimus. Vel me tacente novit *Vir Doctissimus*, Antiqvitatem, si qvando erret, non propterea, etiam ubi vera dicit, aut ubi commodè potest explicari, deserendam aut abjiciendam esse. Restat ergo *Tertia*, nempe *Scaligeri Sententia.* Qvæ si falsa, nusqvàm stabulum confidentiæ. Atqvi ea est verissima. Nititur enim *Charactere infallibili:* qvòd tum, cùm lethaliter *Herodes* decumberet, *Luna passa syncopen dicatur*, Joseph. *Ant.* XVII. *c* VIII. Nulla verò alia *Lunæ Eclipsis* circa hoc tempus potest inveniri, qvàm qvæ incidit in IX. *Januar. Anni Juliani* XLV. Cœpit nempe *horâ primâ post mediam noctem*, *feria septimâ ineunte Hierosolymis: Latitudo Lunæ nulla*, *cùm versaret in Ecliptica. Semidiameter Lunæ* 17. 40. *Summa semidiametoorum* 63. 0. *Digiti ecliptici* 21. 24. *Anomaliæ latitud. med.* 89. 7. 28. *duravit horis qvatuor.* Qvin imò, occurrit *Langius*, *p.* 351.

Ar-

Arbelis *Annô* Julian. XLIV. XX. *Januarii*, etiam Luna defecit. Hunc defectum, auditum ab Assyriis, *Nicolaum Damascenum* annotâsse, & ex hoc ita exscripsisse *Flavium*. Respondeo: Cùm Herodes *Annô* Julian. XLIV. (ut nuper visum) non fuit mortuus, utiqve neqve *Eclipsin Anni* Julian. XLIV. posse esse eam, qvæ sub mortem ejus contigit. Deinde multa hîc in circulum projiciuntur. Probandum *primò*: Nicolaum Damascenum qvi vixit in Judæa, de *Eclipsi illa* audivisse, & si audiverit, annotâsse. *Deinde* probandum: Josephum eam comprobasse, & ex ipsa eam in chartas suas retulisse. Qvæ conjecturæ, ut longè petitæ sunt, ita nihil habent solidi. Etiamnum qværitur qvid seu *hunc*, seu *illum*, seu *utrumqve* impulerit, ut tam alieni cæli symptoma indicarent? An qvod ad morbum Herodis aliqvid contulisse ab iis judicatum fuit? Eqvidem non apparet. Fuerunt enim tam Docti Scriptores emunctioris naris, qvàm ut *Eclipsin ordinariam & parvam* morbos tam graviter acuere posse, somniarent. Imò: qvis unqvàm, seu *Judæus* seu *Syrus*, ita se & alios prostituit, ut *Eclipses Parthicas* in *Judæa*, (ubi non sunt visæ,) posse operari crederet? scilicet, qvalis hæc fuit, vulgatissimas? Addo: Eclipsis hæc facta ἐν νυκτί. *Ant*. XVII. *c*. VIII. Qvomodò facta *Judaici Anni Juliani* XLV. (sicut declaratum,) & non *Arbelensis Anni* XLIV. Nam hæc ipsô *Langii* fatente *circa qvintam vespertinam* desiit. Manet ergo *Herodem* ante Pascha *Anni* XLIV. vitâ excessisse. At obstas cum Petavio, *Doctrin. Temp. t*. II. *lib*. XII. *c*. VI. *p. m*. 413. dicísqve: *Temporis ratio hoc non patitur. Nam ità Herodes, qvi Annô Julianô* VI. *Rex est factus, moriens Annô Julianô* XLV. *non potuit dici regnâsse annos* XXXVII: *Sed nec Archelaus*, IX. *aut Philippus*, XXXVII. *Id qvod tamen ex Jo-*

se-

ſepho conſtat. Scaliger, *Emendat. Temp.* v. *p. m.* 433. iſtô laqveò ut evolvat ſe, videtur ad hanc rimam fugere, qvòd Judæi à tempore *Simonis Hircani* annos Regum non à *Niſan*, aut *Thiſri*; ſed à menſe *Iiar* inceperint. Qvibus conſona habet *Calviſius.* Sed Joſephus, *Ant.* xv. *c.* vii. *Bell. jud.* i. *c.* xiv. inqvit: *Bellum Actiacum incidiſſe in Annum Herodis* vii. (erit is à qvo vicerat *Antigonum.*) Ex qvo εὕρημα *Scaligeri* convellitur. Nam nunqvàm Herodi *Bellô Actiacô*, (*id eſt: Annô* U. C. 723. Dio, *Hiſt. lib.* l. li.) annus regni vii. curret à dejectо *Antigono* (Coss. ſcilicet M. Agrippâ & Canid. Gallô. *Ant.* xiv. *c.* xxviii. annô U. C. 717. Dio, *Hiſt.* xlix.) niſi ſtrictiſſimè anni ejus numerentur, & inveſtitura regni data à Romanis priùs *Joſepho* computetur, qvàm à *menſe Ijar.* Ratio enim *Regni Herodis ante Antigonum*, etiam haberi debet. Unde Nobis, (de *Archelao* & *Philippo* ſuô locô diſputantibus,) hic de *Herode* tutius ſic reſpondere: *Primò* qvidem, (ſed hoc obiter & perfunctoriè,) *Petavium & Aſſeclas* ipsâ ſuâ ſicâ peti. cùm nec ipſorum hypotheſi fiant *Anni Herodis* xxxvii; ſed xxxvi. Herodes enim Rex factus *Annô Julianô ſextô*, ſecundum ipſos *qvadrageſimô ſecundô* obiit. *Deinde:* propiùs ad rem hoc dicimus, qvòd *Joſephus* illic explicandus ſit ϛοχαϛικῶς, & qvod τὸ σχεδὸν tacitè ſubintellexerit. Neqve enim hoc in ipſo novum: & plura, qvæ aliter juvari neqveunt. Sicut dicetur ad *Annum Actiacum* xxxvii. *Num.* 35. Nempe: ut *Joſephus* determinans *regimen Herodis*, *Ant.* xvii. *c.* x. *Bell. jud.* i. *c.* xxi. ϛοχαϛικῶς, *plus* à donatione regni ad Antigonum aſſumit; (numerat enim *tres* totos *annos*, cùm fuerint tantùm *duo & tres menſes. Ant.* xiv. *c.* xxvii. *collat. cum Ant.*

xiv.

XIV. *c.* XXVIII. prout regnum delatum, *Cn. Calvisió* & *Pollione Coss.* Joseph. *Ant.* XIV. *c.* XXVI. id est: Annô U. C. DCCXIV. *Dio, Hist. lib.* XLVIII. & Antigonus expugnatus Claudiô & Norbanô Coss. AnnôU.C.DCCXVI. *Dio Hist. lib.* XLVIII XLIX. seu mense tertiô anni seqventis. *Ant.* XIV. *c.* XXVIII.) Ità *justô minus* accipit ab *Antigono victo* usqve *ad obitum*: nempè *annos triginta qvatuor*; cùm reverà fuerint *triginta sex.* Ex qvibus addendis ita comparatis mirum non est qvòd *summam datis similem* aggregaverit, hoc est: vero proximam, non accuratam. Ut nihil certius, qvàm eâ summâ nos non posse stare: qvippe *Josephum* spontè balbutire, (*confer Num* 35.) & per *triginta septem regni annos*, σχεδὸν *triginta septem* intelligere: hoc est; *triginta octo cum appendice.* Ita, *lib.* II. *contra Apion. p. Gelen.* 1068. ἐλευθερίαν Judæorum æstimat ad *Pompejum*, εἰς ἔτη σχεδὸν εἰκοσί πρὸς καὶ ἑκατόν. † Ubi τὸ σχεδὸν vel in XX. *annis* prodigum est. Nam *Libertas Gentis* cœpit cum *Assamonæorum Principatu.* At hic *annorum* CXXVI. Et à *Pompejo*, qvi servitutem induxerat, ad finem *Assamonæorum in Antigono, anni* erant XXVI. (Uti horum temporum probatio exstat infrà *Num.* 27. 35.) Ablatis ergo *Servitutis annis*, nempe XXVI. de CXXVI. annis totius dominationis *Assamonæorum*, remanebunt *anni Libertatis* ἑκατόν. Ità & ἁλώς. I *c.* XXI. *Ant.* XVII. *c.* VIII. scripserat, *Herodem* mortuum *annô ætatis* σχεδὸν aut πρὶ, [ex nostra emendatione,) LX. Qvi tamen fuit, (Bzovii *Hist. Eccles.* I. *ad Ann. Chr.* I. *n.* I. LXVI. & Baronii *Annal. ad Ann. Chr* 8. *n.* I. LXVII. falsus est) LXI. Nam illic eum ruditer egisse & pingvi minervâ, numerum ro-

† id est: *annis* CXX.

rotundum pro *exacto* * accepisse certum est. Qvomodo scilicet *Scriptura*, propter memoriam, in annis Judicum, *Othonielis*, *Barach*, *Gideonis*, *Samsonis*, *Eli &c.* tot assumit *Qvadragenarios*, qvi neqvaqvàm *pleni* omnes reputandi sunt. Atqve hæc cùm ita sint, Calvisium *in Chronol ad Ann. M.* 3949. *p m.* 425 statuentem, *Herodem mortuum annô Regni* XL. non intelligo aliter qvàm ut falsus sit. Nam certè, cùm ipse *Isagog. Chronol c.* XLVI. *p. m.* 161. supponit Herodem Regem factum *post Pascha Anni Juliani* VI. & *ante Pascha Anni Juliani* XLV. idem decessit, tantum abest, *qvadragesimus regni annus* inciperet, ut nè qvidem *trigesimus nonus* solidus sit. Et hæc contra ἔνστασιν *Petavii*. *Qvæ*, *cum aliis* necessari præmuniendis fecit, ut è via longiùs digrederemur. Nam rectè Serarius, *Opusc. Tom.* I. *in Herod. c.* XXII *p. m.* 245. *Sic se in temporum disputationibus habet res, ut qvi chordam unam tangat, alias moveat simul complures.* Restat adhuc aliqvid in *Salianum.* Sed hujus reliqviæ objectionum sic sunt tenues, ut natam inde discrepantiam qvis admirari possit. *Herodes qvindecennis rexit Provinciam, & latrones sustulit.* Qvid verò hìc ἀπόκοτον? Sunt Adolescentes, qvibus Prudentia, senile qvid, ætatem supplet. *Cicer.* † IV. *Philip.* ut Ju-

* Vid. B. Gerhard. de Interpretat. Script. c. XII. §. 186. p. m. 44. b. Tom. I. Locor. edit. Francof. M DC. LVII. in fol. D. Walther. lib. I. Harmoniæ Bibl. c. IV. Artic. III. §. 71. p. m. 32. extr. edit. Noriberg. M. DC. LIV. in 4to, opt. Bœcler. Adnotat. in Herodian. p. m. 419. edit. Argentorat. M. DC. LXII. in 8t.

† Falsò. Nihil enim ibi præter hæc reperire potui verba; c. I. *Laudo, laudo vos, Qvirites, cùm gratissimus animus proseqvimini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potiùs.* *sunt*

Juniores sæpe perspicacioris ingenii fuerint qvàm Senes. *l.* XXXVII. *ff. de ædil. edict. l.* XCI. *ff. de V.* O Ibi perfecta ætas, ubi perfecta virtus. *Ambros. in Orat. sup. Obit. Theodos.* Romæ, Corvinus, Marcus, Scipio Africanus, Pompejus, Augustus &c: ante tempus, Consulatum, aut alios publicos honores consecuti sunt. *Plut. in Vit. Appian. lib.* III. *Bell. Civil. Alex. ab Alexand. lib.* III. *c.* III. *Plin. de Vir. illustr. c.* XXIX. XLIX. LXVIII. LXXVII. Et cùm in Senatu consultarent, qvemadmodùm Nero, Princeps vix annos XVII. egressus, suscipere eam molem (imperii) aut propulsare posset? responsum: *Octavô decimô ætatis annô* Cn. Pompejum, *nonô decimô* Cæsarem Octavianum civilia bella sustinuisse. *Tacit. Annal.* XIII. VI 2. Philippus, Rex Macedonum penultimus, non modò παῖς ὢν regnum adiit; sed & ἑπτακαιδεκαέτης† multa præclarè gessit. *Polyb. Hist.* IV. *p. m.* 294. Dubitatio *Polybii*, qvomodò posset eâ ætate τηλικούτων πραγμάτων διευκρινεῖν* &c. ad dexteritatem ejus in respondendo, non promptitudinem in agendo spectat. Et qvid mirum de *Annis* XV? Cùm etiam infra eam ætatem, Alexander Severus, *adhuc puer*, in Imperio: *Ælius Lamprid. in Ejus Vit. Volaterr. lib.* XXIII. Henricus aliqvis, *novennis*, in Anglia: *Polydor. Hist. lib.* XVI. Otho III. *Undecennis*, mirabilia mundi dictus, in Germania: *Sigebert. in Chro-*

sunt enim facta ejus, immortalitatis; nomen ætatis. At Philipp. V. c. XVI. & XVII. istud, qvod Noldius vult, multis exseqvitur. Adde C. Barthium in Claudiani Panegyr. v. 68. Consulat. Probini & Olybrii, p. m. 24. b. 25. a: edit. opt. Francof. M. DCL. in 4to.

† *Septemdecim annorum.*

* i. e. *tantis de rebus statuere.*

Chronic. Carolus VIII. *tredecennis*; in Gallia: *Ric. lib.* III. *Franc. Reg.* non ſine laude, publica adminiſtrârunt. Ut nihil dicam de *Anno* XIV qvô Baſſianus; (aliàs Helægabalus) non modò Orbis Princeps, eſt electus; *Herodian. Hiſt.* V c. III. IV. ſ. ſed & in illo fuit vigore, ut in pugna contra Macrinum, eqvô adactô, & gladiô diſtrictô, ſuos fugientes reduxerit. *Xiphil. Epit. Dion in Macrin.* Eſtqve ille annus, qvô Leges iis, qvi ob anticipatam induſtriam, ætatis impetrant gratiam, judicandi & gerendi magiſtratus veniam concedunt. *Beyerlinck in Theatr. titul. Magiſtr. p.* 160. Et qvô, hodiéqve *Reges Galliæ*, inter omnes ferè Principes Europæos maximè ſibi permiſſi & liberi, tutelâ exeunt, & regno admoventur. Rectè Cicero, V. *Philip c.* XXII. Ab excellenti atqve eximiâ Virtute, *ætatis progreſſus* non eſt exſpectandus. Inſtantia de *Agrippa* nihil obtinet: Nam hic ſolus, & toti genti Judaicæ, dolore injuriæ ad motus ſpectanti &c. debuit præfici. *Herodes* autem uni tantùm in Judæa præfuit Provinciæ: Et illud qvidem adhuc ſub aliorum, (nempe *Hircani*, & Patris *Antipatris*,) ſummo patrocinio. Non dicam, ei qvietæ, & necdum irritatæ aut hoſtili. Ut facile ſit animadvertere, qvomodo in *Agrippæ* ætate eſſe potuit diffidentia; qvæ in *Herodis*, nulla. Atqve hæc ad *dubium de annis Herodis*.

Supereſt alterum, *De anno Epiphaniæ*. Nam hoc etiam excuſſuros nos promiſimus: qvô tantò rectiùs hiſtoria rerum Jeſu Chriſti ſub *Herode*, poſſit ordinari, & ad *ejus annos* diſtribui. *Intra Purificationem* acceſſiſſe Magos, contendunt qvotqvot pro *Epiphania*, aut XIII. à Nativitate Chriſti diem aſſumunt, aut XL. *Prior*, fuit vetus traditio, comprobata à *Langio*, *lib.* II. *c.* III. *p.* 367. Prout *Epiphaniæ* feſtum menſe *januariò* dudum celebratum.

Am-

Ammian. Marcell. lib. XX. *Posterior*, fuit sententia Scaligeri, *lib.* VI. *de Emendat. Temp. p.* 254. *seq.* Casauboni, *Exercit.* II. *sect.* IX. Allstedii, *Chronol. p.* 132. Saliani, *in Annal. ad Ann. Chr.* I. *n.* 34. & Aliorum. Nos dicimus *post Purificationem demum magos advenisse*, nixi his rationibus. (1) Qvòd digressis Magis parentes jussi sint fugere in Ægyptum *Matth.* II. 13. ut exinde tempus, se & puerum Hierosolymis παραστῆσαι τῷ Κυρίῳ, *Luc.* II. 22. nullum habuerint. Et qvamqvàm *Matthæus* non addat vocem παραχρῆμα, dicátve illud *statim* factum &c. tamen nihil svadet, ut à *simplici textus litera* discedamus, aut ut moram interponamus. Imò verò, est qvod svadet ut non interponamus. Non dicam, qvòd particula ἰδὲ, hoc significet; qvæ ipsorum est ὑπόληψις: Sed qvòd (2) Si præcessisset *Epiphania*, & per hanc Pueri manifestatio, parentes minimè ausi fuissent Hierosolymam ascendere, & in templo se ostendere: qvi satis à *Magis* fuerant edocti, qvàm *Urbs* & *Herodes*, ad nuncium Pueri fuissent perturbati, & in vicinia deinde ignorare haud potuerant, qvàm Herodes fureret. *Matth.* II. 16. Ut cùm Deus noluerit, ut Magi, (nè puer proderetur) reverterentur, & aliis mediis, qvàm *per fugam*, puerum eripere haud decrevisset, multò minùs passurus fuisset, ut puer ultrò iret Hierosolymam, & se hostibus in manum traderet. *Dicas*: Herodem tempore καθαρισμοῦ non fuisse *Hierosolymis*; sed ad *Callirhoën*. Etiam verò hoc aliqvid nihil est. Nam Herodes primùm *annô seqvente*, (nempe qvô mortuus,) æger eò deportatus est. Atqve esto, qvòd fuerit: num propterea periculô res caruisset? maximè postqvàm Herodes per omnes Urbis angulos, tot haberet *Emissarios*,

rios, per qvos minima qvæqve obſervaret. *Joſeph. Ant.* xv. *c.* XIII. Ut nullô pactô res tam illuſtris, in templo & loco maximè publico, non ſine cantu & ſtrepitu, *Luc.* II. 28. 38. geſta, hoſtes Pueri latere potuiſſet. (3.) Qvod expreſsè Euſebius *in Chronic. Scalig. p.* 267. Annum Chriſti II. adſtruat: cum Chriſtô conceptô εἰκάδι πέμπτῃ τοῦ δυστροῦ μηνὸς *Anni* 4. *Olympiad.* 194. ſub *Anno* 2. *Olympiad.* 195. ità ſcribit: Ἡρώδης τὴν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν πυθόμενος παρὰ τῶν Μάγων τὰ περὶ τὴν Βετλεὲμ ἀναιρεῖ παιδία ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω οἰόμενος καὶ τὸν Χριστὸν τῆς τοιαύτης τοῖς ὁμήλιξιν συναπολαῦσαι συμφορᾶς &c. *Annus tertius*, in Chronico Latino Euſebii, error *Hieronymi* † eſt, à

† Nollem id excidiſſe ſummo viro Noldio, verba enim qvæ ex Euſebio viſus eſt adducere, non ipſius ſunt Euſebii, ſed in ἐπιτομῇ χρόνων (ut Scaligeriana habet Inſcriptio) i. e. Chronico Alexandrino exſtant, qvemadmodùm multis cum aliis reperiuntur eadem p. 472. & 488. edit. Matthæi Raderi. Conf. B. Ægid. Strauch. Ægyptiac. Servatoris noſtri exilium, §. 8. extr. Joſeph. Scaliger, qvamvis in VI. de Emendat. Tempor. contrarium ſcripſerit, in Animadverſionibus tamen ad Euſebium Epiphanii ſententiam non obſcurè approbat. *Infanticidium*, inqvit p. 162. *contigit eôdem tempore ferè, qvô Antipater juſſu patris ſtrangulatus & Doctores Legis combuſti ſunt, paulo aute mortem ipſius Herodis, ut, qvi inter tot cædes vitam tranſmiſiſſet, vitam ſine cæde non relinqveret. Qvòd puerorum cædes non multum præceſſerit Antipatri caſum, tùm ex Euangelio conſtat, cùm annô, à Chriſto nato, ſecundô id contigiſſe, &* παῖδας τοὺς κάτω διετῶν *interfectos fuiſſe, perſpicuè ibi declaratum ſit, tùm etiam ex* Macrobio, *qvi infantes, ab Herode cædi juſſos, & inter illos filium qvoqve*

à Nobis non probatus. Qvò pertinent, (paucis mutatis) qvæ habet Epiphanius, *lib* II. *contr. hæres.* LI. *Magorum*, inqvit, *adventus contigit circa talem casum, ut similis non fuerit commoratio Mariæ & Josephi ei, qvæ apud Lucam propter descriptionem relata est: scilicet, qvòd non esset locus in diversorio propter freqventiam. non enim invenerunt Mariam in spelunca ubi peperit: sed velut Euangelium habet, deducebat eos stella usqve ad locum ubi erat puer; & ingressi in domum, invenerunt puerum cum Maria, non ampliùs in præsepi, non ampliùs in spelunca: sed in domo. Ut cognosceretur veritatis certitudo, & temporis duorum annorum*, (Nobis; secundi anni) *spatium, ex qvo natus est, donec accesserunt Magi.* Adhæc: cùm in eo convenimus, qvòd statim post adventum Magorum, *bimulorum cædes* facta sit, & tùm *Macrobius*, tum *Eusebius* confirment, cæsos bimulos sub extrema Herodis, isqve mortuus *secundo Christi Anni*, &c. qvid restat, nisi ut Epiphaniam etiam ad *Annum Christi* II. *referamus*. Verba *Macrobii* sunt, *Saturnal* II. *c.* IV. *Cùm*, inqvit, *audivisset* [Augustus] *inter pueros, qvos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum jusserat interfici, filium qvoqve ejus occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, qvàm filium* Manifestum est autem sub tempus *Infanticidii* neminem ex Herodis filiis interfectum præterqvàm *Antipatrum*: cujus cædes impii patris fata *dies qvinqve* antevertit. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* X. Qvomodò autem *Eusebius*, *Hist. Eccles.*

qve *Herodis ipsius pœnas dedisse*, *refert*. Probatur insuper Epiphanii sententia *Fabro Stapulensi*, *Matthæo Beroaldo*, *Gerhardo Mercatori*, *Danieli Tossano*, & aliis innumeris propemodùm Scriptoribus.

cleſ. I. *c.* VIII. aſſerat, *ſtatim aut brevi morâ interpoſitâ*; imò, ἅμα τῇ κατὰ τοῦ σωτῆρος καὶ τῶν ἄλλων νηπίων ἐπιβουλῇ, Herodi plagam inflictam, qvâ exſtinctus, patuit ſuprà in *in verbis ejus, circa finem Vitæ Herodis adductis.* Ut *Saliani* impudentiam ſatis mirari haud liceat, qvòd *in Annal. ad Ann. Chr.* I. *n.* 13. ſic auſit ſcribere: *In biennium qvoqve Magorum adventum differt in Chronicô Euſebius, ſi tamen Euſebius. Nam in Codice Græco, qvem edidit Scaliger, nihil ea de re habetur. Ut ea potiùs Hieronymi Interpretis, & Amplificatoris, qvàm Euſebii ſententia dicenda ſit. In Eccleſiaſtica verò Hiſtoria, ſi Græcam conſulueris, nullum verbum reperies, qvô aut citiùs aut tardiùs contigiſſe Epiphaniam ſignificet Euſebius.* At qvid hoc ſibi vult? aut qvid eſt fallere, ſi hoc non eſt? Verba *Euſebii*, tàm ex *Codice Græco Scaligeri*; qvàm ex *Hiſtoria*, manifeſtiſſima ſunt: & (qvamdiu illa perſtat hypotheſis, *qvòd* παιδοκτονία *Epiphaniam mox ſeqvuta ſit,*) conſeqventia inde deducta multò planior, qvàm ut *Saliano* qviſqvam poſſit aſſentiri, niſi qvi prorſus fungum pro cerebro, & peponem pro corde habeat. Ità ergò *ratione*, & *teſtibus* oſtenſum: *Epiphaniam*, (& qvæ hanc excipit, *fugam*, *Infanticidium &c.*) non ante *Purificationem*; ſed *Annô Chriſti ſecundò* demum contigiſſe. Ut hic rerum fuerit ordo. Incipiente *Annô Julian.* XLIII. qvi eſt nati Chriſti, in Januario *Stella* fulſit. * Dum in-

† At auctore Strauchiô, l. c. §. 11. rectiùs longè faciunt illi, qvi ſtellam Symbolum τεχθέντος βασιλέως, i. e. *regis nati*, non τεχθησομένου fuiſſe cum Magis obſervant. Ubi & hac pro ſententia adducit Auguſtinum, Bernhardum & Janſenium. Verba non exſcribo, prope-

intereà *Magi* conferunt, (neqve enim fortean statim

pediem enim exsolvat debitô isto in Fascibus nostris. In præsentia advertimus, potissimos interpretes ac plurimos locum Matth. II. ita 2. exhibere, *ubi est ille Rex Judæorum, qvi natus est?* ita enim Beza; Tremellius, *ubi est Rex Judæorum qvi natus est?* Vulgatus: *Ubi est, qvi natus est, Rex Judæorum?* Erasmus: *Ubi est ille qvi natus fuit, vel est Rex Judæorum?* Arias, *Ubi est qvi natus est Rex Judæorum?* Qvoniam verò Participium Aoristi τεχθεὶς notat tempus proximè præteritum, &, ut *Flaccius*, p. m. 13. monet, etiam *Herodes* & natus erat, & pro Rege Judæorum habebatur; ideo à qvibusdam Metaphrastis τὸ τεχθεὶς, hôc locô de Christo usurpatum, translatum est, *nuper natus*. Nempe *Flacius* & *Piscator* reddiderunt, *ubi est ille nuper natus Rex Judæorum?* similiter *Luth.* wo ist der newgeborne König der juden? *Svec.* hwar är then nyfödde juda Konungen? *Dan.* edit. 1550. 1632. huor er den nyfodde jodernes Konge? *Island.* huar er sa nyfœdde Konge Gydinga? Ger. Jo. Vossius in Nicol Clenardi Institutiones Lingvæ Græcæ, p. m. 114. edit. opt. Amstelod. CIↃ. IↃC. LX. in 8t. hæc habet: *Illud verò notandum omnino est, qvòd, cùm Aoristus pro Perfecto sumitur, ut sumitur sæpe, qvemadmodùm etiam pro Plusqvamperfecto, ac Imperfecto, designetur tempus jam recèns Præteritum; contrà ac si Præteritô Perfectô utamur, tum enim agimus de tempore non adeo nuper elapso. Sic Euangelista Matthæus, c.* II. I. *notat, Magos venisse ex Oriente, τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος*, non Ἰησοῦ γεγεννημένου; *ut doceat, venisse eos, Jesu nuperè, non jam diu, natô. Atqve hinc etiam confutavimus Dissertatione nostrâ*, de natali anno Christi, thesi 28. *eos, qvi, qvòd Magos ex Oriente tredecim dierum spatiô id itineris non potuisse conficere existimarent, annô, vel bienniô vulgarem Chisti natalem anticipant. Vide etiam Casaubonum, exercit.* II. *ad Annal. Ecclesiastic. Baron. c.* IX. Hæc Vossius. Confer suprà p. 421. & Noldium ex adverso infrà, p. 471. s. 474. s.

tim rem intelligunt) iter decernunt, & ad illud se præparant, tandémqve illud instituunt & veniunt, *Annus Julianus* XLIV. fermè jam exiverat. Ut *affectô Decembri*, IV. scilicet aut V. *Kalendas Januarias*, Hierosolymam primùm sint ingressi. Erat tum minimô minus *Biennium*, à qvo Sydus visum ἐν ἀνατολαῖς. (Non μετὰ δύο ἐτῶν χρόνον. cum *Epiphan. lib.* I. *contr. Hæres. Tom.* II. *p. m.* 154.) Ut hoc modô, rogati ab Herode, *Biennium* rectè dicere potuerint. *arg. Math.* II. 7. 16. At erat *Annus Christi incipiens secundus*: Ut qvi secundum Tabulas Censorias, *teste Chrysostomô in sermon. d. Natali*, natus fuit VIII. *Kalend. Januar.* annô; (cujus sæpè meminimus,) *Julianô* XLIII. *secundô* aut *tertiô Januarii* seqventis, Herodes adhuc sanus & vegetus, delusum se sentiens sævierit in bimulos. Dico: *adhuc sanus & vegetus*. Nam si *Macrobius* statuit bimulos simul interfectos cum *Antipatro*, utiqve hallucinatur. Sed nihil opus hoc de ipso suspicari: Cùm dicere possit, bimulorum & Antipatri cædes, qvòd paucis tantùm diebus differrent, unô tempore Romæ auditas, sed non unô factas. Ut illud Macrobii: *inter pueros &c.* possit exponi, *præter pueros*. Qvomodò si qvis diceret: *Cum audivisset Lysimachus, inter Cognatos Alexandri, qvos in Macedonia Cassander jusserat interfici, matrem qvoqve Alexandri occisam &c.* non inferret necessariò, *hunc* cum *illis* eòdem interfectam tempore; sed tantùm *qvòd simul illæ cædes cognitæ*, aut *qvòd sibi proximæ contigerint*. Erat præterea circa hæc tempora *Urbs* & *Regia* etiam tranqvilla. Ut admitti *Magi* tùm præ turbis sat potuerint. Clarum id est ex ipsorum reditu, qvos *Herodes* Romam miserat. Nam illi ante cæsum Antipatrum ad *Herodem* fuerant reversi. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* IX. Id qvod vix tum fieri potuit, nisi ad

ad minimum *ad Bimestre* absuissent. Qvis enim intrà brevius tempus, eos non solùm ire & redire; (γραμματοφόροι *mortis Caji*, utut ἀπλοῦντες, ultrà XXVII. *dies* itineri impenderant. ἁλώς. II. c. IX.) sed & mortem *Acmes*, & responsorias de *Antipatro*, qvi tot in Urbe & Aula sibi fecerat obnoxios, à *Cæsare* etiam, Herodis in filios animum antè suspectum habente, & qvi tam serò ad consentiendum super morte filiorum Mariammes &c. adduci voluit. *Joseph. Ant.* XVI. c. VIII. XVI. impetrare potuisse crederet? At qvô tempore *Legati* abirent, omnia certè Hierosolymis pacata. Proditio parricidalis detecta, sontes imò & suspecti examinati; & caput turbarum *Antipater* missus Hierichuntem in custodiam. Paulò post mactatos infantes, Herodes ægrotare incipit. Cujus morbô lethali compertô, *Sophistæ*, VII. an VIII. *Januarii* conspiratione factâ Aqvilam decutiunt: & ob hoc *die seqvente*, (ut qvem noctu *Lunæ Eclipsis* seqvuta) suppliciô afficiuntur. Inde Herodes ad *Callirhoën* proficiscitur. Cujus usu debilitatus magis, qvàm refectus; *Hierichuntem* defertur, & illic moritur. Sed *qvô Anni mense*? aut *qvotô die ante Pascha?* Nam eò etiam lubeat excurrere. Edoardus Liveleus *in Chronolog.* adprobante *Usser. Annal. ad A. M.* 4001. *p.* 535. diem assumit VII. *Mensis Cisleu*, id est: XXV. *Novembr.* qvod ex מגילת תענית (volumine Jejunii) constet, *Judæos illum diem celebrâsse, qvòd Herodes, qvi Sapientes oderat,* † *illô decesserit.* Sed hic Rabbi-

† Ego habeo Codicem Talmudicum de Jejunio ex Hebræo in Latinum versum commentariisqve illustratum à Cl. Daniele Landio Sveco, edit. Traject. ad Rhenum CIↃ. IↃC. XCIV. in 8r. perlegi illum, sed istum locum non inveni.

binicus Epilogismus cum *Eclipsi suprà*, neutiqvàm conciliari potest. *Langio* in *Ann Chr. p.* 350. *seq.* placet XIX. *Februar.* & vel *qvinqvagesimus Dies ante Pascha.* Id qvod etiam supra, *p.* 454. monitum. *Nobis* vel *dies* XXX. *pauciores* sufficiunt: Ut in *Martio* Tyrannus exspiraverit. At, inqvit Langius: *Qvot dies tantæ pompæ præparationi impensos credas?* Ego verò, qvantum Langius & *præparationi*, & *Archelai reversioni* tribuit, *dies* VIII. facilè concesserim. Pergit Langius: *Cùm Josephus Bell. jud.* I. *c.* XXI. *asserat, pompam funebrem versus Herodium, per* 200. *stadia fuisse observatam, & Ant.* XVII. *c.* X. *per* 8. *stadia, aliter ea explicari neqveunt, nisi ut dicatur Josephum unô locô totam viam descripsisse; alterô autem cujusvis diei. Nec commodè plus unô die, qvàm octo stadia absolvere poterant tantæ solennitati intenti, diebus brevioribus, & viis propter hyemem difficilibus. Divide ergò* 200. *per* 8. *habebis dies* 25. *qvibus funebris pompa duravit.* Imò verò inqvam ego: Divide 200. per 32. (qvot stadiis constat *milliare Germanicum*] & habebis *milliaria* $6\frac{1}{4}$. Qvibus Herodium Hierichunte distaret; qvibúsqve absolvendis, (non *horæ* sed] *Dies* 25. cum *Langio*, essent insumendi. Qvod cùm sit absurdum, necesse est aliâ insistamus viâ, & suspicemur qvod res est: *Josephum hîc, ut alibi, corruptum esse.* At sana est lectio διακοσίων, in *Libro* ἁλώσεως. Uti etiam *stadia ducenta* Hegesippo sunt, *Excid.* I. *c.* XLVI. *Hierichus* enim, ubi mortuus Herodes, & ex qva funeris solennitas incipiebat, *stadiis* CL. aberat à Hierosolymis. *Joseph. Bell. jud.* V. *c.* IV. Et ultra Hierosolymam, ἐν συντονωτέρᾳ πορείᾳ versus *Masadam* & *Idumæam*, LX. *stadiis Herodium* distabat. *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XXV. & *lib.* XV. *c.* XII. *Bell. jud.* I. *c.*

XI.

XI. XVI. Qvæ aggregata, *ducenta & decem* faciunt *stadia*, pro *distantia Herodii* à *Hierichunte* si qvis iret λοξοδρομῶν per Hierosolymam. At hâc ad *orientem* relictâ si qvis rectà iret, x *stadiis* breviùs iturus esset. Rectè ergò illa consignata sunt. Fallit verò *Liber Antiqvitatum*. In qvo scilicet pro *octo stadis*, (viâ funeris diurnâ) legenda, aut *viginti*, aut *triginta octo*. Ut notam κ'. aut λ'. incuriâ Librariorum omissam sit necesse. Rectè Torniellus *in Annal. ad Ann. M.* 4051. *a.* 33. *Credimus*, inqvit, *verum esse, qvod nos aliàs, & alii qvoqve observârunt: nimirum potuisse sive Librariorum errore, ut fit, sive Typographorum incuriâ aliqvid vitium in Josephi codicibus alicubi, præsertim verò in annorum numeris interdum irrepere. Qvin potiùs verum esse, qvod de hoc Autore scribit* Melchior Canus, *lib. locor. Theolog.* XI. c. V. *ad* 9. *prop. fin. dictæ respons. sed in numeris, inqvit, Josephi Libri menda habent innumera, qvæ, ego, menda Viro diligentissimo atqve gravissimo assignare, nec volo nec debeo.* Hâc ratione *octo supra viginti stadia* dietim progressi, VII. *circiter die* Herodii esse potuerunt. *Instantia ab Hyeme aut tarditate pompæ sumpta*, nulla est. Nam cum 28. *stadia*, necdum *unum* faciant *milliare*, abunde illud tantulum iter, & ad pompam foret suspensum, & dietim vel in *Solstitio*, obiri posset; cùm *Discipuli Emauntici*, (incertum adhuc qvâ horâ egressi,) penè circa idem anni tempus, iter longius pedibus confecerint. *Luc.* XXIV. 13. 29. Addo verò posse fieri, ut vel *major numerus* in *Josepho* sit expunctus, & ut *dies singuli exseqviales* vel *octo supra sexaginta stadia*, (duo circiter milliaria) absumpserint: Ad qvod suspicandum moveor, qvòd *Archelaus Romam festinaverit.* ἔχων τὴν ἐπὶ ῥώμης ὁδῶν ἀνυέσθαι προκειμένην αὐτῷ τάχος &c.

Joseph. Ant. XVII. *c.* II. *Bell. jud.* II. *c.* I. Festinanti verò, omnibus salvis, iter longius diurnum potuisse confici, in comperto est. Institit Langius: *Sed &, inqvit, dies unus aut alter itineri ac reversioni Archelai à castello Masada versus Hierosolymam tribuenda erit.* Voluit dicere, *à castello Herodio.* Nam in *Masada* Archelaus tum non fuit. At cum *Herodium*, LX. tantum *stadiis* esset dissitum à Hierosolyma, potuit ea festinans, non *uno aut, alterô die*; sed *alterâ etiam horâ* emetiri. Post exseqvias facilè *dies* VII. largior: Sed invenio Archelaum post finem luctus & ferale convivium, mox in concionem venisse & multis populo datis & promissis, reqve sacrâ peractâ, *illô ipsô die post meridiem*, dum Archelaus esset ad prandium cum amicis, populum cœpisse tumultuari. Ad qvem leniendum postqvàm dies (utiqve non multi,) consumpti essent, ita erat præ foribus *Pascha*, ut *Archelaus* ipsô die ἑορτῆς, (ἑορτὴ autem πάσχα καλεῖται. *Ant.* XVIII. *c.* VI.) cùm sentiret *verbis* se nihil proficere exercitum totum in seditiosos miserit, & eos aut cæciderit, aut disjecerit. *Joseph. loc.* Ex qvo patet, qvàm non dies XV. (id qvod subjicit Langius) interjici possint inter hunc tumultum & *Pascha*: Cùm vel *dies* IV. suffecissent. Nam tùm, cùm erumperet seditio, partem populi nec dum ad festum convenisse, ut non *diebus* IV. potuerint accessisse reliqvi, ex *Josepho* non intelligo. Qvin potiùs ex *Josephi characteribus* hoc intelligo, qvod dictum; nempe qvod abundè Herodes *intra diem trigesimum ante Pascha* decesserit. ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Atqve eum in ordinem composità historià, & *rebus Christi biennalibus* excussis, multæ tricæ ultrò se aperient. Certè non opus, cum *Jansen. c.* II. *concordant. Baron. ad Ann. Chr.*

I.

1. *n.* 35. *Bzov. Hist.* Eccles. 1. *p.* 14. *n.* 19. *& Aliis, post Chrysost. Homil.* VII. *in Matth.* hariolari, qvòd Herodes bimulis minores occidens, majoris securitatis causâ, æqvè in *tempore*, ac in *loco*, Math. 11. 16. 5. 8. fecerit superfluum. Nam Herodi infans reqvirendus fuit non ad tempus γεννήσεως Pueri, (illud enim ignoravit;) sed ad tempus φάσεως τοῦ ἀστέρος: à qvo *annum secundum* volvi, Magi eum λάθρα jam docuerant. *arg. Matth.* 11. 7. 16. *Janseniana* enim, & *Baroniana Glossa*, qvâ *loc. cit.* bimulos interfectos computat à stellæ tempore retrogrediendô: *Qvasi post ortum ἀστέρος nati, tanqvàm extra suspicionem positi, non fuissent jugulati &c.* falsâ nititur hypothesi, & violenta est. Supponit enim cum Theodor. *in Epit. ad Clem. Alexandr.* Cyprian. *apud August. Sermon.* III. *de Epiphan.* August. *Serm.* VI. Chrysostom. *Homil.* VI. *in Matth.* Suar. *t.* II. *part.* III. *disp.* XIV. *s.* 4. Salian. *in Schol. ad Ann. M.* 4053. qvòd stella, tanqvàm signum Pueri nati, & non nascituri, Christo fuerit coæva. At si Stella priùs, qvàm Infans, (more aliarum *Novarum Stellarum*, qvæ signa sunt rerum imminentium, non præsentium. *Scalig. de Emendat. Temp.* VI. *p. m.* 254.) haud præextitit, qvomodò magi *intrà dies* XIII. (qvod ipsi illi Autores defendunt: nisi qvòd *Salianus*, sibi non constans, jam minus diebus XL. seu purificationis, *ad Ann. Chr.* 1. *n.* 34. jam trimestre, *ad Ann. cit. n.* 4. assumat,) comparere potuerunt? An enim intrà tam paucos dies, magi & necessariis instrui, & ex oriente, (esto vel camelis, qvorum celeritatem ex fuga Zenobiæ *apud Vopisc. in Aurelian. c.* XXVIII. frustrà captat Gordonus *in Matth.* 11. 13.) terrâ advolare, & Hierosolymam totam turbis implere, & ibi exami-

minari, *Matth.* II. 3. 4. 7. 8. potuerunt? ex *Oriente* dico, tantô itinere? nempe ex *Cappadocia*, *Mesopotamia*, aut *Persia* (ubi *Magi*, per Strab. *Geogr.* XV. XVI. *Appian. de Bell. Syr. p. m.* 125. *Philon. de spec. legat. Plin Histor. Natur.* VI. *c.* XXVI.) Et sic minimè ex *Arabia*; * cum Baron. *ad Ann. Chr.* I. *n.* 31. Bzov. *Hist. Eccles.* I. *p.* II. *n.* 5. Langio, *de Ann. Christ. p.* 306. & aliis, post Justin. *in Dialog. cum Tryphon.* Tertullian. *lib.* III. *contr. Marcion.* Cyprian. *Oper. Card* Epiphan. *in comp. Doctr. &c.* Magos enim in *Arabia* fuisse, testibus nondum idoneis compertum *vide Casaubon Exercit.* II. Sect. IX. *p. m.* 182. Dico: *Idoneis*, Nam *Patres* recensiti, qvi hoc statuunt, non dicam seris seculis vixerunt; sed ex *Prophetia Bileami*, temerè ad hoc credendum sunt inducti. *Langius* errat, cùm ex *Plin. lib.* XXV. *c.* III. Magos in Arabia præsumit. Nam *illô locô Plinii*, ejus rei neqve vola, neqve vestigium est. Meminit qvidem Plinius, *lib.* XXX. *c.* I. *Hippoci* cujusdam, Arabis magi: Sed an ille in *Arabia*, an verò in *Persia*, (ubi haud dubiè artem didicit, sicut illic ei prima origo, & maximus honos &c.) magiam fuerit professus, in incerto est. *Thus*, *myrrha* &c. etiam alibi qvàm in *Arabia*; saltem *per permutationem.* Strab. *Geogr.* XVI. *Conf. Ezech.* XXVII. 22. *Esa* LX. 6. *Certè arbor thuris* sata & in Carmania. *Plin. Hist. Nat. lib.* XII. *c* XIV. & *myrrha* etiam Indica & Trogloditica. *id l. cit. c.* XIII. XVI. Breviter: *Arabia* veteribus in genere alia ἀρωματοφόρος, & ea versùs *austrum*; alia ἔρημος (sub qva, ni fal-

*Confer omnino hæc mediocri diligentiâ excutientem pro ratione Programmatis Cl. Dn. Cellarium, Progr. XIX. p. m. 196. s.

fallor, *Petræa*,) versùs *boream*. *Geogr.* XVI. *Stephan. de Urbib. in Arab.* Ex *neutra* hôc modô venissent *Magi*; ut qvæ fuisset seu πρὸς ἄρκτον, seu πρὸς νότον: magi verò *ex Oriente* accesserunt. Qvomodò magis se implicat Bzovius *loc. allegat.* cùm magos *ex Saba* trans Arabiam deducit. nam Regina *Sabæ*, 1. *Reg.* x. 1. 2. *seq.* Regina *Austri* est. *Math.* XII. 42. *Luc.* XI. 31. Et Scheba, *australis*, respectu terræ Israël. *Aben Ezra in Dan.* 11. 6. Imò: *Sabæi*, gens *Arabiæ desertæ*; qvæ προσάρκτιος, seu πρὸς ἄρκτον συνάπτουσα τῇ Συρίᾳ *Strab.* & *Stephan. loc. cit.* Et qvamqvàm hujus *angulus aliqvis*, [nempe excurrens *è Petræa* &c. *Joseph Bell jud.* III. *c.* II. aut *Asphaltite*. *Plin. Hist. Nat. lib.* V. *c.* XVI.] esset judææ *orientalis*; [de qvo, aut falsò loqvitur *Tacitus*, *Hist.* V. VI. 1. cùm *judæam ab Oriente terminatam Arabiâ*, *scribit*;] tamen qvia *Matthæus* utitur voce ἀνατολῶν, planum est, eum designare locum *totum & toti judææ Orientalem*. Qvalis utiqve alius, hoc est: remotior, qvàm *Arabia*. Ideóqve, si Magi ex *longinqvo* profecti tamen venerint intra *dies* XIII. necesse est priùs *Stella* se ostenderit, qvàm in lucem puer fuit editus. *Deinde*: cùm Mathæus, *c.* 11. 16. inqvit: Καὶ ἀποστείλας ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας, τοὺς ἐν Βηθλεὲμ, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, ἀπὸ διετοῦς, καὶ κατωτέρω, κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν Μάγων; *&c.* qvis non *simplicem hunc sensum* accipit, qvòd carnificina fuerit exercita in bimulos, [porrò, & non retrò,] numeratos à tempore, qvô diluxit sydus? Secundum qvem etiam potest dari *ratio*, ob qvam *bimulis minores* trucidati sint. Scilicet: qvòd intra *biennium*, hoc est; ortum ἀστέρος, & *Epiphaniam*, oporteret natum

eum,

eum, qvi qværeretur; & ſic inter cæſos deprehendi. Qvæ *ratio* in ipſorum ſententia, prorſus nulla eſt: Qvando hic rectè locum habeat, qvòd ſi Chriſtus exactè bimulus, *Minores bimulis*, tanqvàm in qvibus nulla ſuſpicio, ad ſupplicia exqviri non potuerint. Cavillatio eſt, qvòd Herodes majoris cauſsâ ſecuritatis, æqvè hìc *tempus*, ac *locum*, Matt. II. 16. ſ. 8. ſupergreſſus ſit. Nam qvi ſcivit, Chriſtum *Bethlehemi* naſciturum, non ſtatim ſcivit, eum inde in loca alia non iri deportatum, poſtqvàm natus eſſet: & ſic *rationem* habuit eum non ſolùm in urbe *Bethlehemo*; ſed & *in vicinia* qværendi. At qvi ſcivit tempus nati Chriſti, (ſi hoc qvidem cum *Cometa* incipit,) extra illud, & inter ante natos, qværere eum, niſi ſtolidus, non potuit. Aut verò qvis mallet cum *Aliis* jocari; qvòd Herodes crediderit ſatellites potuiſſe decipi, ut *puerum bimum* pro *necdum menſtruô* ſupponi ſibi paterentur, & hunc ab illo, *præ ſtaturæ æqvalitate*, certò ſatis non valuerint diſcernere? Utrum verò in his, an iis, qvi hoc ipſis tribuerunt, *glaucoma* fuerit, puto manifeſtum eſſe. Nam nos rectà ex his tricis pergimus. Supereſt verò priuſqvàm hinc diſcedamus, ut paucis etiam reſpondeamus iis, qvi pro *Epiphania Qvadrageſimali* pugnant. *Primum argumentum* invenio deſumptum ab *Aoriſtis Mathæi*, c. II. I. 2. γεννηθέντος, & τεχθείς. Illud τεχθείς, inqvit *Scaliger de Emendat. Temp.* VI. *p. m.* 254. non διετὲς παιδίον, ſed ἀρτιγενὲς ſignificare, non negabunt, qvi vel mediocriter Græcè ſciunt. Et addit *Caſaubonus*, *Exercit.* II. *ſ.* IX. *p. m.* 178. [qvem ſeqvitur *Langius de ann. Chr. p.* 366.] Illud primùm, *ait*, obſervemus: dixiſſe Euangeliſtam γεννηθέντος,
non

non γεγεννημένȣ. *Hoc* de perfecta multò etiam ante actione rectè usurpâris; *illud*, de paulò ante perfecta, & adhuc qvasi pendente. *Participii aoristi* eam vim esse, ut simul denotet *celeritatem adventus*. sicut aliud est: ἰωάννȣ τρωθέντος, ἦλθεν ὁ ἰατρὸς, aliud ἰωάννȣ τετρωμένȣ &c. Ego verò illud firmiter inde seqvi non intelligo. Nam tempus ἀόριστον, Græcis ideò dicitur ἀόριστον, qvòd præterita ejus significatio incerta sit, *paulóne ante, an multò* res præteriêrit.. *Institut. Græc. in Oper. Reg.* Imò verò secundum *Alios*, & ut res loqvitur, ideò ἀόριστον est, qvòd non modò *temporis præteriti*, [etsi illud sæpius, & ordinariè] sed *& præsentis*; † ut *Math.* XXIII. 2. *Luc.* I. 47. *&* XV. 16. *Joh.* I. 12. imò *futuri*; ut *Joh.* VIII. 58. *&* XI. 56. *&* XV. 6 *addatur Marc.* XIV. 30. *Luc.* II. 26. *Joh.* IV. 49. habeat significationem. Certè cùm Judæi dicunt: τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναός. *Joh.* II. 20. Aoristus ᾠκοδομήθη non potest designare templum *paulò antè* exædificatum. Nam qvà potiorem substantiam dudum sub *Herode*, annô scilicet regni ejus XXVII. fuit fabrefactum, *Ant.* XV. *c.* XIV. & qvà exqvisitam consummationem adhuc etiam sub manu fuit: absolutum scilicet diu pòst sub Floro. Nam ἤδη

τότε

† Vide B. Glass. lib. III. Philolog. Tract. III. Can. XLVII. p. m. 645. s. al. 373. Georg. Pasor. lib. I. Grammat. Græcæ Novi Testam. c. XXIV. ita enim numerus constituendus pro vitioso XXIII. p. m. 234. s. edit. Gröning. CIϽ IϽC. LV. in 8t. Dan. Vechnerum, lib. I. Hellenolexias, c. XIV. p. m. 153. s. edit. opt. Lipsiens. M. DC. LXXX. in 8t. Joh. Rhenium, part. I. Græc. Grammat. p. 108.

τότε κὴ τὸ ἱερὸν τετέλεϛο. *Ant.* XX. *c.* VIII. Adhæc: cùm Iſocrates, *princip. Panegyric.* inqvit: πολλάκις ἐθαύμασα τῶ τὰς πανηγύρεις συναγαγόντων, κὴ τὰς γυμνικὰς ἀγῶνας καταςησάντων, &c. *Aoriſti*, συναγαγόντων, & καταςησάντων, actionem noviter factam, aut adhuc pendentem non inſinuant; cùm *Ludi gymnici*, non tum primùm, ſed *multò ante à majoribus* fuerunt inſtituti. Unde & *Scaliger* Aoriſtis hiſce ita diffidit, ut poſteà palinodiam cecinerit, & *magorum adventui*, mortiqve Herodis *annum* Chriſti *ſecundum* attribuerit. Scribit enim *Animadverſ. p.* 160. *Matthæus apertè dicit Herodis juſſu pueros à bimatu & infrà interfectos fuiſſe, poſtqvàm ex Magis tempus nati Meſſiæ exqviſiviſſet. Bimulo igitur proximum pronunciârant & ab ejus natali ad eam diem biennium, aut paulò minus interfuiſſe.* Hæc ille. Ut ita, qvid ex *Aoriſtis*, etiam *participiorum*, poſſit colligi, notorium ſit. [Qvamqvàm *Nos* puerum propiùs *annuum*, qvàm completè διετῆ ſtatuimus: & ſic actionem non ita diu antè præteritam defendimus.] Neqve enim qvia Mathæus *c.* II. I. magorum adventum nativitati Chriſti proximè ſubjicit, ideò etiam proximè ſic contigit. Nam Matthæus *ferè biennii* lacunam habet: ſaltum faciens à nativitate ad Epiphaniam, & *Lucæ* intra id tempus geſta, *circumciſionem* ſcilicet, *purificationem*, & *iter in Nazareth &c.* relinqvens. De qvo Epiphanius, *lib.* II. *contr. hæreſ.* LI. *Matthæus*, inqvit, *ubi recenſuit qvòd natus ſit in Spiritu S. & conceptus ſine viri ſemine, nihil de circumciſione dixit, neqve qvidqvam ex iis qvæ facta ſunt circa ipſum ante* [potius, intrà] *duos annos: ſed exponit adventum* Magorum &c. *ut non ſit hoc tempus de qvo Lucas tractavit. Sed Lucas antè* [potius intrà] *duos annos facta narrat.*

Mat-

Matthæus verò ubi dixit de nativitate transilivit ad biennale tempus &c. Hæc Epiphanius. Institit Casaubonus, *loc. cit. p.* 180. Non multô post nativitatem advenisse magos, declarat locutio Euangelistæ, inprimis autem illud ἰδού. Idem urget & Salianus, *in Annal.* At particulæ הן, seu הנה, vel ἰδού, asterismi tantùm Spiritus S. sunt, qvibus *attentionem excitare*, & *rem evidentem demonstrare* vult. Sicut *Gen.* I. 29. 31. *&* XII. 8. *&* XXIIX. 15. *&* XXIX. 2. 25. *Esa.* LVIII. 9. *&* LXV. I. *Matth.* XXV. 6. *Joh.* I. 29. *Act.* I. 10. *&c.* tantúmqve abest, *rem nuper factam* semper inferrent, ut etiam sæpe *rebus demum futuris* adhibeantur, *Psalm.* XL. 8. *Esaj.* VII. 14. *Zachar.* IX. 9. *Math.* I. 23. Qvin & interdum *explendi* tantùm *gratiâ* semiotiosè adsciscantur. *confer Glass. Grammat. Sacr. lib.* I. *tract.* III. *can.* IV. *& lib.* III. *tract.* V. *can.* XV. Deniqve, ita insurgit Scaliger, *lib. cit. p. m.* 256. magi in oppido Bethlehem puerum Jesum adorárunt. Qvòd si in oppido Bethlehem, ergo intra purificationem: Nam eò Maria, [*addit Langius loc. cit.*] post purificationem minimè reversa fuit. *Luc.* II. 39. *Respondeo:* Fuga contigit ex Bethlehemo; ergo Maria post purificationem fugiens, etiam post purificationem Bethlehemi fuit. *Minor* probatur. Qvia inde jussa est Maria fugere ubi erat periculum ab Herode. Jam verò *Bethlehemi* tantùm erat periculum, qvia ibi Herodes à Scribis audiverat Christum nasciturum: Sicut ibi etiam cædem instituit. *Matth.* II. 5. 16. Ut si *Maria* post purificationem tantùm fuisset *Nazarethæ*, *Luc.* II. 39. fugâ minimè habuisset opus, cùm illic Herodes pueros nullos fuisset occisurus. Manifestum est ergò *Mariam* post purificationem, ex *Nazareth* reversam *Bethlehemum.* Non repetam, qvæ suprà fuerunt ad-

ducta: ſcilicet, qvòd *Mathæus*, c. II. 13. *Parentum fugam, Magorum diſceſſui proximè ſubjiciat.* Ut qvomodò *hic* ex *Bethlehem* factus; ita & *illa.* At occurrit Scaliger, *loc. cit.* Qvid faceret mulier advena deinde Bethlehemi in diverſorio? Plures illam cantilenam canunt. Qvaſi, ſi nobis *ratio* non ſuppeteret, res propterea non potuit eſſe facta. At neqve omnis *ratio* deficit. Nam qvid ſi Virgo *ex domo Davidis*, ſemel viſô Bethlehemô, & fortè, (qvid enim impedit?) illic conſangvineis, repertis, maluerit poſteà habitare *in Urbe Davidis, Bethlehemo*, Luc. II. 4. qvàm *in Galilæa*? Certè, niſi lares in *Nazareth* reliqviſſet, & migrâſſet *Bethlehemum*, anteqvàm fugiſſet, reverſa demum, non contendiſſet in *Judæam*, ſed in *Galilæam*, ad domum ſuam. Atqvi verò petiit *Judæam*; & eam primò habuit in animo. *Matth.* II. 21. 22. Ut clarum ſit eam, relictâ *Nazareth*, illic rerum ſuarum ſedem jam ante poſuiſſe. *Deniqve*: Si nulla alia *reditus in Bethlehem* ratio dari poſſet, una hæc ſufficeret, qvòd Maria eò Numinis inſtinctu rediiſſet, ut *Magos*, (alibi qvàm in *Bethlehem* Puerum neſcientes qværere) illic opperiretur. Secus enim *Magorum iter*, & tam illuſtre *Gentium vocationis* proludium, fuiſſet irritum; & *Puer ipſe*, honore ſuô, támqve inſigni, caruiſſet: Atqve itâ *objectionibus etiam Adverſæ partis* fuit reſponſum, & ſententia *Euſebii*, de *Anno Epiphaniæ* vindicata, atqve illuſtrata. Qvam miror Doctos ita inſectari. Qvaſi non foret ex Divina nemeſi, ut *infanticidium* Herodi ſcelerum ſupremum eſſet, & ut illud μάςιξ θεήλατος mox ſeqveretur: aut qvaſi non eſſet Scripturæ ſatis, ut *Magi* eſſent *Gentium primitiæ*, etiamſi illud non ſtatim; ſed demum *ſecundô Chriſti annô* fieret: aut qvaſi non poſſent *menſes aliqvot* ſatis eſſe ad *exilium Ægyptiacum &c.*

No-

Nobis, ut qvæ ſimplicem *Dei Amanuenſium* literam & narrationem ſeqvitur, nihilqve habet contrarium præter *qvorumdam* παράδοσιν, digna viſa eſt, qvæ æqviùs accipiatur. Cùm omnibus aliis rationibus ſubductis, utiqve magis fuerit harmonica, qvàm qvæ aut geſta hæc fingit, anteqvàm verè Chriſtus in hanc lucem prodiit: aut qvæ *intra duos menſes*, nativitatem, circumciſionem, epiphaniam, purificationem, infanticidium, pluráqve non tam colligit, qvàm confundit. *Euſebio* eqvidem ſuos eſſe nævos non inficiamur; ſed ſimul etiam ſvademus ἐπιείκειαν; & ut ipſi, qvi in multis profuit, eôdem liceat uti jure, qvô utuntur alii ex *Patribus*. Qvorum utiqve ſententias haud odimus, niſi commodè exponi neqveant.

8. *Doris.)* Δωρὶς. Joſepho, *Ant.* XIV. *c.* XXI. etiam *Dores.* Gorionidi, *lib.* V. *c.* XXVII. XXXII. *Doſitheah.* Hegeſippo autem *Excid.* I. *c.* XXVIII. *&* XXXVI. per errorem *Doſis.* Si non is potiùs error eſt *Amanuenſium.* Qvod elementa r, & ſ, ſimillima, *ſcriptione* maximè *Longobardicâ*, poſterioris ævi Librariis facilè confundi poſſent. *Cornel. Gvalther. in not. ad Hegeſipp. p.* 71. Genere fuit, non *Idumæa*, (ut Salian. *Annal. Tom.* VI. *p.* 797. & Typograph. *in noſtr. Genealog.*) ſed ex *indigenis*: *Joſeph. Bell. jud.* I. *c.* X. & ea qvidem *Hieroſolymitis. Joſeph. Bell. jud.* I. *c.* XVII. *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XXXVI. non ignobilis. ἀλῶς. I. *c.* X. Herodes qvidem eam ſibi privato nuptam, poſtqvàm regnum, & Regia ſponſa in manus veniſſent, dimiſit; ſed cùm *filii Mariammes*, inſolentiùs ſe gerere, & matris necem non lugere modò, ſed & ultum ire velle viderentur, Herodes iis frontem ut minueret, *Dorin*, ſuúmqve ex ea filium, properè accerſit, & in aulam recipit, *Joſeph. Ant.* XVI. *c.* VI. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. communicatis omnibus

cum ipſa conſiliis. *Ant.* XVI. *c.* XI. *Bell.* I. *c.* XVII. Sed ea tamen ſpem eluſit: dum turbandis rebus qvàm ſanandis melior, filio potiùs operam impendit, non in iis modò, qvos corrigere ſperabatur, hoc eſt: *Mariammæis*, opprimendis; ſed & *ipso Herode*, (cujus ſenectus tædio eſſe cœpit,) evertendô. Ad qvod audacter dum affectat viam, & non modò ipſa in Herodis hoſtium, (*Pheroræ mulierum*) freqvens eſt conſortio; ſed & ſceleſto ſuo filio *Antipatro*, Pheroræ Uxorem ſtuprô conciliat, qvò per eam *Pheroras*, (cujus ſocietas erat neceſſaria) tantò magis in poteſtate eſſe poſſet: re detectâ per ancillas indices, qvæ culpam graviter in ipſam referebant, multorum talentorum donatô ſibi mundô ſpoliatur, & ex Regia extruditur. *Joſeph. Ant.* XVII. *c.* III. VI. VII. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. XIX. *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XLIII. XLIV. Ita hæc femina turbulentis moribus, ſe & ſuos temere ſubvertit. Errat Nicephorus, *Hiſt. Eccleſ.* I. *c.* VI. cùm hanc *Dorin* non modò genere *Arabem* facit, ſed & eam exſtinctam aſſerit, anteqvàm Herodes Mariammen duceret; οὗ (id eſt ὑρκανοῦ;) τὴν θυγατέρα Μαριάμμην τῷ Ἀριστοβούλῳ γεγεννημένην, μετὰ μόρον τῆς ἐξ ἀράβων γυναικὸς ὁ ἡρώδης ἠγάσετο. Ubi etiam illud notabis, qvòd Mariammen vocet *filiam Ariſtobuli*.

9. M*ariamme Hircani*.) Gorionidi *Marime*: Ruffino *Mariame*: Thalmudiſtis *Tzemach David*, Merime. Formâ, *Joſeph. Ant.* XV. *c.* II. & genere, nemini ſecunda. (Erat enim Ariſtobuli Regis, ex filio Alexandro, & Hircani pontificis ex Alexandra neptis: *Joſeph. Ant.* XIV. *c.* XXV. & *lib.* XV. *c.* II. *Bell. jud.* I. *c.* X. *Hegeſipp.* I. *c.* XXXVI. & hinc dicta βασιλίς. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. XX. & *lib.* VI. *c.* VI.] In alienis provida. *Joſeph. Ant.* XIV. *c.* XXV. & γυναικῶν συνετωτάτη. *Joſeph. Bell. jud.*

I.

I. *c.* II. in ſuis temeraria. Nam cùm illam Herodes ita deperiret, ut ſe mortuô; eam, [nè qvis alius ejus compos fieret,] occidi vellet. *Joſeph. Ant.* XV. *c.* IV. XI. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XXXVII. ipſa tamen, amorem odiô temerè compenſans tantò magis ei ſe oppoſuit. *Zelotypiam* certè ei injecit, *tum* qvòd Antonio effigiem ſuam per matrem miſerit: [ipſam ſe qvaſi offerens homini ſtupris dedito, & qvi vim inferre poſſet,] *tum* qvòd Herodi per iram objecerit, qvòd cuſtodibus mandâſſet, ut cum ipſo eam interficerent. *Vide ſuprà num.* 4. Nam Herodes putavit M*ariammen* iis ſecretum illud minimè elicuiſſe, niſi priùs corpus eis ſubdidiſſet. *Joſeph. Ant.* XV. *c.* II. IV. XI. *& Bell. jud. loc. cit. ut & Hegeſipp.* Qva in re etſi ille errârit; ipſa tamen, dum apud hominem ſuſpicaciſſimum ea tacere neſcit, occaſionem præbuit. Gliſcente hâc ſimultate, cùm M*ariamme* ſimulando, & vel poſteà ſe reprimendo, rem in integrum reducere potuiſſet: [maximè poſtqvàm maritum facilem, & amoribus ſuis deditiſſimum haberet] tamen tantum abfuit hoc faceret, ut etiam multô ſe præbuerit ferociorem, & eum non ad condonandum modò; ſed & ad oſcula & amplexus ſeſe offerentem temerè repulerit. Fratris, & avi nece ipſi exprobratâ. Qvod, [cùm alia utcúmqve ferret] ita eum movit & offendit, ut vix ſibi temperârit manus. Animum ita præparatum & exulceratum, adhuc acriùs incendit *Salome.* Nam ea vòlens ulciſci injurias ſibi & matri factas per jurgia, [*Vide Num.* 4.] cognitô Regem in fermento eſſe, callide qvemdam ex Pincernis intromittit, juſſum dicere: *Mariammen ſecum tranſigere voluiſſe, ut pharmacum aliqvod ſibi incompertum, Regi locô amatorii miniſtraret.* Herodes venenum fuiſſe ra-

tus, nec jam amplius ſui compos, cogi Concilium, & uxorem in jus duci præcipit. In qvo partibus auditis & ſententiis collatis, etſi Rex ipſe accuſator ſtaret, pœna tamen gravior *carcere* haud fuiſſet decreta, niſi *Salome*, vetus malum iterum interveniſſet. Nam hæc qvíqve cum ea erant, metum injecerunt; *qvaſi Populus, id ſi foret, rebellaret.* Itaqve denuò latis ſuffragiis Mariamme *capitis* damnata fuit. *autor. alleg.* Thalmud addit, *præcipitiô* exſtinctam, & funus ejus *ſeptem annos* aſſervatum. ità enim verba habent ex Librô
הרודס עבדא דבירת : השו תפין *Capite* בבא בתרא
חשמונאי הוה נתן עיניו באותה תינוקת יואמא חד שמעיה
לההוא גברא דאמר כל עבדא דמדיר השתא מצלח קם
קטלינהו לכולהו מרותיה ושיירה לההיא ינוקתא כי חזת ההיא
דקאבעי למינסבא סליקא לאיגר׳ ורמ׳ קלא אמר׳ כל מאין
דאתי ואמ׳ [עין יעקב וו בבא בתרא legit דייתי דיימר] מבי׳
חשמונאי קאתינא עבדא הוא דלא אישתיירא מנייהו אלא
ההיא ינוקתא וההיא ינוקתא נפלה מאגרא לארעא טמנה
שבע שנין בדובשא איכא דאמרי בא עליה איכא דאמרי לא
בא עליה אמרי לה בא עליה הא דטמנה דליכבשיה ליצריה
ואמרי לה בא עליה תאי דטמנה כי היכי דנאמרו בת מלך
נסב: Herodes ſervus fuit ex domo Chaſmonai, & dedit oculos in illam puellam: [*Galatinus, De arcan. Cathol. Verit. lib.* IV. *c,* VI. audacter adſuit: *Dedit oculos in qvamdam puellam de eadem domo & familia: qvæ Merime vocabatur.* Prout ille *magnus Plagiarius*, & laborum *Raymundi Martini* fucus multa loca peſſimè corrupit.] Qvodam die audivit ſibi virum, [Liber בית ישראל aliàs עין יעקב in *Bava Bathra, legit:* בת קלא *filiam vocis:* Qvod & retinet *Galatin.* cum *Raymundo* Præceptore ſuo, *Pugion. Fidei, p. m.* 255.] dicentem: Omnis ſervus, qvi nunc rebellavit, proſperabitur. Surrexit *ergo, &* occidit omnes dominos ſuos, [Galatin. de ſuo addit: *omnéſqve filios dominorum ſuorum*] relictâ

lictâ illâ puellâ [Galatin. & Raymund. *ut eâ mediante affinitatem contraheret.*] Hæc *autem* qvia vidit, qvòd *Herodes* peteret eam *ſibi in uxorem*, adſcendit in altum, [Galatin. & Raymund. *turrim*,] & vocem elevavit dixítqve: Omnis qvi venerit & dixerit, de domo Chaſmonai venio, ſervus eſt. Ille *enim*, [*Herodes*] non fecit de ea reliqvum, præter illam puellam. *At* puella illa cecidit ex alto in terram. [Liber בת ישראל *loc. cit.* habet: תיפול ותימות השתא ונפלה לה ומתה *Cadet & morietur nunc, & cecidit ſpontè & mortua eſt.*] *Et Herodes* occultavit, [*condivit*] eam ſeptem annos melle. [non *Balſamô*, ut vertit *Galatinus*. Nam & *melle* condire ſolitum: * prout corpus *Ariſtobuli Regis* ἐν μέλιτι κεκηδευμένον. *Joſeph. Ant.* XIV. *c.* XIII. *Mellis* enim natura, ut corpora non ſinat computreſcere. *Plin. Hiſt. Nat.* XXII. *c.* XXIV.] Sunt qvi dicunt, venit ad illam; [cognovit eam, vel duxit eam in uxorem:] ſunt qvi dicunt, non venit ad illam. Qvi dicunt qvòd venit ad illam, hoc *aſſumunt pro ratione*. qvòd occultaverit eam, ut cohiberet cogitationes ſuas. [mitigaret funeris præſentiâ dolorem. *Pugio fidei, p.* 255. vertit: *ut compeſceret concupiſcentiam ſuam atqve libidinem.* minùs congruè aut ad rem.] Qvi dicunt qvòd non venit ad illam, hoc *prætendunt*, qvòd occultaverit eam; ut diceretur filiam Regis accepiſſe. בית ישראל. legit: כי היכי דתיפוק ליה שם דנסיב בת מלכא ut *fama vel nomen exiret, qvòd filiam Regis acceperit.* qvaſi voluerit videri accepiſſe; ut ipſe ſervus cùm eſ-

* Vide Corn. Nepot. XVII. VIII. 7. Kirchmann. I. de Funerib. Roman. c. VIII. p. m. 54. edit. Lugdun. Batav. 1672. in 12. Stephan. Johann. Stephanii notas in Saxon. Grammatic. lib. V. p. m. 129. b.

esset, dignitatem sibi hôc matrimoniô conciliaret.] Hactenus *Thalmudistæ*. Sed qvi inter vigilandum somnient. Qvamqvàm enim *Flavius* genus supplicii non referat, tamen satis constat judæorum genti *præcipitium* inter supplicia non fuisse; saltem ordinaria. Et cùm Herodes *Mariammen* carceri includere non auderet, populi caussâ, & nè fieret tumultus; multò minùs passurus fuisset, ut ea ex turri ad populum sic concionaretur: qvæ spectaculô tam miserandô plebem magis commovere potuisset. Imò verò *Flavius*, *loc. cit.* autor est, eam ex magnitudine animi dum iret ad supplicium, nè verbum edidisse, & nè qvidem matri, qvamqvàm non modò verbis incessenti; sed & crines involanti respondisse. Taceo plures alias ineptias: Qvasi *Merime* ideò se deturbâsset, qvòd Herodes eam in Uxorem petiisset: aut qvasi in ejus manum eam convenisse dubium sit. cùm potiùs constet eam solenniter in nuptias ejus consensisse; *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XXIII. XXV. XXVII. & plures liberos ex eo sustulisse. Ut nihil certius sit, qvàm *Thalmud* fingere, & Mariammen aliter exstinctam qvàm per præcipitium. certè *Herodi* conjugatam etiam refert Tzemach David. *in part.* I. *millenar. qvart. ad ann.* 724 ולקח הורדוס
אריסתובלוס: לו לאשה את מרימי בת אלכסנדר בן
והיא בת בתו של המלך הורקנוס: : *Accepit Herodes sibi in uxorem Merimen, filiam Alexandri filii Aristobuli: qvæ erat neptis Hircani Regis.* Hæc ille. qvamqvàm de *jure istarum nuptiarum* dubitari possit secundum Majemonid. *Tract. Isure biah c.* XII. מצרי ואדומי אחד זכרים ואחד נקבו'' דור
ראשון ודור שני אסורין לבא בישראל ודור שלישי מותר שנ''
בנים אשר יולדו להם וכו' *Qvod* inqvit *ad Ægyptios & Idumæos attinet, sive feminas; in prima & secunda generatione cum Israëlitis affinitatem contrahere non pos-*

poſſunt. In Tertia verò generatione licet. Juxta illud Deuter. XXIII. 8. *Filii, qvi naſcentur eis in tertia generatione ingredientur Eccleſiam Dei.* † ceterùm *Mariammes* necem ſceleris pœnitentia, & digna Dei ultio mox ſubſeqvuta eſt. Rex deſideriô ejus noctes diésqve efflictim cruciatus, & in eam etiam lapſius vecordiam ut qvaſi vivam per miniſtros advocaret, cùm affectus pertinaciſſimi diſcutiendi cauſsâ, fruſtrà varia remedia tentâſſet, & in avia etiam procul hominum commerciis ſeceſſiſſet, tandem in morbum incidit graviſſimum: per qvem non modò mentis integritatis; ſed & vitæ adiit periculum. Reſtitutus tamen præter exſpectationem, aliis gravibus plagis mox excipitur. Nam furiis qvaſi ultricibus impulſus, proximos qvoſqve aut offendit, aut occidit: totâ domô versâ in diſcordiam, & animum ejus, turbis odiiſqve, ſuprà qvàm poteſt dici, affligente. Exorta & peſtilentia, qvæ majorem populi partem abſtulit. Ut iratô Deô *Mariammen* interfectam, tandem tot malis victus, ſat didicerit. *Joſeph. Ant.* XV. *c.* XI. *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XXXVII. XXXVIII. Turris *Mariamme*, inter omnes pulcherrima exſtructa ab Herode, deſcribitur apud *Flavium, Lib.* ἁλώς. VI. *c.* VI. X. *Mariamme Simonis.*) Ità dicta ad differentiam *Mariammes Hircani*: de qva *Num.* 9. *ſive præcedent.* Filia fuit *Simonis Boethi*, Sacerdotis cujuſdam Hieroſolymitani: qvem *Herodes*, ut Regiâ affinitate dignus eſſet, dejectô *Jeſu*, *Phabetis filiô*, ad pontificatum extulit. Ceterùm, hæc *Mariamme*, corporis venuſtate, qvâ inter omnes Hieroſolymis excelluit, Herodem ventri & veneri deditum ita ce-

† Vide Selden. v. de jure Nat. & Gent. c. XIV. p. m. 649. ſ. edit. Lipſienſ. M. DC. XCV. in 4to.

cepit, ut ab eo in uxorem expetita sit. *Joseph. Ant.* xv. *c.* xii. Sed fortuna illa solida non fuit. Nam cùm indices conjurationis Antipatri, eam etiam inter conscios nominâssent; qvòd insidias vitæ Herodis structas dissimulâsset, & non indicâsset, aulâ (uti *Doris*,) est expulsa. Qvamqvàm in eo *Doride* infelicior, qvòd suâ unius culpâ, etiam *Patrem*, & *Filium*, (insontes) pessumdederit. Qvorum scilicet *ille* fuit ab officio remotus: *hic*, abdicatus, & è testamento, (in qvo post *Antipatrum* regni successor fuerat scriptus) erasus. *Joseph. Ant.* xvii. *c.* iv. vi. *Bell. jud.* i. *c.* xviii. xix. *Hegesipp.* i. *c.* xliii. posteà tamen rarô exemplô tres Mariammes hujus *fratres*, stolâ Pontificiâ donati sunt. Nempe *Joazarus*; Joseph. *Ant.* xvii. *c.* viii. fortunæ ἄθυρμα: (semel enim eum Archelaus, *Ant.* xvii. *c.* xv. secundùm etiam Qvirinius, *Ant.* xiix. *c.* iii, deposuerant.) Joazari frater, *Eleazarus*; sed brevissimè. *Ant.* xvii. *c.* xv. Et (tertius) *Simon Boëthi* seu *Cantheras*. *Ant.* xix. *c.* v. Dico: fratres. Nam *Mariammen* fratres habuisse constat ex *Antipatri conjuratione*: sub qva torti. *Joseph. Bell. jud.* i. *c.* xix. & disertè *Joazarus*, frater *Eleazari*, per *Ant.* xvii. *c.* xv. vocatur ἀδελφὸς τῆς γυναικὸς ἡρώδου. *Ant.* xvii. *c.* viii. Imò verò, dicet qvis: Joazarus, *Ant.* xvii. *c.* xv. & xiix. *c.* i. & Simon Cantheras, *Ant.* xix. *c.* v. vocantur *filii Boëthi*: *Patrui* ergò, & non *Fratres* Mariammes sunt. *Respondeo*: enallagen esse *filii* pro *nepote*: qvalis passim. Ità enim *Matthias*, Assamonæi pronepos ex Johanne, *Ant.* xii. *c.* viii. vocatur ἀσαμωναίου υἱός *Bell. jud.* i. *c.* i. & *Ant.* xiv. *c.* viii. *in titul.* Mariamme ut plurimùm vocatur Hircani, & Hircani filia. *Bell. jud.* i. *c.* xi. At Hircanus πάππος, & hæc ejus υἱωνή. *Joseph.*

Bell.

Bell. jud. I. *c.* XVII. seu θυγατριδῆ. *Ant.* XIV. *c.* XXI. *Bell. jud.* I. *c.* X. id est; neptis ex filia. *Ant.* XIV. *c.* XXV. XXVI. Ut Aristobulus frater Mariammes, dicitur Hircani filius: & Agrippa, Herodis. *Euseb. Chronic. p.* 156. Ità Tiberius junior, & Cajus, non solùm *Ant.* XIIX. *c.* VIII. appellantur *fratres*; sed & Tiberii Imperatoris τέκνα cujus tamen fuerant *nepotes*: ille scilicet ex filio *Druso*, hic ex *Germanico* &c. Ubi etiam *Germanicus* vocatur *frater* Tiberii, qvi ipsi ex *Druso fratre* nepos fuit. Simile est, cùm ἀδελφὸς, pro voce ἀδελφιδοῦς accipitur. De qvo *Num.* 39. υἱώσις enim tam latè extenditur ut *naturâ*, *adoptione*, *affinitate*, *successione in regnum vel privatam hereditatem &c.* esse possit. *Casaub. Exercit.* I. *p. m.* 95. At inqvis, probandum non qvod esse possit, sed qvod hôc locô reverà ità sit. Ego verò id probare certus sum. Nam primò, *Joazarus*, frater uxoris Herodis dictus, *Ant.* XVII. *c.* VIII. id est *Mariammes Simonis*: & sic eumdem, qvem *Mariamme*, habuit Patrem: *Simonem* scilicet *Boëthi*, non *Boëthum*. De *Simone Canthera*, res est eadem. Dicitur enim is *Patrem*, *duósqve Fratres*, *summos habuisse Pontifices*; *fuisséqve illius Boëthi filium*, *cujus filiam in Uxorem Herodes M. duxisset.* Verba *Flavii* sunt, *Ant.* XIX. *c.* V. Ἀγρίππας θεόφιλον μὲν τὸν ἀνάνου τῆς ἀρχιερωσύνης μετέστησε, τῷ δὲ βοηθοῦ σίμωνι, τούτῳ κανθήρας ἐπίκλησις ἦν, τὴν ἐκείνου προσένειμε τιμήν. δύο δὲ ἦσαν ἀδελφοὶ τῷ σίμωνι, καὶ πατὴρ βοηθός, οὗ τῇ θυγατρὶ βασιλεὺς συνῴκησεν ἡρώδης, ὡς ἀνοτέρω δεδήλωται. σὺν τοῖς οὖν τὴν ἱερωσύνην ἔσχεν ὁ σίμων, καὶ σὺν τῷ πατρὶ &c. i. e. *Agrippa Theophilum Anani filium submovit à summo sacerdotio & Boëthi filium Simonem*, *cognomine*

mine Cantharum in ejus locum ſubſtituit. Erant autem Simoni fratres duo, & Boëthus Pater, cujus filiam Herodes rex uxorem duxerat, ſicut ſuperiùs patuit. Idem igitur qvod fratres & Pater ſacerdotium Simon adeptus eſt. Hæc *ille* Ut, cùm *Boëthus* nunqvàm fuerit *Socer Herodis*, aut *Summus Pontifex*; ſed filius ejus, *Simon Boëthi*, per *Ant.* XV. *c.* XII. nec in tota Pontificum Maximorum ſerie, alii *Pontifices* poſſint reperiri, qvi *SimonisÂntheræ* fratres eſſe qveant, præter ſuprà à nobis productos; *Boëthum* pro *filio* ſumptum manifeſtum ſit: & *Simonem Cantheram*, dictum *Simonem Boëthi*, ſicut *Mariammen Hircani*. Fallit ergò ſe & alios *Serarius*, cùm *Opuſc. tom.* I. *Herod. c.* XVIII. *p.* 241. Simonem cognomentô Cantheram, *Mariammes Patrem vocat*; (fuit enim *frater* ut oſtendimus.) & abſurdè comminiſcitur, eum *cum Patre & duobus fratribus ab Agrippa factum Pontificem &c.* Nam Pater, *Ant.* XV. *c.* XII. & Fratrum alter, *Ant.* XVII. *c.* VIII. ab *Herode* M. facti ſunt Pontifices *Alterum* fecit Pontificem *Archelaus. Ant.* XVII. *c.* XV. Montacutius, *in Appar.* V. *n.* 75. *p. m.* 192. vult *Mariammen hanc*, præter Herodem, *binas alias ſexus feminei* Herodi peperiſſe. Sed hoc falſum.

II. *Malthace, Cleopatra, &c.*) De *his qvinqve*, præter nomina, & liberos qvos genuerint ex Herode, *Joſeph. Ant.* XVII. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XLII. nihil memini: præterqvam qvòd *Malthace* qvæ & *Marthace* Joſeph. *Ant.* XVII. *c.* XII. (malè *Hegeſippo, loc. cit.* dicta *Matehates*, & *Gorionidi, lib.* V. *c.* XXXII. *Malthaces*) Romæ, qvò filium *Archelaum* ad regnum petendum comitata fuit, ex morbo deceſſerit. *Joſeph. Ant.* XVII. *c.* II. XII. *Bell. jud.*

jud. II. *c.* I. 2. & qvod *Elpis*, Hegesippo *Helphis* appelletur.

12. *Filia Fratris: Consobrina.*) Harum duarum genus & nomen, non æqvè disces ex historia horum temporum, ac qvòd fuerint improles, & inter uxores Herodis. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. *Prior*, haud dubiè fuit filia *Phasaëli*, de qvo *Num.* 6. Nam etsi *Flavius* hoc non afferat διαῤῥήδην: tamen cùm fuerit ἀδελφιδὴ, *Bell. jud.* I. XVIII. seu παῖς ἀδελφοῦ Herodis, *Ant.* XVII. *c.* I. aliô qvàm *Phasaëlô* natam haud est consentaneum. Nam *Josepho*, fratrum Herodis alteri, alia soboles qvàm *Mariamme* non adscribitur. *Ant.* XVIII. *c.* VII. imò verò hic *Josephus* fuit ἄγαμος. *vid. num.* 39. *Pherorâ* autem si fuisset prognata, absqve dubio easdem partes, qvas *Pater*, hoc est: *Antipatri*, fuisset seqvuta; & sic inter sontes conjurationis æqvè nominata à *Flavio*, ac aliæ Herodis eidem crimini obnoxiæ uxores, *Doris* scilicet, & *Mariamme Simonis*. *Ant.* XVII. *c.* VI. *Bell jud.* I. *c.* XIX. Accedit: qvòd qvô tempore, hæc *fratris filia* in Herodis esset toro, *Pheroræ filiæ* adhuc parvulæ fuerint. Nam *Herodes* despondens earum alteram *nepoti suô ex filiô Alexandrô*, dicitur conjunxisse παίδων τὰς δεξιάς. *Joseph. Bell. jud. lib. cit. c.* XVIII. Sicut etiam *Pheroræ filiæ* sub novissima Herodis, adhuc παρθένοι dici potuerunt. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* III. Unde & Montacutius, in *Appar.* V. *n.* 75. confidenter eam *Phasaëli* vocat *filiam*. *Posteriorem* dictam *Herodis consobrinam* seu ἀνεψιάν, *Joseph. Ant.* XVII. *c.* I. *Bell. jud. loc. cit.* qvænam fuerit, ignorare me profiteor. Si sanus esset *Gorionides*, nomen alterius harum foret cognitum. Nam is, *lib.* V. *c.* XXXII. unam

ex

ex *Uxoribus Herodis*, vocat *Ærodiphilon*: qvasi *Herodis* φίλην, (non ut *Münsteri* habet versio, *Adrophilon.*) Sed mendacissimè. Nam *Herodem* ex ea 6. *an* 7. *liberos* habuisse adjicit. Cùm tamen *Uxores*, qvibus non est nomen apud *Flavium*, fuerint ἄτεκνοι: & reliqvorum nulla, aut dicta *Ærodiphilos*, aut tot Herodi liberos pepererit.

13. JOSEPHUS.) Fratri *Herodi* Parthos fugienti, in vico Idumææ *Thressâ*, (aliàs *Ressâ*, ut videtur ex *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XXVII.) obviam factus, ab eo matri, aliisqve familiaribus in castello *Masada* custodiendis est præfectus. *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XXV. *Bell. jud.* I. *c.* XI. Seqvente Antigonô, & castellum obsidente, cùm in eo esset, ut ob aqvæ penuriam die posterô transfugeret ad Arabes, Deus ipsius hoc consilium antevertit, dum nocte, postqvàm voluit discedere, larga cælô pluvia caderet, per qvam omnes putei implerentur. Miraculum hoc ita ei auxit animum, ut non modò hostem tolerârit; sed & eum erumpendo & audendo, ultrò plurimis occisis provocaverit. *Joseph.* l. *cit. c.* XXVI. *Bell. jud.* I. *c.* XII. Ad extremum solutâ obsidione per *Herodem*, qvi oportunè Romà cum auxiliis advenerat, dum illô proficiscente ad *Antonium*, exercitui præficitur, & contra mandata pugnat cum *Antigono*, non procul *Hierichunte*, circumventus angustiis, toto penè cum exercitu opprimitur. Caput ejus, (non corpus, ut perperam habet *Salianus*, *Annal. Tom.* VI. *p.* 793.) præcisum ab Antigono, *Pheroras* talentis 50. redemit. *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XXVII. At id negat *Hegesippus*, *Excid.* I. *c.* XXX. cujus hæc sunt verba: *Nec tantô contentus triumphô, addidit etiam victoriæ gravem in defunctum contumeliam, ut abscissô capite relinqveretur: Pro qvô Pherora frater*

per-

perempti qvinqvaginta talenta obtulit, nec impetravit. Audacter utiqve. Sed fefellit *Hegesippum* hîc, ut sæpiùs, versio *Ruffini*, qvæ (neqvidqvam etiam correcta à *Gelenio*,) verba *Josephi*, ἁλώς. I. c. XIII. ἀντιγόνῳ δὲ οὐκ ἀπέχρησεν ἡ νίκη, προῆλθε δὲ εἰς τοσοῦτον ὀργῆς, ὥς τε καὶ νεκρὸν αἰκίσασθαι τὸν ἰώσηπον κρατήσας γοῦν τῶν σωμάτων ἀποτέμνει τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, καίτοι πεντήκοντα τάλαντα λύτρον αὐτῆς φερώρα τἀδελφοῦ διδόντος &c. ita interpretatur: *Antigonus autem victoriâ minimè contentus fuit: sed eò processit iracundiæ, ut mortuum qvoqve Josephum verberaret. Deniqve nactus corpora mortuorum, etiam caput ejus abscidit, qvamvis L. talenta Pheroras frater pretium redemptionis offerret.* Atqvi verò φερώρα διδόντος non est *Pherorâ offerente*, (qvod etiam frustratus posset facere,) sed *dante*. Ut *Libri* ἁλώσεως etiam post *Gelenium* adhuc egeant correctione. Ceterùm *Pappus* Dux Antigoni, qvi *Josephum* suâ manu straverat, ab *Herode* posteà in acie occisus est, & caput missum *Pheroræ* in solatium. *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XXVII. *Bell. jud. loc. cit.*

14. PHERORAS.) Gorionid. *lib.* IV. *c.* XVII. *Pherodas.* fortè subrepente literâ ד pro ר. ut *Esa.* VIII. 38. 44. fratrum Herodis minimus. Prima edidit specimina bellô *Herodis* contra *Antigonum:* in qvo commeatui præpositus, & castellum *Alexandrium* instaurare jussus, rem præclarè, & cum laude præstitit. *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XXVII. *Bell. jud.* I. *c.* XII. *Magistrum* etiam *Exercitus* fuisse, scribit cum *Ruffino Gelenius.* ἁλώς. I. *c.* XIII. Sed in *fonte Græcô* nihil ejus rei est. Bellô prosperè gestô & finitô, *Herodes* eum splendidè auxit. Nam & *Tetrarchiam* ei ab *Augusto* impetravit, & bona

alia

alia ipse addidit, ex qvibus ei *centum talentorum*, (summæ circiter *sexaginta coronatorum millium*, *teste Corn. Gvalth. in Hegesip. p.* 170.) reditu annuô, orta est accessio. *Joseph. Ant.* XV. *c.* XIII. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. *Heges.* I. *c.* XL. *Tetrarchia* autem illa, sita trans fluvium, (non *Euphratem*, ut *Hegesipp. l. cit: & lib.* III. *c.* III. sed) Jordanum, *Joseph. Bell. jud.* I. *c.* XVII. 19. *Plin. Hist. Nat.* V. *c.* XIV. alia non fuit, qvàm qvæ inde nomen habuit, *Peræa. Joseph. l. cit.* extensa in *longitudine*, à Machærunte versus Pellam: in *latitudine* autem, à Philadelphia ad Jordanem. *Joseph. Bell. jud.* III. *c.* II. *Heges.* III. *c.* VI. Qvam etsi *montibus asperis* diversam asserat *Plinius*, *loc. cit.* ita inqviens: *Arabiæ & Ægypto proxima Peræa, asperis diversa* † *montibus, & à ceteris Judæis Jordane amne discreta &c.* tamen liqvet de parte tantùm id intelligendum esse: cùm alibi habuerit campos mollissimos, vineis lætos, fontibus irriguos. deniqve, olearum, palmarum, segetum &c. magnâ copiâ feracissimos. *Joseph. & Hegesipp. loc. prox. cit.* Inenarrabile est, *addit Hegesippus, loc. cit.* qvanto decori sit, cum ventô impulsi palmarum ordines concrepant, ac svaviores solitô funduntur dactylorum odores. Ceterùm, Pheroras, relictâ Tetrarchiâ, ferè in aula apud Fratrem consenuit: totius regni, præter diadema, particeps. *Jos. Ant.* XVI. *c.* XI. *Bell.* I. *c.* XVII. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XL. Ut etiam pro *Herode* absente, Regni curam sæpe gesserit. *Jos. Ant.* XV. *c.* IX. Pravorum societas maximè eum obscuravit; & seduxit. Nam diu juxtà cum *Salome* & *Antipatro*, filiis Mariammes opprimendis deditus, *Joseph. Ant.* XVI. *c.* VI. ad extre-

† Malè, omnes enim, qvos habeo, Codices legunt *dispersa*, non *diversa*.

tremum *priore* ſpretâ & neglectâ, *Ant.* XVI. *c.* XI. contra *Herodem*, cum *Antipatro* moliri cœpit. *Joſ. Ant.* XVII. *c.* III. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. Cum qvo non ſemel odia exercens, *Ant.* XVI. *c.* XI. & XVII. *c.* III. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. XVIII. *Hegeſipp.* I. *c.* XL. dum creſcente indies diffidentiâ & ſimultate, coram jubetur, aut Uxorem, (ruptæ inter fratres concordiæ ſeminarium) dimittere, aut ex aula excedere; ultimo paruit, & in *Tetrarchiam* abiit. Poſt qvod tempus brevi morbô corripitur & exſtingvitur: venenô, (ut putant) philtri ſpecie, ab Uxore (non matre Antipatri, ut *Montacut. apparat.* V. *n.* 120.) perditus. *Joſ. Ant.* XVII. *c.* III. V. *Bell. jud.* I. *c.* XLII. Qvamqvàm alii mortis ejus cauſſam referant in *Herodem* fratrem: *Joſeph. Bell. jud.* I. *c.* XVII. falſus enim *Gelenius*, illic loci, cùm *Pheroram* Herodi Reginâ ſuperſtite inſidiatum transfert: debuit enim ſententia converti. prout fecit *Hegeſipp. loc. cit.* qvamqvàm *lib.* I. *c.* XL. dicat cum *Gelenio.*) alii etiam in *Syllæum Arabem*: *Hegeſipp.* I. *c.* XLIII. qvem *Pheroras* circa *Salomen* offenderat. *Joſ. Ant.* XVI. *c.* XI. confer *Num.* 16. Herodes tamen *Pheroram* mortuum, fletu (ſeu verô, ſeu qvæſitô) maximô proſeqvutus eſt; & funus ejus Hieroſolymas deportatum magnificè & ſumptuoſiſſimè curari ac efferri fecit. *Joſ. Ant.* XVII. *c.* V. *Bell. jud.* I. *c.* XIX.

15. *Soror Conjugis Herodis*) Ἀδελφὴ τῆς ἰδίας γυναικὸς ἡρώδου. *Joſeph. Bell. jud.* I. *c.* XVII. *Hegeſipp.* I. *c.* XL. Ni fallor, ſoror *Mariammes Simonis*: Qvæ κατ' ἐξοχὴν *Uxor Herodis* videtur dici, ſive qvòd inter primas ejus uxores fuerit; ſive qvòd fuerit ſtemmate Sacerdotali: *Ant.* XV. *c.* XII. & ſic inter *novem* illas, qvas tum *Herodes* habuit in contubernio, maximè illuſtris.

16. ANCILLA.) Hujus suæ ministræ amoribus *Pheroras* ita fuit inligatus, ut præ ea non tantùm *Puellæ* sibi à Rege oblatæ nuptias contempserit; sed & *ipsas filias Regis*, formâ qvamqvàm florentissimas rejecerit. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* XI. *&* XVII. *c.* I. imò, cùm ea, (si qvidem *Herodes* rem non ferret,) clam ad *Parthos* fugere decreverit: Ipse confessus est, se ex amore hujus lapsum in vecordiam, & qvid rerum egerit, haud cognovisse. *Joseph. Bell. jud.* I. *c.* XVII. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XL. Ceterum *Ancilla hæc*, Herodem, qvem sibi propter nuptias cum Pherora parum æqvum noverat, modis omnibus impugnare & exagitare cœpit: tractis in societatem *Sorore* & *Matre*, simul suâ & *Antipatri*, (falsò Hegesippus, injurias *Dosidi* refert hanc intulisse. *Excid.* I. *c.* XLII.) ut & scelerum Capite, *Antipatrô*: à qvo stuprô & præmiis expugnata, non modò ipsa *Herodi* se opposuit; sed & maritum pharmacis ad hoc induxit. Atqve ita factio coaluit, per qvam tota Aula mox concussa fuit. Prima *Salome*, Regis soror, observatis hominum conventiculis & compotationibus, rem suspectam habuit & palam fecit: seriò Regem admonens periculi, qvod haud dubiè inde ei imminebat. Sed conjurati, hanc operam ut eluderent, & tectiores essent, coram inter se simulant discordias; domi autem, aut positi extra arbitros, omni studiô coëunt, & se conjungunt. Donec tandem, cùm *Pheroræ Uxor* manifestè deprehenderetur, non modò *dissidia inter fratres* sevisse; sed & *Regis filias* contumeliosè habuisse, imò: rebelles pecuniâ juvisse, (erant circiter *sex millia Pharisæorum*, pro qvibus mulctatis ab *Herode*, qvòd nollent homagium præstare; *Uxor Pheroræ* mulctam solvit, qvòd qvasi futurorum præscii docerent *Herodem* brevi moriturum, & post ipsum *Pheroræ genus*

nus regnaturum &c.) *Rex* convocatô conciliô, feminam graviter accusat, & *Pheroram*, eam ut rejiceret, hortatur. Sed ille respondit: Uxorem sibi vitâ chariorem esse, & paratum se potiùs mori, qvàm ut ab ea vellet separari aut disjungi. Qvâ pertinaciâ Rex sic est offensus, ut etsi aliàs esset φιλαδελφότατος, *Joseph. Bell.* I. *c.* XVII. eum, uxorémqve aulâ mox ejecerit. Sed major fuit *Pheroræ* animus, qvàm ut illô casu moveretur: cui potiùs *aula* sic non placuit, ut etiam jurejurandô sanxerit, per vitam Herodis, in eam se non rediturum. Id qvod etiam inviolatum præstitit. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* III. V. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. XIX. *Hegesipp.* I. *c.* XLII. qvi tamen falsò adjicit, ab uxore divulsum. Ceterùm *Uxor*, pro qva tot mala tulerat, fœdam ei gratiam rependit. Etenim subornata ab *Antipatro*, cibos ei venenis inficit, qvibus non ita diu post exstinctus est. Sunt tamen, qvi hoc per errorem volunt factum: qvasi per fraudem *Syllæi Arabis* venenum ei locô *philtri* subrepsisset. confer si placet, *Num.* 14. At *mortem Pheroræ* tempestas magna conseqvuta est. Etenim cùm *Liberti* qvidam ejus, sceleris indicium *Herodi* fecissent, ille, ut erat animô sagax, aliis & aliis qvæstioni subjectis, tandem etiam *veneficium in ipsum se paratum* elicit: Deô undiqvaqve ad flagitia evigilante & pœnas immanium factorum exigente. Cúmqve *Uxor Pheroræ* venenum in custodia habere argueretur, & illa hoc jussa adferre, metu è tecto se præcipitaret, neqve tamen statim exspiraret, *Herodes*, promissâ, cùm resipuisset, veniâ, si culpam rémqve ultrò confiteri vellet, totam seriem proditionis elicit: qvomodò scilicet *Antipater*, offensus qvòd pater tamdiu regnum se-

nectâ suâ detineret, ex *Ægypto* emerit venenum, & illud *Pherorœ*, *Uxoríqve ejus*, dederit, ut *Herodem* eô per occasionem tollerent. Cum dicto simul *pyxis* profertur in qva aliqvid *veneni* adhuc conditum, (majorem partem Pheroras ipse, animam agens, igne aboleverat) cujus ea fuit efficacia, ut reus, (cui experimenti caussâ fuit ingestum,) eô mox collapsus sit. Hâc confessione editâ, *Herodes* eam aliásqve ejus domesticas dimisit, & iram maximè transtulit in *Antipatrum*. Joseph. *Ant*. XVII. *c*. VI. VII. *Bell. jud*. I. *c*. XVIII. XIX. XX. *Hegesipp. Excid*. I. *c*. XLII. XLIII. Invenio autem & hanc ex *Pherora* habuisse *liberos*. Apud *Flavium* certè *Ant*. XVII. *c*. III. mentio fit communium *ejus* & *Pherorœ* liberorum: & *filium* certè ex *Pherora* sustulerat, anteqvàm ille nuptias rescidit cum *secunda Herodis filia*. Joseph. *Ant*. XVI. *c*. XI.

17. SALAMPSIO, & CYPROS.) Filiæ *Mariammes*. Dicitur enim *Pheroras* duarum natu majorum filiarum Herodis, & qvæ posteà nupserunt *Phasaelo*, & filio Salomes *Antipatro*, nuptias contempsisse. *Joseph. Ant*. XVII. *c*. I. Qvæ aliæ, qvàm *Salampsio*, & *Cypros*, non possunt esse. *Ant*. XIIX. *c*. VII. Sicut etiam ἁλώσ. I. *c*. XVII. narratur, *filiam Herodis natu maximam*, & qvæ posteà *Phasaëlo* cessit in torum, *Pherorœ* cum dote 300. *talentorum* fuisse desponsatam: & expresse *Cypros* appellatur altera, *Joseph. Ant*. XVI. *c*. XI. Res ita habet. Inciderat *Pheroras* in amorem *Ancillæ suæ* adeò insanum, ut oblatum sibi in uxorem *Regis filiam* rejecerit. Id qvidem pupugit *Herodis* animum; sed videns *Pheroram* flecti non posse, filiam collocavit *juniori Phasaëlo*. Procedente autem tempore, ratus deferbuisse fratris libidinem, & conqvestus de repulsa, *alterius filiæ* nuptias ei obtulit. Ille

Ille perſvaſus à *Ptolemæo* Regis amicorum intimo, *ἁλώσ.* I. *c.* XVII. & II. *c.* I. conditionem accipit in diem XXX. & *Ancillam* ablegat: jurejurandô interpoſitô, nihil ſibi poſthàc cum ablegata fore commercii. Sed exeunte præfinitô tempore, *Pheroras* tamen affectibus ſic ſuccubuit, ut non ſtaret promiſſis, & ad priſtinos ſordidos amores relaberetur. *Joſeph. loc. prox. cit.* Confer. *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XL. Et plura de his filiabus Herodis peti poſſunt ex *Num.* 32. 33.

18. PUELLA.) Hæc *tertia* eſt, qvam *Pheroras* à Rege ſibi oblatam ſpreverat. Ceterùm, qvænam fuerit haud divinare poſſum. Unum id conſtat, ſub tutela & cura *Herodis* eam educatam. Sicut hìc eam *Pheroræ* deſponſavit, & ab eo ancillæ deſideriô non acceptam, *filio* etiam *Coſtabari* negatam, ad extremum *filio Pheroræ* pepigit: dote additâ *centum talentorum.* Etenim, poſtqvàm *Pheroras* intelligeret, eam ſibi faſtiditam, à Rege deſtinari *filio Salomes ex Coſtabaro*, petiit eam ſuo filio, *Tetrarchæ* poſt ſe deſignato, in Uxorem, callidè adjectô, *filium Coſtabari* propter necem Patris, fidum haud manſurum. *Joſeph. Ant.* XVI. *c.* XI. *Gelenii* verſio, (ut hoc obiter aſpergam) illic loci inter optimas haud computanda eſt. Verba enim, μετὰ πείθεται δὲ ὑπὸ τοῦ Φερώρα τὸν νεανίσκον οὐκ εὔνουν ἔσεσθαι, λέγοντος, διὰ τὴν ἀπώλειαν τοῦ πατρὸς, &c. interpretatur: *Mutavit ſententiam*, (loqvitur de Herode) *perſvaſus à Pherora, negante Adoleſcentem amaturum talem ſocerum propter Patris ſui cædem &c.* Atqvi verò alius qvàm *Herodes*, adoleſcentis hujus patrem, id eſt: *Coſtabarum* non occidit. Idem ergò ſi adoleſcentis foret ſocer, (prout hoc auſus aſſuere *Gelenius*) ſeqveretur *puellam*, de qva hìc ſermo, *Herode* prognatam. Id qvod falſum. Nam Herodes nullas

filias habuit *Pherotæis* nuptas, præter duas. *Roxanen* & *Salomen*, qvæ primùm *Herode mortuô*, idqve à *Cæsare*, his elocatæ sunt. Vide *Num.* 43.

19 SALOME.) Gorionidi, *lib.* IV. *c.* XVII. *Schelomith.* Falsum nomen; (inqvit *Serarius*, O-*pusc. de Herod. c.* XVII. *p. m.* 240,) fuit enim mulier turbarum dissensionúmqve machinatrix & consarcinatrix. Imò verò familiæ suæ furia & Alastor; ac Medea qvasi aulica. Totâ vitâ, qvâ apud *Fratrem* consenuit, *duo* validè egisse visa est. *Primum*, ut Mariammem Hircani, ejúsqve genus & prosapiam opprimeret: *alterum*, ut pro *Fratre* staret in excubiis, & insidias omnium contra ipsum proderet. In utroqve ita se industriam exhibuit, ut cui magis se addixerit, incertum sit. Simultatis inter ipsam, & Mariammen, caussa erat hujus insolentia; & qvod hæc crebrò ipsi, & matri, ignobilitatem generis objiceret. *Jos. Ant.* XV. *c.* IV. XI. *Bell.* I. *c.* XVII. Ex qvo initio, lites inter ipsas ita acres natæ sunt, ut *Herodes* extra regnum abiturus, necesse habuerit *Mariammen* ejúsqve matrem, Alexandriæ; *Sororem* autem suam, *matrémqve*, seorsim, hoc est; Masadæ deponere. *Joseph. Ant.* XV. *c.* IX. Herode extra regnum profectò, cùm *Mariamme* custodibus sibi adjunctis familiariter uteretur, (confer *Num.* 4. & 9.) *Salome* jam antè ultionis cupida, excitata hâc occasione, *Mariammen* stupri cum custodibus insimulat: affectúmqve Regis exulceratum tamdiu fovet calumniis, & impellit miseros, ut non desierit turbare, priusqvàm & *Mariamme*, Joseph. *Ant.* XV. *c.* IV. XI. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XXXVII. & *duo Principes*, Mariammes filii, qvamqvàm ipsorum *alter* ipsius *Salomes* filiam in Uxorem duxerat. *Jos. Bell.* I. *c.* XVII. *Hegesipp.* I. *c.* XXXVIII. è medio sublati essent. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* I. VI. XVI. XVII.

XVII. *Bell. jud. loc. cit. Hegesipp.* I. *c.* XL. XLI. XLII. Qvâ crudelitate etiam usa est *Salome* in *duos Maritos. Num.* 4. & 20. Exstinctis *Assamonæis*, cùm *Antipater*, qvasi liberatus æmulis, & metu solutus, caput tolleret, ac cum *domo Pheroræ*, cuderet contra *Herodem*; una iis *Salome* impedimento fuit: *Joseph. Ant.* XVII. *c.* I. ut qvæ consilia artésqve conjuratorum omni studiô pervestigavit & detexit *Joseph. Ant.* XVII. *c.* III. *Bell. Jud.* I. *c.* XVIII. Id qvod magnam ei peperit invidiam; sicut omnium odiis exposita, & pro mala & garrula passim habita, *Jos. Ant.* XVI. *c.* XI. solum penè *Regem* habuerit, in qvo tutò niti posset. Qvæ ejus fides largè compensata fuit. Nam *Herodes* moriens non solùm ei, cum marito, ultima mandata credidit: scilicet, ut *Nobiles* in hippodromo occiderent; (qvamqvàm hi potiùs eos dimiserunt) *Joseph. Ant.* XVII. *c.* VIII. X. *Bell.* I. *c.* XXI *Hegesipp.* I. *c.* XLV. sed & eam, ut sibi constanter fidam, *Ant.* XVII. *c.* VIII. legatô amplissimô urbium, *Jamniæ*, *Azothi*, & *Phasaelidis*, sed & *argenti signati millium qvingentorum* auxit. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* X. Qvod legatum *Cæsar* confirmavit, & *Regiam* Ascalone addidit: ut reditus ei annui fuerint *sexaginta talentorum. Joseph. Bell. jud.* II. *c.* IV. Adeò, cùm & hinc, & aliunde patet, *Salomen* fratri *Herodi* supervixisse, (scilicet qvæ etiam mortuô fratre, Romam navigare, & *Antipæ* hortatrix esse potuit, ut simul iret, & regnum peteret. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* XI. *Bell. jud.* II. *c.* I.) mirari subit, qvid *Baronio* ad *Ann Chr.* 2. *num.* 2. venerit in mentem, qvòd cum Eusebio, *in Chronic.* & Philone, *lib.* II. *de tempor.* tenere voluerit, qvòd *Salome cum Viro de Tribu Juda, ab Herode, regni annô tricesimô interempta sit.* Nam *Philo* ille *de Temporibus*, supposititius est: Ipse scilicet *Annius Viterbiensis*.

Et de *Eusebio* tam crassè fallitur *Baronius*, ut is potiùs scripserit contrarium. Inspiciatur *Codex Scaligeri*, *p.* 41 & 156. ubi ita scriptum: *Herodes ad ea qvæ suprà crudeliter egerat, etiam hoc addidit. Virum sororis suæ Salomæ interfecit, & qvùm eam alii tradidisset Uxorem, etiam hunc necavit.* Qvæ *Salomes maritos*, non ipsam *Salomen* interfectam referunt. *Cardinali* rectiùs crimen imputandum est, cùm per *Eusebium*, ipsi *emendatum*, (si non potiùs depravatum) vult *Salomen* mortuam *Ann. Chr.* 2. & tamen ad *Ann. Chr.* 7. adhuc eam refert inter vivos Qvomodò eam *Herodes* bis occidit. Imò, *annô seqvente* Baronio adhuc vivit *Salome*, & frater, qvi jam bis occiderat, testamentum condens, legatô eam divite proseqvitur. Porrò; *Salomen* levitatis & lasciviæ (nè in hoc etiam fratri non esset similis) arguit, tum qvòd marito libellum repudii contra leges miserit. *Ant.* XV. *c.* XI. *confer. Ant.* XVI. *c.* XI. tum qvòd *Alexandro Mariammes* noctu per incestum *vim* intulerit. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* XI. *Bell.* I. *c.* XVII. *Hegesipp.* I. *c.* XL. Taceo qvæ ad probrum vulgaris famæ in caussâ conjugii egerat cum *Syllæo*. De qvibus *Flavius*, *Ant.* XVI. *c.* XI. & XVII. *c.* I. *Bell. jud. loc. cit.* Mortua est tandem fessa ætate, sub *M. Ambivio*: & bonorum hæredem *Juliam* instituit. *Joseph. Ant.* XVIII. *c.* III. haud dubiè qvod Augustus in honore eam semper habuisset. *Strab. Geogr.* XVI. *p. m.* 526. Ut hæc esset Gratitudo. Sed qvænam illa *Julia? Salianus* in *Annal. ad Ann. Chr.* XI. *num.* IV. culpat *Josephum*, qvod *Ant.* XVIII. *c.* III. scripserit *Salomen sub M. Ambivio Procuratore Syriæ, testamentô, Juliæ Jamniam, cum sua Toparchia,* reliqvisse. Additqve: *Hoc qvoqve suspectum redditur. Nam duodecimum jam annum relegata erat; nec aliud ab Augusto, teste Tranqvillô, lib.* II. *c.* LXV. *qvàm vomica & carcinoma audiebat. Ut*

cre-

credibile ſit eum honorem iſtum injuriæ locô fuiſſe ducturum. *Salianus* ergò *Juliam Cæſaris filiam* intelligit. Nugaciſſimè. Neqve ſi *filia*, aliqvid periculi. Potuit *Philippus*, Juliæ Cæſaris filiæ *urbem*, (æternum monumentum,) inſcribere. *Joſeph. Ant.* XVIII. *c.* III. Ut non injuriæ duceret Cæſar. Vixit autem; qvippe ſub *Qvirinio. Joſeph. loc. cit.* Qvare ergo non potuiſſet *Salome* abſqve offenſa ei teſtari? Imò verò, *non illi*; ſed *Juliæ Cæſaris Conjugi*, *fuit* teſtata. *Flavius* enim *Cæſaris Conjugem*, nunqvàm aliter qvàm *Juliam* appellavit. Prout id patet ex *Ant.* XVI. *c.* IX. & XVII. *c.* I. VII. VIII. X. & XVIII. *c.* III. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. XXI. & *lib.* II. *c.* VIII. omnibúsqve locis, in qvibus ejus meminit. Imò ut magis *Salianus* manifeſtus ſit, & pateat qvàm is funes nectat ex ſabulo, producemus *Flavium*, ἁλώς. II. *c.* VIII. ſic dicentem: Σαλώμη τελευτῶσα, Ἰȣλίᾳ τῇ ȣ̃ σεβαςȣ̃ γυναικὶ τήν τε ἀυτῆς τοπαρχίαν, ϰ̀ Ἰάμνιαν, ϰ̀ τȣ̀ς ἐν Φασαηλίδι φοινικῶνας κατέλιπεν. Cum qvo Hegeſippus, *Excid.* II. *c.* III. inqvit: *Salome moriens, loca, qvæ tenuerat, Lybiæ Uxori Cæſaris dereliqverat.* Julia ergò, cui *Salome* legavit, fuit γυνὴ & non θυγατὴρ ȣ̃ σεβαςȣ̃. Non poſſum mihi temperare, qvin hîc erroris moneam *Scholiaſtas Auguſtos*: qvi *Uxorem Cæſaris*, vivô qvidem maritô *Liviam*, (Hegeſippo, *Excid.* I. *c.* XLII. & II. *c.* III. Lybiam;) ſed poſt hujus exceſſum, *Juliam* volunt dictam. *Caſaubon. in Sveton. lib.* IV. *c.* † XXIII. *p. m.*

† At ibi nihil inveni præter hæc verba: *Liviam Auguſtam proaviam*] *Fortaſſe an Juliam Auguſtam proaviam. Vide ad libri ſuperioris caput ultimum. Philo.* Ἰȣλίαν Σεβαςὴν προμάμμην. Hæc Caſaubonus. Locum, qvo nos remittit Caſaubonus, evolvi, nihílqve lib. III. c. ult. reperire potui huc faciens.

m 124 qvòd tum primùm in *familiam Juliam* fuisset adoptata. Tacitus, *Annal.* I. VIII. 2. Post mortem Augusti. *Livia in familiam Juliam nomenqve Augustæ adsumebatur.* Et *Annal.* VI. LI. I. de Tiberio: *Pater ei Nero, & utrimqve origo Gentis Claudiæ; qvamqvàm mater in Liviam, & mox Juliam familiam adoptionibus transiérit.* Dio adhuc clariùs, *Hist. Rom.* LVI. extr. Τότε δὲ ἀθανατίσαντες αὐτὸν καὶ θιασώτας οἱ καὶ ἱερὰ, ἱέρειαν τε τὴν Λιουίαν, Ἰουλίαν τε τὴν καὶ Αὐγοῦσταν ἤδη καλουμένην, ἀπέδειξαν. i. e. *Tùm verò immortalitatem ei tribuerunt, flaminésqve, & sacerdotem Liviam, qvæ tunc Juliæ etiam Augustæqve cognomenta acceperat, constituerunt.* Hæc illi. Sed qvorum hasta, stipula est. Nam qvamqvàm *unus Tacitus* eam post mortem *Augusti* constanter vocat *Juliam*; sicut antè, *Liviam*: *Flavius* tamen, (ut suprà) eam *totâ vitâ Augusti*, dixit *Juliam*. Et alii Scriptores Augusti, promiscuè eam nunc *Liviam*, nunc *Juliam* indigitârunt. Sicut constat ex *Vellejo*, *Pedone*, *Martiali*, *Seneca*, *Plinio &c.* Dio etiam, post decretum adoptionis, *lib.* LVI. *Liviam* dixit. Et Hieronymus *in Loc. Sanct.* Urbem post mortem Augusti ei ab *Antipa* dedicatam, *Liviadem*, scripsit. Ad *argumenta* respondemus: Neutiqvàm seqvi, qvod qvæ adoptione *Julia* solemniter dicta fuit, non potuerit idcircò *antè*, nondum solenniter, *Juliæ*; aut *pòst*, nomine priore uti. Nam vivô *Augustô*, nomen *Juliæ* non fuit prohibitum: & postqvam hoc fuit publicè decretum, prius, nempe *Liviæ*, nunqvàm Lege fuit vetitum. Qvamqvàm hic etiam *Principes* non imperent. Nam rectè dictum *Tiberio* à *Marcello*: Σὺ Καῖσαρ ἀνθρώποις μὲν πολιτείαν Ῥωμαίων δύνασαι δοῦναι, ῥήμασι δ' οὔ. i. e. *Tu Cæsar hominibus qvidem civitatem Romanam dare potes, verbis*

bis autem non. *Dio, Hist. Rom.* LVII. *p.* 613. E

20 COSTOBARUS.) Ita plerumqve *Flavio* vocatur. *Costabarus* tamen etiam dicitur, *Ant.* XVI. *c.* XI. forte à *Coze*, idolô Idumæorum, cujus antistites, majores ejus fuerant. *Jos. Ant.* XV. *c.* XI. Monstrosè *Gelenius*, *Bell. jud.* I. *c.* XVII. Græcum κοςόϐαρ@, per *Aristobulum* vertit. *Herodes* eum *Idumææ*, seu *Gazæ* Principem constituit; & *Sororem* ei suam conjugavit. In qvem gradum elatus, & pecuniâ, (qvam avarè collegerat) fretus, novis rebus animum adjecit. Certè eò insolentiæ progressus fuit, ut non modò *Herodis* imperata detrectaverit, sed & ad *Cleopatram* miserit, rogans ut principatum Idumææ, *Herodi* ablatum, sibi ab *Antonio* impetraret. Ob qvam fraudem capite luisset, nisi hoc, *uxor*, *matérqve* ejus avertissent. *Uxorem* autem cùm exinde offendisset, abiit ea sine mora ad *Herodem*, & libellô repudii *Costobaro* missô, eum insuper graviter insimulat, *qvòd Babæ liberos jam ab annis duodecim perqvisitos, hostésqve & perduelles declaratos domi suæ clam foveret.* Qvô indiciô vehementer Rex perculsus, eum, Babæqve liberos, mox obtruncari facit. *Joseph. Ant.* XV. *c.* XI. *Euseb. Chron. p.* 156. Scaliger, *Anim. in Euseb. p.* 159. nescio ubi mentem habuerit, cum negârit hunc occisum. *Iste, inqvit, Costobarus, qvi primus in Judæa dimissus est ab uxore, solutô matrimoniô abivit: neqve illum Herodes necavit, ut commentus est Eusebius.* Et paulò post: *Unde paretur patrocinium commento Eusebii, non video.* Sed hic bonus dormitat Homerus. Uti ex *loc. alleg.* constat.

21. ALEXAS.) Eusebio, *Hist. Eccl.* I. *c.* VIII. Ἀλέξανδρ@. & Hegesippo, *Excid.* I. *c.* XLII. *Alexander.* Cùm *Salome*, post cædem *Costobari* ad

nu-

nuptias cum *Syllæo* propenderet; & Frater, cum *Julia Augusta*, hoc non ferrent, (qvamqvàm *ἁλώσ.* I. *c.* XVIII. & *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XLII. habeatur, qvòd *Julia* pro ea intercesserit) *Herodes* ei tertium offert hunc *Alexam*, sibi ex fidissimis: Jovem jurans lapidem, ni faceret, nunqvàm sese æqvum ei permansurum. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* I. Ut necesse fuerit *Salomæ*, qvamqvam invitæ, obseqvi. Herodes moriturus, *Alexæ* huic, cum *Salome Uxore*, ultimæ voluntatis suæ exsecutionem credidit; mandans, ut qvamprimùm animum edidisset, hippodromum, in qvem Regni nobilissimos, ad corrumpenda Populi super morte suâ tripudia acciverat, militibus circumdaret, & conclusos interficeret. Sed ille tamen, Affine melior, & cruentam ac tam horridam parentationem detestatus, omnes mortuô tyrannô dimisit. Qvæ hîc, post *Num.* 19. recoqvo, qvòd *Ludovicus Cappellus, Histor. Apostol. illustrat. p. m.* 105. hoc existimet commentum: *Qvasi Josephus, hôc ut commentô παιδοκτονίαν Bethlehemiticam voluisset obscurare.* At verò etiamsi hæc *nobilium captivitas*, & *cædes Bethlehemitica* valde sint ὁμόχρονα; confundi tamen, alterúmve pro *fabula* haberi, neqveunt: cùm certum sit, *Flavium* superstitione suâ fascinatum, tantum *Christi & rerum ejus* habuisse fastidium, ut nec *palam*, nec *tectè*, qvidqvam eorum, qvæ egit aut passus est, scribere voluerit. solam ejus mentionem faciens in *Jacobo* lapidato: qvem ἀδελφὸν Ἰησȣ̃ τȣ̃ λεγομένȣ Χριςȣ̃, adpellavit. *Ant.* XX. *c.* VIII. *Omnino enim

* Vide omnino hunc ad Josephi locum Cl. Dn. Ittigii Theologi accuratissimè docti & eruditi Prolegomena ad Josephi editionem Coloniens. M. DC. XCI. in fol. d. 3.

nim testimonium ejus de Christo, *Ant.* XIIX. *c.* IV. (etsi Eusebio, *Hist. Eccles.* I. *c.* XI. Hieronymo *in Catalog. &c.* Hegesippo, *Excid.* II. *c.* XII. probantibus etiam Baroniô, *Tom.* I. *Annal.* *Possevin. Appar. Sacr. p.* 279. *in Joseph. & Bibliothec.* XVI. *c.* XIV. *p.* 301. memoratum) est suppostitium. * Ita autem verba habent: Γίνεται κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς, σοφὸς ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητής, διδάσκαλος ἀνθρώπων, τῶν ἡδονῇ τἀληθῆ δεχομένων. καὶ πολλοὺς μὲν Ἰουδαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἑλληνικοὺς ἐπηγάγετο. ὁ χριστὸς οὗτος ἦν. καὶ αὐτὸν ἐνδείξει τῶν πρώτων ἀνδρῶν παρ᾽ ἡμῖν, σταυρῷ ἐπιτετιμηκότος πιλάτου, οὐκ ἐπαύσαντο οἵγε πρῶτον ἀγαπήσαντες. ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν ζῶν, τῶν θείων προφητῶν ταῦτα καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ

* Ruperti, Snellii, Reinesii, Majoris, Menassis, Gronovii, Blondelli, Wheloci, Lansii, Ursini, Wagenseilii, Bœcleri, Bangii, Fabri, & suas ipsius hoc de argumento epistolas conlegit, simúlqve varia veterum & recentiorum hoc de Testimonio judicia ex eorum scriptis excerpsit, ac Noribergæ annô M. DC. LXI. in 12. sub titulo Testimonii Flaviani vulgavit Christoph. Arnoldus. Peculiaribus Dissertationib. hunc Josephi locum pertractârunt Joh. Andr. Bosius, Spanhemius ac Francisc. de Roye. Adde Huet. in p. 27. Demonstrat. Euangel. Lambecium, Tom. VIII. Biblioth. Vindobon. p. 5. s. Natalem Alexandrum, Tom. VI. Histor. Eccles. V. T. Dissert. X. Is. Vossium de LXX. Interpretib. p. 161. Dn. Thomam Ittigium in Prolegom. citat. d. 4. p. m. 49. Explicat illud nec in dubium vocat Jacob. Alting. in Schilo, lib. IV. c. XXIX. p. m. 335. s. edit. Francker. M. DC. LXII, in 4to.

περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων. εἰς τε νῦν τῶν χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον. *Eodem tempore*, inqvit, *fuit Jesus, Vir Sapiens, si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator; & Doctor eorum, qvi libenter vera suscipiunt: plurimosqve tam de Judæis, qvàm de gentibus sectatores habuit. Christus hic erat*: (Hieronym. in *Catalog*. legit: *Credebatur esse Christus.*) *qvem accusatum à nostræ gentis Principibus Pilatus cùm addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qvi ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertiâ die vivus; ita ut divinitùs de eo Vates, hoc & alia miranda prædixerant. Et usqve in hodiernum diem Christianorum genus ab eo denominatum non deficit.* Ad qvæ rectè Cappellus, *Histor. judaic. p.m.* 110. *Hôc locô*, ait, *fit apud Josephum Jesu Christi Domini nostri mentio perhonorifica; sed suspecta videntur, qvæ isthic de Christo dicuntur. Nulla enim est eorum cum antecedentibus & seqventibus connexio: Ut omnino jure videatur ab aliqvo Christiano, eô loci infulta περιοχὴ illa, falsóqve Josepho adscripta. Et sanè si Josephus reverà de Christo ita sensisset, proculdubio nativitatis ejus memoriam non tacuisset suô locô*; Ma*gorum adventum non siluisset, neqve cædem infantum Bethlehemiticorum, ab Herode factam. Imò, fusiùs & latiùs, totam Christi Historiam enarrâsset: Cujus tamen alibi in tota illius Historia nè obscurum qvidem vestigium apparet. Uti nec Christi Discipulorum. Qvod non aliunde videtur profectum, qvàm ex odio in Christum, & Christianam religionem: Ipse cùm esset Judæus pertinax.* Ceterùm ex hoc matrimonió natus est ille *Alexas Selcius*, cui posteà Uxor *Cypros*. De qva *Num.* 52. Ex *Joseph. Ant.* XIIX. *c.* VII.

22. SYLLÆUS ARABS.] *Obodas* Rex Arabum, ipse

ipse ignavus, *Syllæum* hunc, acris virum ingenii, rerum omnium fecerat Dispensatorem, & ab eo totus regebatur. Cujus nomine missus ad *Herodem*, cùm inter cænandum *Salomen* conspexisset, amore tactus in uxorem eam petiit addens: utriqve genti hoc profuturum, siqvidem *regnum Arabiæ* sibi esset destinatum. Sed cùm circumcisionem & alios ritus judaicos metu *Arabum* Syllæus non reciperet, spes nuptiarum omnis evanuit, & *Salome* amicorum consensum nullô modô impetrare potuit. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* XI. & XVII. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. XVIII. *Hegesip.* I. *c.* XL. XLI. XLII. Ob hanc caussam *Syllæus* odium implacabile in *Herodem* concipit. Et primò qvidem latrones, confinia judææ populantes castellô *Ræpta*, iis datô, protegit. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* XIII. XIV. Inde cùm sentiret *Obodam*, latrones & mutuum sexaginta talentorum, qvæ ab *Herode* postulabantur, velle reddere, *Obodam* ipsum venenô perimit, & Herodem perfidè deludit, & traducit. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* XIII. XV. Ob qvæ gravia crimina; sed & cædes nobilium, & ingenuarum stupra, cùm ab *Herode*, & Rege *Areta* accusaretur, Cæsar, qvem diu mentiendo circumvenerat, citatis auditísqve partibus, pronunciat, eum, solutione debiti, & (hâc factâ,) capite teneri. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* XVI. Sed frontis perfrictæ homo & verbero, domum dimissus ut nomina dissolveret, non solùm ausus judicato non parere, sed & plures cædes perpetrare: qvin & *Herodi* per satellitem *Corinthum* vim & necem etiam intentare. Qvorum criminum denuò Romæ, tam ab *Arabibus*, qvàm ab *Herode* postulatus, *Joseph. Ant.* XVII. *c.* IV. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. an, aut qvò evaserit, incertum est. Cardinalis *Baronius* eget collyriô, cùm *in Annal. ad Ann. Chr.* I. n. 30. affirmat, hunc *Syllæum propinqvioris judææ*

Ara-

Arabiæ fuisse Regem. Constat enim eum fuisse *Ministrum Regum*, & non *Regem.* Hegesippus, *Excid.* I. *c.* XL. eum per errorem vocat *Obodam Sylæum.*

23. ANTIPATER.) De hoc nihil usqvam invenio, nisi qvòd fuerit uxoratus, *Joseph. Ant.* XIIX. *c.* VII. & artibus dicendi (δεινότατος ὢν εἰπεῖν &c.) excelluerit. Qvibus confisus, & fortè etiam à matre *Salome*, qvæ *Antipæ* fuit addictissima, impulsus, Romæ de regno pro *Antipa* caussam dixit. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* XI. *Bell. jud.* II. *c.* I. *Hegesipp. excid.* II. *c.* I. Ludovicus Cappellus, *Hist. Apostol. & Judaic. p.* 55. *in Geneal.* nugacissimè hunc subjicit *Alexæ*: qvasi eô fuisset natus. Cùm tamen qvô tempore mater ejus nuberet *Alexæ*, (nempe sub extrema *Herodis*,) ipse etiam jam esset uxoratus. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* I. ἀλλως. I. *c.* XVIII.

24. JOSEPHUS.) Existimo hunc fuisse, qvi post mortem *Herodis*, Varo Syriæ Præfecto, Hierosolymam ad motus componendos & *tertiam Legionem* liberandam venienti occurrebat. Fuit enim certè ἀνεψιὸς Herodis: *Joseph. Ant.* XVII. *c.* XII. sed & Archelai. *Jos. Bell. jud.* II. *c.* III. Huic scilicet *consobrinus*: illi *nepos.* Et sic haud alius *Josephus* qvàm hic ipse. Plura, qvæ hic dici possent, occupabit *Num.* 39. *infrà.*

25. PHASAELUS.) Gorionidi, *lib.* IV. *c.* XVII. hoc nomen est *Phasea*, vel *Phaseas.* Septimô annô ætatis, patre miserè orbatus fuit. Exinde eum *Herodes* ad se recepit, & dum à *Parthis* oppressus egeret pecuniâ, *Malcho Arabi* in pignus destinavit. *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XXV. *Bell. jud.* I. *c.* XI. Qvomodò reliqvum ætatis egerit, nuspiam invenio, nisi qvòd *filiam Herodis* duxerit, & ex ea multos libe-

liberos fusceperit: qvorum *Cypros*, nupta *Agrippæ* posteà *Regi*, clarissima. Joseph. *Ant.* XVII. c. I. & XIIX. c. VII. *Bell.* I. c. XVII. Addit Flavius, *Bell. jud.* I. c. XVII. † *Phasaelum hunc* posteà à Parthis interfectum: (τὴν θυγατέρα τῷ πρὸς πάρθων ὕστερον ἀναιρεθέντι συνέζευξεν ἀδελφιδῷ.) & consentit Hegesippus, *Excid.* I. c. XL. Qvod eqvidem non intelligo. Nam certè, à qvo regnum *Herodes* adiit, id est: à qvo *Phasaëlus* militiam aut regere, aut seqvi potuit, *Parthis* contra *Judæos* nil hostile. Licet itaqve forsitan hariolari, qvòd *Phasaëlus* bello Armenio interfuerit; & tum à *Parthis* fuerit occisus cùm *Tigranes* ejus cognatus illic armis contrà eos contenderet. De qvo infrà *Num.* 66.

26. ANTIPATER.) Filius *Herodis* primogenitus. Virorum omnium perditissima colluvies, regni pestis, & familiæ incendium. *Herodes* eum, nè *Mariamme*; Sponsa Regia offenderetur, urbe, nisi ad festa, expulit. *Joseph. Bell. jud.* I. c. XVII. *Hegesipp. Excid* I. c. XXXVI. Atqve utinam ei hoc exilium perpetuum! Sed cùm *Filii Mariammes* caput tollerent, & patri, generis fiduciâ molesti essent, ille eos ut per æmulum tractabiliores redderet, *Antipatrum* accersit. A qvo tempore, assentando & miseris fratribus calumniando, patris animo tam validè subrepsit, ut *Herodes* eum non modò *filiis Mariammes* præposuerit; sed & his subversis, in hæredem coopraverit: Cæsaris ad hoc voluntate impetratâ; *Joseph. Ant.* XVI. c VI. VII. VIII. XI. XVI. & *lib.* XVII. c. I. IV. *Bell. jud.* I. c. XVII. *Hegesipp. Excid.* I. c. XXXVIII. XL. cùm ille tamen, ingratissimus mortalium, fœdè tantam gratiam repen-

† Hunc locum frustra qvæsivi.

penderit. Etenim, cùm ad ſupremum culmen nihil deeſſet præter patris obitum; *æmulis ſublatis, Cæſare propitiô, patre etiam & Proceribus obnoxiis,* ille per ſcelus agitans compendium, (qvaſi pater qvi diu viveret & imperaret, plurimum ei voluptatis interciperet, ἁλώς. I. *c.* XIX.) ipſum etiam proditione appetit. communicatis conſiliis cum *matre,* & *Pherora:* ſed & hujus *tribus mulieribus;* conjuge ſcilicet, hujúſqve matre, & ſorore: qvorum prona in Herodem conſpiratio. *Joſeph. Ant.* XVII. *c.* XIII. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. Volebat & *Salomen*, unicè ſibi ſudem in oculis, & artibus ſuis adverſam adjungere;) ad qvod aſtutè blandiendo, & *filiam* nuptiis *Avunculi ſui* implicando affectavit viam, ſed illa, (ut qvæ jam diu ipſum in cute noverat; moréſqve ejus in celando ingenio, & amicitiis conſuendis diſſuendíſqve perſpexerat,) ab illo ſe abſtinuit. *Joſeph. Ant.* XVII. *c.* I. *Bell. loc. cit.* Poſt hanc ſpem decollatam, aliâ viâ inſiſtere, vímqve parare cœpit: omnibus ſtudiis eò converſis ut *Salomen* Regi fidam, *Ant.* XVII. *c.* III. ei redderet ſuſpectam. Ad qvod maturè viam invenit per *Acmen* qvamdam *Juliæ* ancillam: cujus fidem præmiis corruperat, ut literas qvaſi *Dominæ* manu Româ mitteret, *Saloménqve* accuſaret: *Qvaſi hæc nuptiis negatis offenſa, contra fratrem Cæſari ſcripſiſſet.* Qvibus ordine cognitis; ſed & inſidiis in *Archelaum, Philippúmqve*, fratres Romæ degentes, ſtructis; imò, in ipſum Patrem veneficiis: ut *Furiæ* qvaſi ex compacto ſurgerent, *Antipater* tandem in judicio convincitur, & aut mittendus ad Cæſarem, aut necandus in tempore, vinculis oneratur. Qvam cataſtrophen dictu incredibile eſt, qvanta hominum feſtivitas ſeqvuta fuit: illuceſcente tandem illô die, qvô is, *tantus publicæ qvietis titio, Fratrum oppreſſor, & Parentis carnu-*

nufex, tandem suis in sceleribus compertus esset. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* VI. VII. *Bell. jud.* I. *c.* XIX. XX. *Hegesipp. excid.* I. *c.* XLIII. XLIV. Non multô interjectô tempore, *Herodes* graviter cum morbo conflictari cœpit. Ubi dum *Herodes*, cultrô sibi ad aperiendum pomum datô vim pararet, & ob hoc magnus fieret tumultus; *Antipater* insolitô ejulatu excitatus, inductúsqve ut crederet de Patre esse conclamatum, cœpit agere cum custodibus de missione. Sed hoc ei scelerum supremum fuit. Nam Rex de omnibus monitus à commentariense, fremens & frendens ad hominis neqvitiam, cùm jus necis in ipsum à Cæsare jam accepisset, statim ablegat, qvi eum interficerent. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* VIII. IX. *Bell. jud.* I. *c.* XXI. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XLV. Et hunc finem inglorium habuit *Antipater*, homo ingenii turbidi & sangvinarii; pudoris adhæc, si qvis alius, profligatissimi: Qvem pater similis, *qvintô die* mox seqvutus fuit. *Aut. alleg.* cædis ejus ab Herode περὶ τῆς ἐσχάτης τοῦ βίου τελευτῆς mandatæ meminit *Eusebius*, *Histor. Eccles.* I. *c.* VIII. Meminit ejus etiam *Macrobius*, Scriptor paganus, *Saturn.* II. *c.* IV. in hunc modum: *Cùm audivisset*, inqvit, [Augustus] *inter pueros, qvos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum jusserat interfici, filium qvoqve ejus occisum, ait*: Melius *est Herodis porcum esse, qvàm filium.* Scilicet: Qvia *Herodes* tanqvàm judæus esu suillæ abstinens, porcos, (uti filios,) haud jugulabat. Ex hoc loco *Macrobii*, Decherius *annot.* 10. *in* I. *p. thes. Disput. de ort. Salvat.* male elicit hunc paralogismum: *Herodes cum infantibus bimulis suum qvoqve filium interfecit, ergò eum bimulum interfecit.* Nam præcisè ex verbis *Macrobii* illud non potest confici. Qvi *inter bimulos* occiditur, non statim *bimulus.* Id qvod etiam dictum sit *Baronio*, qvi in *Annal.*

ad An. Chr. I. *n.* 49. 50. 51. non ſolùm, uti *Decherius*, præſumit, *Macrobium* intellexiſſe Herodis filium bimulum; ſed & eum rectè ſic intellexiſſe. Etenim, *eum fuiſſe infantem, & alium ab Antipatro; non annotatum à Joſepho, qvòd vitæ brevis, de utero qvaſi ad tumulum tranſlatus ſit &c.* At qvid juvat Autorem qvæſitis, noſtriſqve conceptibus velle adſtringere, qvamdiu lumen aliunde præſtò eſt? Certum, *circa infanticidium in Syria*, filium Herodis *Antipatrum* occiſum. In hoc enim conſonat Euſebius, *Hiſt. Eccleſ.* I. *c.* VIII. &c. At num *infans* etiam *ex Herodis filiis* circa hoc tempus fuerit necatus, non eſt æqvè certum: ſed ſic conjicit *Baronius*. Nemo autem clarè adſtruit. Poſtqvàm verò *textus Macrobii* Gloſſæ hujus utriúſqve capax eſt, [filius enim ipſi occiſus, tam *major infante*, qvàm *infans* eſſe poteſt.] judicet qviſqvis vacuus à partibus, & cui bonæ mentis vel ſcrupulus, *utra* ex his melior & aſſumenda: num qvæ lucem habet ex Antiqvis; an qvæ ſolis conjecturis nititur? Serarius, *Opuſc. Tom.* I. *de Herod. c.* XXI. novâ ratione *Baronio* venit in auxilium: qvòd filius: de qvo loqvitur Macrobius, Cæſare inſciô & inconſultô trucidatus ſit; & ſic alius fuerit qvàm *Antipater*. In qvam ſententiam nititur etiam attrahere *Scaligerum*: qvòd is, *Animadv. in Euſeb. p.* 163. ita ſcripſerit: *Filios*, inqvit, *capitis potuit damnare Herodes, jure tàm patriæ poteſtatis, qvàm Regiæ: Sed & hanc qvoqve rem judicio Cæſaris ſubjecit. Eumdem honorem habuit & Cæſari, qvum Antipater filius ejus capitis à Varo damnatus eſt. Qvamvis enim ipſe jure Patriô & Regiô hoc facere potuiſſet; tamen maluit ad declinandam facti invidiam judicium Varo committere: qvi qvamvis Antipatrum inſidiarum in patrem convictum capitis damnâſſet; tamen priùs Romam literas de hac re & homines miſit,*

qvi

qvi vivâ voce Augustum docerent, & de crimine, & de sententia capitis in reum latâ. Itaqve hîc filios suos Herodes ex sententia Cæsaris interfecit. Qvò magis miror, apud Macrobium Augusto dictum hoc excidisse, præstare porcum Herodis esse qvàm filium: tanqvàm nescius hujus judicii hoc pronunciârit. Qvum tamen sententiam capitis in tres filios Herodis, ipse judiciô suô comprobatam confirmaverit. Hæc Scaliger. Sed *Scaligerum* frustrà implorat *Serarius:* ut qvi in ea sententia nunqvàm fuit. Nam non solùm, *in Emendat. Tempor.* VI. *p. m.* 514. hæc notat ad Macrobium: *Omninò*, inqvit, *tam falsum est Antipatrum Herodis filium inter illos pueros cæsum, qvàm ipsum Antipatrum bimulum fuisse; nisi fortè hominem* XXV. *annorum aut amplius, bimulum vocaveris.* [nempe non negat occisum; sed inter bimulos, & bimulum:] verùm etiam *in his ipsis animadversion. p.* 162. sic scribit: *Qvòd puerorum cædes non multò præcesserit Antipatri casum, tum ex Euangelio constat* &c. *tum etiam ex Macrobio, qvi infantes ab Herode cædi jussos, & inter illos filium qvoqve ipsius Herodis pœnas dedisse refert.* Qvid ergo sibi volet *Scaliger?* nempe se mirari, non qvòd Antipater hæc circa interfectus sit, [nam de hoc eum non dubitâsse patuit:] sed qvòd *Macrobius* de *Augusto* tanqvàm inscio ea referre potuerit. *Scaliger* ergo hoc non potest apprehendere. Potuisset verò & *ille*, & *Serarius*, si cogitâssent, qvòd *Augustus* nunqvàm *absolutè* illas neces jusserit. Nam *filios Mariammes* ita *Herodi* permiserat, ut si parricidiô non tenerentur, *levi pœnâ* contentus esset. *Ant.* XVI. *c.* XVI. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XLI. Et de *Antipatro* ita ei fecit potestatem, ut *Exilii* etiam moderationem svaserit. *Ant.* XVII. *c.* IX. *Hegesipp.* I. *c.* XLV. *Augustus* ergo non potuit scire, utrum consilium Herodes seqvi vellet. Pu-

târat enim paternum affectum ita apud ipsum victorem futurum, ut mitiùs eligeret. Sed cùm hoc neglectum audiret, & *filios interfectos*, tyrannicum ejus animum improbans, tandem erumpit: *Præstare ejus porcum qvàm filium esse.*

Thomas Lydyat, in Explicat. argum. natal. Chr. c. XIV. *p. m.* 167. non solùm (cum Kepplero, *Sylv. Chron. p.* 33.) inconvenienter necem filii apud *Macrobium* intelligit de *Alexandro* & *Aristobulo*; sed etiam fabulatur: *filium dicere videri* Macrobium, *qvia illorum alterum, Alexandrum, neci Pollionis subtractum fuisse, rumore vulgatum posteà refert* Josephus. At ubi hoc refert *Josephus?* Qvi non solùm tradit *Alexandrum* & *Aristobulum* hospitiô *Pollionis* honorificè Romæ habitos; *Ant* XV: *c.* XIII. sed & vulgatum, qvòd *uterqve* evaserit. *Ant.* XIIX. *c.* XIV. Nunqvàm ergò fama tulit *alterum tantùm* neci subtractum: multò minus *neci Pollionis*; aut ut illud diceret *Josephus*: nisi hujus codices *nobis* alii, qvàm *Anglis* sunt.

27. FILIA ANTIGONI.] Ultimi Regis, ex familia *Assamonæa*. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* VII. Qvem *Herodes* auxiliis Romanorum victum, & unà cum urbe Hierosolyma captum, tristi spectaculô per *Antonium* occidi fecit. Nam cùm Herodes ἀλλόφυλος, regni Judæorum invasor, legitimos semper hæredes metueret, neqve iis salvis dignitatem apud gentem superbam se tueri posse cerneret, (sicut Judæi אין מעמידין מלך מקהל גרים אפילו אחר כמה דורות עד שתהיה אמו מישראל: *Non constituunt Regem è cœtu Proselytorum, nè qvidem post multas generationes, nisi matrem habeat Israëlitidem.* Majemon. *tr. de Regib. c.* I.) maximis præmiis *Antonium* inducit; ut *Antigono* cervicem tolleret. *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XXVIII. & XV. *c.* I. & XX. *c.* VIII. *Bell. jud.* I. *c.* XIII. *Hegesipp.* I. *c.* XXXI.

Ni-

Niceph. Hist. I. *c.* VI. Dio, *Hist. Rom. lib.* XLIX. *p.* 405. E. addit eum priùs in cruce cæsum atqve flagellatum, rémqve exemplô caruisse. Τὸνδ' Ἀντίγωνον, (inqvit de Antonio) ἐμαςίγωσε, ςαυρῷ προσδήσας, (ὃ μηδεὶς ἄλλ@ βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει,) καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἀπέσφαξεν Id est: *Antigonum cruci adligatum (qvô suppliciô nullus unqvàm Rex à Romanis erat adfectus) flagris cæcidit, ac deinde jugulavit.* Idem habet Plutarchus *in Vit Anton. p. m.* 932. Ἀντίγωνον, inqvit, Ἰουδαῖον προαγαγὼν ἐπεκέλευσεν, οὐδενὸς πρότερον ἑτέρου βασιλέως οὕτω κολασθέντος. Hoc est: *Antigonum Judæum productum securi percussit; qvâ pœnâ in regem nullum fuerat antè animadversum alium.* Ut *Populus Romanus*, hæc & alia gesta *Antonii*, haud benè interpretatus sit. Ceterùm *Principatus Assamonæorum*, (nomen iis ab *Assamonæo*, Sacerdote classis Jojarib: & hic fortè à *monte Galilææ*, ἀσαμών. *Bell. jud.* II. *c.* XXIII. ex qvo natus *Matthias*, Sacerdos Modinensis, arma primus contra *Syros* sumpsit, & gentis liberatæ ab *Antiocho* dominationem ad posteros transmisit. I. *Machab.* II. I. *seq. Joseph. Ant.* XII. *c.* VIII. *Bell. jud.* I. *c.* I.) duravit usqve ad *Antigonum* ultimum *annos* CXXVI. per *Joseph. Ant.* XIV. *c* XXVIII. Ex qvo seqvitur errare R. Jose, *in lib. Aboda Zara, distinct. Liphne, & Seder Olam, c.* XXX. cùm regni domûs *Hasmonai*, (sicut domûs Herodis) *annos* numerant *tres & centum.* Regium nomen ex *his Assamonæis* primus sumpsit *Aristobulus*, filius Hircani, *Annô regressus Populi ex Babylon*, CCCCLXXXII. per *Joseph. Ant.* XIII. *c.* XIX. *Bell. jud.* I. *c.* III. (Errat Strabo, *Geogr.* XVI. *p. m.* 762. cùm primum Regem ponit *Alexandrum*: πρῶτ@, inqvit, ἀνθ' ἱερέως ἀνέδειξεν ἑαυτὸν βασιλέα Ἀλέξανδρ@ τούτου δ' ἦσαν υἱοὶ Ὑρκανός τε, καὶ Ἀριστόβουλ@.) Post qvem *Aristobulum*, qvi succederent, omnes sese *Reges* appellârunt. De qvorum in cives tyrannide pul-

chrè & graviter Tacitus, *Hiſt.* v. *c.* VIII. Interim qvi *Pontifices* dicti ſunt, (prout omnes ante *Ariſtobulum*,) ita maluerunt ipſi: τὴν βασιλείαν τῆς ἱερωσύνης ἐν δευτέρᾳ τάξει τιθέμενοι, καὶ νομίζοντες ὅσῳ θεὸς ἀνθρώπων διαφέρει κατὰ τὸ κρεῖττον, τοσούτῳ καὶ βασιλείας τὴν Ἀρχιερωσύνην. *Philo in Legat. ad Caj. p. m.* 797. Sed qvomodò, qvóqve jure hi *Aſſamonæi*, *Levitæ*, auſi ſunt regnare? Graviter ſanè hoc vocat in dubium R. Bechai, *in Leg. ſect.* ויחי *fol.* 59. in hunc modum: שלא נתנה המלכות כי אם לשבט יהודה לכך נענשו המלכים שלא היו משבט יהודה ולא הצליחה מלכותם כענין שאול המלך הראשון לישראל שנהרג הוא ובניו ולא היתה מלכות של קיימא וכענין החשמוגים שאבדה מלכותם ונענשו במדה כנגד מדה ותחת שהיו רוצים למלוך ולא להם משפט המלוכה היו עבדים לעבדיהם כי השית״ המשיל עליהם עבדיהם והכריתום: *Qvia non eſt datum regnum niſi tribui Juda; ideò puniti ſunt Reges, qvi non erant de tribu Juda; neqve felix fuit eorum dominatio. Sicut contigit Sauli, primo Iſraëlitarum Regi, qvi occiſus eſt ipſe & filii ejus, neqve ſtabile fuit regnum. Sic accidit Haſmonæis, qvorum regnum periit, & pari menſurâ puniti ſunt. Qvia ambierant regnare ſine jure regni, ſubditi ſunt ſervis ſuis. Deus enim S. Benedictus præfecit illis ſervos eorum, à qvibus exciſi ſunt.* Et mox: ומלמד טענה זו שלא היו החשמונים מזרע המלוכה עוד יש בו טענה אחרת שלא היו להם למלוך לפי שהיו כהנים ונצטוו בתורה תשמרו את כהנתכם לכל דבר המזבח ולמבית לפרכת והיון שכן הוא לא היו ראויים לבקש מלכות רק לעבוד את עבדת ה״ ומפני זה נענשו כעונש זה וכן אמרינן בירושלמי אין מושחין מלכים מן הכהנים: *Hæc ratio docet Chaſmonæos non fuiſſe ſtirpis Regiæ. Præterea eſt alia ratio, cur regnare non debuerint: qvia nimirum erant Sacerdotes, qvibus imperatur in Lege Numer.* XIIX. 7. *Cuſtodietis Sacerdotium veſtrum in his omnibus, qvæ pertinent ad altare & intra velum.*

lum. Qvæ cùm ita ſint, non eorum erat ambire regnum; ſed obire tantùm miniſterium Dei. Ideò dicunt in Talmude Hieroſolymitano: Non ungunt Sacerdotes in Reges. Sed reſpondemus: Ex Jure regnandi tribui Judæ promiſſô uſqve ad *tempus* τοῦ *Schiloh*, non conſeqvi *alias Tribus* eſſe excludendas. Aliud eſt dicere: *Tribum Judæ deſituram in regno cùm veniſſet Schiloh*; & aliud dicere: *Judam ſolum ordine minimè interruptô regnaturum* Id qvod ἄγραφον. Nam & Saulus Ephraimita, 1. *Sam.* IX. 1. *ſ.* & ante ipſum *tot judices ex tribubus aliis qvàm Judæ*, populo à Deo ſunt præfecti. Ut res per *Moſen*, tandem etiam ad *tribum Levi* fuerit devoluta. Ita enim vel contra ſe ipſum R. Bechai *in Targ. Onkel. Gen.* XLIX. 10. ומפרני זה אמר עד כי יבא שילה והוא רמז על משה ובאור הכתוב כי המלכות ליהודה עד זמנו של משה שתשוב המלכות והממשלה לבית לוי והא משה רבינו הגואל הראשון המולך על ישראל: *Qvamobrem dicit: Donec veniat Schiloh; ſic deſignandô* Moſen, *ut ſignificet Scriptura Regnum penes Judam futurum uſqve ad tempus* Mo*ſis: qvi tranſlaturus erat regnum in dominationem Levi. Moſes enim Magiſter, fuit primus Redemptor & Rex Iſraël*, Ita ergo, *Alii qvàm Juda*, potuerunt regnare; ſed non *ante Schiloh proximè*. Unde hoc addimus: *Aſſamonæos lineâ maternâ fuiſſe ex tribu Juda*. Ut titulô hujus cognationis cum Juda, æqvè *Regnô* ac *Sacerdotiô* uti potuerint. Συναφθεισῶν τῶν δύο φυλῶν, inqvit Epiphanius, *lib.* 1. *adv: Hæreſ. Tom.* II. τῆς τε βασιλικῆς καὶ ἱερατικῆς, Ἰούδα φημι, καὶ Ἀαρὼν, καὶ πάσης τῆς τοῦ Λευὶ, οὕτω βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς ἐγένοντο. Qvomodò & Cyrillus, VIII. *contr. Julian.* Aſſamonæos ſub Tribu *Juda* comprehendit; dicitqve *eam & domum Davidis regnâſſe uſqve ad Herodem Regem.* Verba ejus ſunt: πῶς ἐν καταλῆξαι φησὶν εἰς Σεδεκίαν τὴν τοῦ Δαβὶδ βασιλείαν, καί τοι τοῦ Ζοροβάβελ;

βελ, ὡς ἔφην, μετὰ τὴν τῆς αἰχμαλωσίας καιρὸν τοῖς τῆς βασιλείας θώκοις ἐνιδρυμένου, καὶ ὄντος μὲν ἐκ φυλῆς Ἰούδα καὶ Δαβίδ, παραπέμψαντας δὲ διὰ τὴν τῆς ἐφεξῆς τὸ σκῆπτρον μέχρι τῆς Ἡρώδου βασιλείας, ὃς μητρὸς μὲν γέγονεν Ἰουδαίου, ἀλλογενοῦς δὲ πατρός.

Qvibus ſimilima habet Epiphanius, *lib.* I. *adv. Hæreſ. p. m.* 118. cùm tribum Judæ dicit regnâſſe uſqve ad Chriſtum. Κατὰ διαδοχὴν, inqvit, διήρκεσε θρόνος Δαβίδ, ἕως αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, μὴ διαλειπόντων τῶν ἐξ Ἰούδα ἀρχόντων, ἕως ἦλθεν ᾧ τὰ ἀποκείμενα ἦν, καὶ αὐτὸς εὐδοκία ἐθνῶν, φησιν. Et paullò poſt: τότε δὲ λοιπὸν, ἀλλόφυλος βασιλεὺς Ἡρώδης, καὶ οὐκέτι οἱ ἀπὸ τοῦ Δαβίδ, διάδημα ἐπίθετο. Nicephorus etiam *Hiſtor. Eccleſ.* I. *c.* IX. Reges Judæis tribuit ἐκ φυλῆς Ἰούδα, ἄχρις οὗ Αὔγουστος μόναρχος ἀνηγόρευτο.

Sed *dices*: Lex erat Numer. XXXVI. 6. 7. ut filiæ extra tribum non nuberent. & ex Philone, *lib* II. *de Monarch. p. m.* 639. conſtat: Pontificem Summum in ſua tribu *virginem Sacerdotalem* debuiſſe ducere &c. πρὸς δὲ τούτῳ, inqvit, καὶ τὸ γένος ἠκρίβωσε τῆς μελλούσης γαμεῖσθαι· προστάξας τῷ μὲν ἀρχιερεῖ μνᾶσθαι μὴ μόνον γυναῖκα παρθένον, ἀλλὰ καὶ ἱέρειαν ἐξ ἱερέων, ἵνα ἐκ μιᾶς οἰκίας καὶ τρόπον τινὰ τοῦ αὐτοῦ αἵματος ὦσιν νυμφίος τε καὶ νύμφη, πρὸς ἁρμονίαν ἐπιδεικνύμενοι παρ᾽ ὅλον τὸν βίον κρᾶσιν ἠθῶν βεβαιοτάτην· ἐπιτρέπει δὲ τοῖς ἄλλοις, καὶ μὴ ἱερέων γαμεῖν θυγατέρας: τῇ μὲν ὅτι μικρὰ τούτων καθαρσία, τῇ δ᾽ ὅτι τὸ ἔθνος οὐκ ἠβουλήθη γενεᾶς εἰς ἅπαν ἱερατικῆς ἀμοιρῆσαι, καὶ παντελῶς ἀποζεῦξαι. Qvæ eqvidem conceſſerim: Etſi in tempore jus hoc emollitum ſtatuam: cùm non ſolùm *Sacerdotes alii quàm Summi*, uxores pro lubitu potuerint accipere, (per *Philon. ſupra;*) verùm & ipſi *Summi Pontifices* extra tribus, uxores ſumere: prout *Ahron* & *Jojhada*, ex tribu Judæ. Potuiſſe adhæc tum *Judices magni Synedrii*, (domus etiam Judæ & Davidis;) tum *ipſos Reges* contrahere affinitatem cum *tribu Levi*, conſtat ex *Rabbinis*, Majemonides *in tract. Sanhedrin, c.* II. inqvit: ואין מעמידין בסנהדרין אלא כהנים לוים וישראל המיוחסין

המיוחסין הראויים להשיא לכהונה וגו״: *Non constituunt in Synedrio, nisi Sacerdotes, Levitas & Israelitas, nobilis prosapiæ: dignos qvi adfinitatem contrahant cum Sacerdotibus.* Et idem, *in Jad Chazakah, tract. de Regib. c.* I. אין מעמידין מלך אלא מן המשיאין לכהונה והטעם שנ״ מקרב אחיך תשים עליך מלך ממבחר שבאחיך: *Non constituunt Regem, nisi ex iis qvi affinitatem contrahere possunt cum Sacerdotibus,* (ita enim hæc intelligo, non κατὰ τὸ ῥητόν: המשיאין לכהונה *assumptos in Sacerdotium:* Regibus enim Sacerdotium non fuit licitum: sed qvasi esset: המשיאין להתחתן לכהונה *assumptos ad affinitatem contrahendam cum Sacerdotio*) *juxta illud Deuteron.* XVII. 15. *E medio fratrum tuorum pones super te Regem; id est: ex præstantissimis fratrum tuorum.* Montacutius qvidem, *Apparat.* II. *in Histor. Eccles. n.* 29. *seq.* hanc sententiam exagitat in *Baronio* & *Barradio*; sed *Num.* tamen 44. *p. m.* 95. propter *Cyrillum* ita mitescit, ut admittat excusationem. *Ista*, inqvit, *de linea feminina, utcumqve dicantur inconcinnè; per qvam ponuntur Machabæi ad sceptrum illud* Ju*dæ adspirâsse: tamen propter Cyrilli autoritatem, qvi solus ex Antiqvis, qvod ego sciam,* (locum scilicet vel Epiphanii suprà, non legerat) *Cardinalis opinioni suffragatur, fuerint per me excusatiora.* Ego verò non tantùm excusatiora; sed & recta censeo: cùm aliter neqveat percipi aut explicari, qvomodò juxta Patriarcham vatem, *Sceptrum* J*udæ steterit usqve ad adventum Schiloh.* Qvamqvàm, qvi sceptrum J*udæ* intelligunt de potestate *Synedrii* [criminali & legislativa] XL. annos ante Templum sublata, *Schabbat fol.* 15. I. *Ganz in Zemach mill.* 4. *ann.* 788. *confer Joh.* XIIX. 31. hoc est: illo ipso articulo, qvô Christus ministerium ingressus *annô ætatis* XXX. [excidium enim incidit in annum Christi LXX.] mundo se ostendit, illi [inqvam] negent, *Asmonæos ad tribum*

bum Juda pertinere, qvòd si vel omnes genus maternum inde ducerent, tamen משפחת אם אינה משפחת *familia matris non sit familia*: ut hâc caussâ *Rabbini* Asmonæorum regnum improbaverint. Ita Alting. *Schilo. lib.* I. *c.* XVII. *& lib.* II. *c.* V. Sed sine magna necessitate ab *Antiqvitate* non est discedendum: cujus caussa satis hîc est favorabilis. Qvare enim non potiùs illi à *tribu Juda* possent denominari, qvi genus saltem maternum inde ducerent, [dubitantibus contra *Antiqvitatem*, aut ei *conjecturam* impingentibus valida incumbit probatio] qvàm qvi non ducerent: ut tot *Judices Synedrii*? aut qvomodò *sceptrum Synedrii* magis *Judæ* potuit dici qvàm *Levi*: cùm *Summus Pontifex* divisam in eo προεδρίαν habuit cum *Principe Judæ*? [conf. *Num.* 73. *infr.*] & suô tempore majorem etiam potestatem? Deniqve: non intelligo, qvomodò *Synedrii jus criminale*, Christi exortu fuit terminatum, qvod posteà jussum. *Joh.* VIII. 7. *&* XIIX. 31. qvin & usurpatum. *Act.* V. 33. 40. *&* VI. 12. *collat. cum c.* VII. 58. 59. Judæis non licebat occidere, ut non ingredi Prætorium; hoc est: *propter festum. Joh.* XIIX. 28. Nec *Rabbini* loqvuntur de exautoratione aliqva *Synedrii* absoluta; sed migratione saltem, aut intermissione temporariâ. Qvamqvàm ultimis temporibus confusionem aliqvam in *Judicium hoc* introductam, & potentiam imminutam, satis pateat ex *Jacobi condemnatione*: ad qvam *Præfectô Romanorum* fuit opus. *Joseph. Ant.* XX. *c.* VIII. In *regnis hæreditariis*, sceptrum *juris materni*, etiam illud sceptrum: qvamqvàm *juri masculorum* sit postpositum.

28. 30. ALEXANDER: ARISTOBULUS.) Post cædem *Matris*, Romam eos Pater miserat, ut illic in domo *Pollionis* educarentur. *Joseph. Ant.* XV. *c.* XIII. Sed inde à Patre domum reductos magna ili-

ilico calamitas affixit. Etenim, cùm formâ, doctrinâ, & moribus egregii essent, (κάλλει τε, καὶ λόγων ἀσκήσει, καὶ χειρῶν ἔργοις, οὐδὲν ἧττον ἢ ὅτι βασιλέως ἦσαν παῖδες, πάντων ἐφέροντο σόμασι. Phot. *Biblioth. Codic.* 238.) repentè invidiam incurrunt eorum, qvi mortis *Mariammes* qvondam fuerant autores. Grave enim his erat, Adolescentes Rege & populô subnixos, non modò emergentes videre; sed & eos ad maxima qvæqve, id est: regnum destinatos: Verentibus, ne si aliqvando ipsis potestas deferretur, ratio iis scelerum reddenda esset. Itaqve contra ipsos conspirant, qvi tum in regno, & Regis animo maximè valebant: *Salome* scilicet, *Pheroras*, & *Antipater*. Qvorum scelestis artibus & insidiis, brevi tamqvàm novatores & cædis maternæ ultores, patri credulo suspecti redditi sunt. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* I. VI. VII. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XXXVIII. XL. XLI. Non parum ipsis nocuit loqvacitas, & qvòd lingvæ parcere non didicissent. Nam cùm pro insita animi magnitudine liberè qvidqvid ureret effutirent, factum inde, ut adversariis omnia captantibus & explorantibus, materies calumniandi non defuerit. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* VI. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. Et qvamqvàm eos in hunc modum circumventos semel Cæsar; *Ant.* XVI. *c.* VIII. *Hegesipp.* I. *c.* XXXVIII. secundùm Archelaus; *Ant.* XVI. *c.* XII. *Hegesipp.* I. *c.* XL. tertiùm etiam ipse Pater, *Ant.* XVI. *c.* XII. *Bell. loc. cit.* fraude cognitâ, in integrum restituisset; odiô tamen ad tempus sopita semper recaluerunt: qvasi si ignis in cineribus non exstingvatur. Ut miseri Principes in nova pericula; sed & vincula tandem sint adducti. Nec multô post qvæstio tam acriter haberi cœpit, ut amici inimicíqve juxtà, totâ aulâ tracti ad eqvuleum sint. Sed illic qvamqvàm inter varia indicia, *alii* proderent qvòd juvenes dixissent, se ad regnum elatos uxores qvidem Regis ad textrinas; fratres autem

ad

ad pædagogia detrusuros: *Alii*, qvòd dixissent se, propter patris invidiam, staturam contrahere opus habuisse, & peritiâ jaculandi haud potuisse uti: *Alii*, qvod Patrem societatis cum Mithridate Partho voluerint accusare: Sed & qvod eô venenis aut inter venandum occisô, cogitârint fugere ad *Romanos*, aut in *Cappadociam*; imò essent, qvi nominarent *Alexandrium*: *Joseph. Ant.* XVI. *c.* XI. XVI. Res tamen omnis, vera comperta huc evasit: *qvòd matris casum graviter tulissent; dolore injuriæ contra Patrem qvid dixissent, & apud ipsum pravorum calumniis oppressi, destinâssent fugere ad Socerum, in Cappadociam.* Hæc fuerunt illa crimina, [alia enim non poterant probari] ob qvæ *Herodes*, concedente Cæsare, eos coram *qvinqvaginta & centum virorum* judicio [inter qvos tamen etiam *Pheroras* & *Salome*, hostes juratissimi. *ἁλώς.* I. *c.* XVII. *Hegesip.* I. *c.* XLI.] *Beryti* accusari, & capitis damnari fecit. Sicut etiam eos paullò pòst, *Sebastæ*, gulâ laqveô elisâ sustulit. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* XVII. *Bell. jud. loc. cit. confer Euseb. Chronic. p.* 41. 156. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XL. XLI. XLII. Gente totâ proseqvente lacrumis, & qvod voce non licuit, gemitu detestante. Strabo Cappadox, *Geogr.* XVI. *p. m.* 765. etiam huc respicit, cùm Herodem qvosdam filiorum ob insidias necâsse scribit: Τῶν δ', inqvit, υἱῶν, τοὺς μὲν αὐτὸς ἀνεῖλεν ὡς ἐπιβουλεύσαντας αὐτῷ· τοὺς δὲ τελευτῶν διαδόχους ἀπέλιπε, μερίδας αὐτοῖς ἀποδούς. Hæc *Strabo*. *Uxores* ipsis adsignatas invenies apud Flavium, *Ant.* XVI. *c.* II. VII. *Bell. jud.* I. *c.* VII.

29. GLAPHYRA.] Filia *Archelai* Regis Cappadocum. Femina animi ferox, & litigiosa. Domus claritas ei semper in lingva fuit: ut qvæ genus paternum à *Temeno*; maternum autem à *Dario filio Hystaspis*, Rege Persiæ, haberet. Certè cùm contumeliosè pergeret, & generis jactantiâ *Uxoribus Regis*; sed

&

& *Salomæ* molesta esset, potentiorum in se odiis concitatis, primò marito, & hinc sibi casum fecit. *Joseph. bell. jud.* I. *c.* XVII. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XL. In aliis, ejus Virtus fidésqve in Maritum clara fuit: ut qvæ & vincula ejus tulit indignissimè, & rogata in caussa ejus, liqvidò testata fuit. *Ant.* XVI. *c.* XVI. *Ter* nupsisse referunt Historici. *Primò*, huic *Alexandro Mariamnæo*. Post qvem, ad patrem cum dote remissa, *Ant.* XVII. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. expetita in torum est à *Jobâ*, (non *Tibâ*, juxta *Heges. Excid.* II. *c.* II.) Rege Libyæ. Qvô defunctô, *Archelao*, Judææ Ethnarchæ dedit se. Qvi ultimus eam tam efflictim deperiêrat, ut uxore legitimâ, *Mariamme*, rejectâ, eam contra Leges duxerit. Ajo: *contrà Leges.* qvia *Glaphyra* antè ex *Alexandro Archelai Fratre* prolem habuit. & fratrum uxores, nisi ob semen excitandum, *Gen.* XXXVIII. 8. *s.* haud fuerunt licitæ. *Levit.* XIIX. 16. & XX. 21. Unde hoc facinus, brevi, *Archelao* exilium; *Glaphyræ* etiam mortem peperit. Nam *Glaphyra*, ab *Alexandrò*, cujus torum polluerat, in somnio objurgata, & levitatis suæ, ac hinc pœnæ monita, *qvintô* postqvàm somniârat *die*, magno suo bono est sublata. Nam in hoc certè *Numen* faverat, qvòd morte præerepta, mariti tristes casus haud incurrerit. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* XV. *Bell. jud* II. *c.* VI. *Hegesipp. loc. cit.* Gorionides, *lib.* V. *c.* XLIV. ita: *Videbat:* (inqvit de Glaphyra,) *qvasi sibi astaret Alexander primus maritus. Qvem cùm cuperet amplecti, repulsam passa est ab eo dicente sibi: Desine à me, & noli me tangere. annon erubescis me tangere, qvæ post me nupsisti Jobab Regi Libyæ? Sed nec hoc satis fuit tibi, nisi & maritum acciperes Archelaum fratrem meum: in cujus domum ingressa es in confusionem meam. Et jurans dixit: Non feram opprobrium istud, donec ultionem sumpsero de te,* (mi-

mitiora verba habet alter Josephus, loc. cit.) *& de Archelao fratre meo, qui hanc stultitiam tecum egit. Evigilans deinde mulier retulit somnium puellis suis, vivénsqve biduo*, (qvinqve dies habet Flavius,) *post somnium suum mortua est.* Hæc ille.

Ceterùm, qvis est ille *Archelaus*? sed & *Joba*? qvorum in his facta mentio? *Jubas* Historia *duos* memorat, circa hæc tempora: *Patrem*, & *Filium*. Nomen utriqve nunc *Juba*, nunc *Joba*, (posterior etiam *Gorionidi* loc. cit. *Jobab*) & regnum in *Aphrica*; sed diversâ forte. *Prior* fuit filius *Hiempsalis*, *Rex Numidiæ*. Dio, *Hist. Rom. lib.* XLI. Pompeji partium fidelissimus contra Cæsarem assertor, *Vellei. Hist.* II. *c.* LIII. & valdè formidabilis. Ut qvi ipso *Cæsare* fatente, *Legiones* x. *Eqvitum* xxx. *Levis armaturæ* C. *millia*, *Elephantos* ccc. secum traxerit. *Sveton. lib.* I. *c.* LXVI. Qvamqvàm Alii putent numerum, studiô auctum à *Cæsare*, ut milites experiretur: Duxisse enim LX. *Elephantos*, *Eqvitum millia* XX. *&* XXX. *peditum.* Appian. II. *Bellor. Civil.* Pro qvibus *Hirtius*, *c.* XLVIII. I. B. Afric. ponit III. *Legiones*, XXX. *Elephantos & Numidas infrœnes* CCC. Ad extremum, cum *Scipione* victus ad *Thapsum*, castrísqve exutus, post epulas lautissimas, cum *Petrejo* suarum partium Duce certamine congressus, qvæsitâ morte periit. *Dio*, *Hist. Rom. lib.* XLIII. confer. Hirt. *in Commentar. hujus Bell.* Plutarch. *in Vit. C. Cæsar.* Paul. Diac. *Histor.* VI. Appianus, *loc. cit.* addit hoc factum in cænaculo, seu ἐπὶ τῇ διαίτῃ. Qvod etiam velle videtur Florus, *Histor.* IV. II. 69. *Juba*, inqvit, *cùm sese recepisset in regiam*, *magnificè epulatus*, *posterò die*, *cum Petrejo*, *fugæ comite*, *super mensas & pocula interficiendum se ei præbuit. Ille & Regi suffecit*, *& sibi: cùm interim semesi in medio cibi*, *& parentalia fercula*, *regiò simul*, *Romanôqve sangvine*

gvine madebant. Hæc ille. *Lucanus* autem videtur hunc Jubam, *Nothum* facere *Hannibalis Carthaginensis*, cùm obliqvum ei ſangvinem attribuit &c. Ita enim ſcribit *Pharſal.* VIII. v. 283.

Hinc anceps dubii terret ſolertia Mauri:
Námqve memor generis Carthaginis impia proles
Imminet Heſperiæ, multúſqve in pectore vanô eſt
Hannibal, obliqvô maculat qvi ſangvine regnum.

Qvæ non vanè improbant *Alii*: qvibus *Hiſpanus* poëtari viſus, hoc eſt: fingere. *Pictoribus atqve Poëtis &c.* Poſterior *Juba*, prioris filius, * Puer à Cæſare in triumfum abductus, Romæ ità crevit ac profecit, ut non modò ſui ſeculi eruditiſſimus; ſed &, ut ludunt vices mortalium, Rex ditiſſimus & potentiſſimus evaſerit. Plutarchus *in Vit. C. Cæſaris*, *p. m.* 733. Τότε καὶ Ἰόβας υἱὸς ὢν ἐκείνου, κομιδῆ νήπιος, ἐν τῷ θριάμβῳ παρήχθη, μακαριωτάτην ἁλοὺς ἅλωσιν, ἐκ βαρβάρων καὶ Νομάδων Ἑλλήνων τοῖς πολυμαθεστάτοις ἐνάριθμος γενέσθαι συγγραφεῦσιν. Id eſt: *Ibi Juba filius ejus admodùm puer in triumpho ductus eſt. Fortunata fuit ei captivitas, qvi inde ex Barbaris Numidis inter eruditiſſimos Hiſtoricos recenſetur.* Appianus, *Bellor. civil.* II. *p m.* 491. inqvit: ἔνθα (ſcilicet in triumfo Cæſaris) καὶ Ἰόβα, παῖς Ἰόβας, ὁ συγγραφεὺς, βρέφος ὢν ἔτι, παρήγετο. Id eſt: *In qvo Jubæ filius Juba Hiſtoricus infans etiam tum traductus eſt.* Cùm adoleviſſet, Auguſtus ei, in uxorem datâ Cleopatrâ

* Vide de eo & Ger. Jo. Voſſium, II de Hiſtoric. Græc. princ. c. IV. p. m. 175. ſ. & Frederic. Lindenbrog. in Marcellin. lib. XXII. c. XV. p. m. 363. a. edit. Lugdun. Batav. 1693. in 4to.

trâ (Selene) filiâ Antonii, Ægyptum & regnum patrium destinavit. Dio, *Hist. Rom. lib.* LI. p. m. 454. A. ἥτε Κλεοπάτρα Ἰόβᾳ τῷ τοῦ Ἰόβου παιδὶ συνῴκησε. Τούτῳ γὰρ ὁ Καῖσαρ τραφέντι τε ἐν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ συστρατευσαμένῳ οἱ, ταύτην τε, (loqvitur de Ægypto) καὶ τὴν βασιλείαν τὴν πατρῴαν ἔδωκε Id est: *Cleopatra autem Jubæ, Jubæ filio, in matrimonium tradita est. Hunc Jubam Cæsar in Italia educatum ac suam militiam seqvutum, hâc Cleopatrâ regnôqve paternô donavit.* Sed posteà tamen mutatâ sententiâ, (*Ægypto* enim certè non præfuit: nam Ægyptum jam inde à *Divo Augusto*, Eqvites Romani obtinebant locô Regum. *Tacit. Histo.* I. XI. I. & Ægyptus jam inde ut imperio Romano juncta est, recta à præfectis. *Ammian. Marcell. lib.* XXII. *c.* XVI.) *Augustus* ei pro paterno regno, *partem Gætuliæ, & Bochi Bogudisqve tractum* dedit. Iterum Dio, *Hist. lib.* LIII. *p. m.* 514. D. Τῷ μὲν Ἰόβᾳ τῆς τε Γαιτουλίας τινὰ ἀντὶ τῆς πατρῴας ἀρχῆς, ἐπείπερ ἐς τὸν τῶν Ῥωμαίων κόσμον οἱ πλείους αὐτῶν ἐσεγεγράφατο, καὶ τὰ τοῦ Βόκχου, τοῦ τε Βογούου, ἔδωκε. Hoc est: *Jubæ pro paterno regno Getuliæ qvædam, qvòd pars eorum major adscripta Provinciis Romanis erat, & Bocchi Bogudisqve ditiones dedit.* Pro qvibus rectè Plinius, *Hist. Nat. lib.* V. *c.* I. extr. utramqve Mauritaniam substituit. Hoc est Cæsariensem, atqve Tingitanam. *Plin. lib. cit. c.* II. (posteà tamen non à *Cajo*; ut *Plin. Hist. Nat.* V. *c.* I. sub qvo rebellârat; sed à *Claudio*, ita bipartitam. *Dio*, *Hist.* LX.) Etiamsi Strabo, *Geogr.* XVII. paterno Jubæ regno dicit Bogudis & Bochi ditionem sive Mauritaniam adjectam: ut (secus qvàm *Dio*) Juba etiam *Numidiam* tenuisset. *Doctrina* Jubæ fuit illustrissima. Plinius *loc. cit. c.* I. inqvit: *Juba Ptolemæi pater, qvi primus utriqve Mauritianiæ imperavit, studiorum claritate memorabilior etiam qvàm regnô, similia prodidit de Atlante &c.*

Qvi

Qvi & ibi, ſicut *Hiſt. Nat. lib.* XII. *c.* XIV. (*confer. lib.* XXXVII. *c.* VIII. *& Solin. c.* XXXII. *al.* XXIV. *al.* XXVII. *extr. Ammian. Marcell. Hiſt.* XXII. *c.* XV.) voluminum ejus ad Cajum Auguſti filium meminit: Ut meritò Plutarcho, non modò *in Vit. Anton.* dictus ſit ὁ χαριέστατος τῶν βασιλέων : ſed & *in Vit. Sertor.* πάντων βασιλέων ἱστορικώτατος. Ex *Cleopatra* filium habuit *Ptolemæum*, (Strab. *Geogr.* XVII.) qvem in Regnò ſuccedentem, *Cajus* perfidè ad ſe pellectum interfecit. Svetonius, *lib.* IV. *c.* XXVI. I. *Leve ac frigidum ſit his addere, qvô propinqvos, amicóſqve pactô,* [Cajus] *tractaverit. Ptolemæum Regis Jubæ filium conſobrinum ſuum, erat enim & is M. Antonii ex Selene filia nepos,* [Cleopatra, filiæ ſuæ ex Antonio, σελήνης dederat ἐπίκλησιν. *Plutarch. in Vit. Anton. Dio, Hiſt. lib.* LI. Atqve hinc eſt, qvòd, qvam *Dio* & *Plutarchus*, vocant *Cleopatram*; *Tranqvillus*, & *Euſeb. Chronic. p.* 42. *& Græc. Scaliger. p.* 60. *Selenam* nominent] *& inprimis ipſum Macronem* &c. *qvibus omnibus cruenta mors perſoluta eſt.* Conſentit Dio, *Hiſtor. Rom. lib.* LIX. & cauſſam addit. Nempe qvòd *Cajus* opibus ejus inhiârit: Γάϊος, inqvit, p. m. 659. E. ἐν τούτῳ τόν τε Πτολεμαῖον, τὸν τοῦ Ἰόβα παῖδα, μεταπέμψας, καὶ μαθὼν ὅτι πλουτεῖ, ἀπέκτεινε. Id eſt: *Cajus Ptolemæum* Jubæ *filium evocavit, ac qvum cognoviſſet de ejus divitiis, necavit.* Seneca, *De Tranqvillit. c.* XI. paullò obſcuriùs: *Ptolemæum,* inqvit, *Africæ Regem Armeniæ, Mithridatem inter Cajanas cuſtodias,* (in carcere apud Cajum) *vidimus. Alter in exilium miſſus eſt; alter ut meliore fide mitteretur optabat.* Scilicet rectè conjicit Lipſius, *in not. ad Tacit. Annal.* IV. *c.* VII. *p. m.* 106. hinc intelligi, *Cajum* primò *Ptolemæum* dimiſiſſe: & poſteà eum ſub viâ fide violatâ occidiſſe. Propterea enim ut meliore fide, (ſeu domum, ſeu in exilium) mitteretur,

 hic

hic optaverat. Scelus ulciſci voluit *Ædemon*; de qvo Plinius, *Hiſt. Nat.* v. *c.* I. *Romana arma, primùm Claudiô Principe in Mauritania bellavêre: Ptolemæum Regem à C. Cæſare interemptum ulciſcente Libertô Ædemone, refugientibuſqve Barbaris ventum conſtat ad montem Atlantem.* Ex qvibus conſtat, errare * *Aurel. Victor.* de Cæſarib. *c.* IV. 2. cùm *Ptolemæum* præterit: *à meridie*, inqvit, *Mauri acceſſêre provinciis; demptis Regibus poſt Jubam &c.* Sed redeo ad *Glaphyram*: cujus cauſsâ hæc διέκβασις inſtituta. Nam ſi qvis qværit, *utri Jubarum* ea nupſerit? omnes qvaſi in re certa conclamabunt: *juniori.* Ego verò etiam *neutri.* Nam *Juba*, cui *Glaphyra* nupſit, priùs deceſſit, qvàm hanc duxit *Archelaus.* Μεταστάντος ſeu τελευτήσαντος Λιβύος &c. Joſeph. *Ant.* XVII. *c.* XV. *Bell. Jud.* II. *c.* VI. *Rectè verò*, inqvit Salianus, *Annal. Tom.* VI. *ad Ann. Chr.* 6. *p. m.* 813. *Videtur Juba eô prœliô, qvô Gætuli ſuperiores fuerant*, (vide Dion. Hiſtor. LV.) *occidiſſe: nam hôc tempore mortuum fuiſſe, & ejus uxorem Glaphyram Regis Cappadociæ Archelai filiam, ad Patrem reverſam, & tertiis nuptiis ab Archelao Judææ Ethnarchâ ductam, auctor eſt Joſephus.* Id verò oppidò falſum & inſulſum eſt. Etenim, qvô annô *Archelaus* Dioni, *Hiſtor.* LV. dicitur relegatus ab Auguſto, nempe Coſſ. *Lepidô & Arruntiô*, (qvàm verè, explicamus alibi,) dicitur etiam *Juba* vixiſſe, & bellum cum *Gætulis*, ſubditis, habuiſſe. *Dio, loc. cit.* Qvomodò ergò *Archelaus* hujus viduam ante exilium potuit ducere? Imò verò *Juba ille* vixit ſub *Tiberio*, & tum primùm diem ſuum obiit. Teſtis Strabo, *Geograph.* VI. νυνὶ δ' inqvit, εἰς Ἰόβαν πεπτώκει ἥ τε Μαυρουσία, καὶ πολλὰ μέρη τῆς ἄλλης Λιβύης, διὰ τὴν εἰς ῥωμαίους εὔνοιάν τε καὶ φιλίαν. *Nunc Mauri-*

* Vidit & hoc Anna Tanaqvili Fabri Filia in Commentar. in h. l.

titaniam aliásqve multas partes Africæ, Juba obtinet. ob ſtudium in Romanos & amicitiam hoc conſecutus. οὐδέποτε, inqvit, γοῦν εὐπορῆσαι τοσαύτης εἰρήνης καὶ ἀφθονίας ἀγαθῶν ὑπῆρξε ῥωμαίοις καὶ τοῖς συμμάχοις αὐτῶν, ὅσην καῖσάρ τε ὁ σεβαστὸς παρέσχεν, ἀφ᾽ οὗ παρέλαβε τὴν ἐξουσίαν αὐτοτελῆ, καὶ νῦν ὁ διαδεξάμενος υἱὸς ἐκεῖνον παρέχει Τιβέριος. κανόνα τῆς διοικήσεως καὶ τῶν προσταγμάτων ποιούμενος ἐκεῖνον καὶ αὐτὸν οἱ παῖδες αὐτοῦ Γερμανικός τε καὶ Δροῦσος ὑπουργοῦντες τῷ πατρί. *Neqvaqvàm igitur Romanis & eorum ſociis tanta pax omniúmqve bonorum abundantia potuiſſet obtingere, qvantam & Cæſar Auguſtus præbuit, poſtqvàm ad eum ſolum ſumma rerum eſt delata: & nunc præſtat filius ejus & ſucceſſor Tiberius; ſicut & ipſum imitantur patris adminiſtri filii, Germanicus & Druſus.* Videtur autem ea ſcripſiſſe *circa qvintum Tiberii.* Nam *Geogr.* IV. ita de Noricis, Tauriſcis, & aliis inalpinis gentibus: πάντας δ᾽ ἔπαυσε, inqvit, τῶν ἀνέδην καταδρομῶν Τιβέριος καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Δροῦσος θερείᾳ μιᾷ, ὥστ᾽ ἤδη τρίτον καὶ τριακοστὸν ἔτος ἐστὶν, ἐξ οὗ καθ᾽ ἡσυχίαν ὄντες ἀπευτακτοῦσι τοὺς φόρους. *Horum omnium crebris incurſionibus finem impoſuit Tiberius, & ejus frater Druſus, unicâ æſtate; & nunc agitur annus tertius ſupra triceſimum, ex qvo qvieſcentes tributum legitimè perſolvunt.* Id qvod convenit *anno qvinto Tiberii*: Conſulatui ſcilicet *Junii Silani*, & *Norbani Flacci*: qvi erat *trigeſimus tertius* à Coss *Druſi Libonis* & *Calpurnii Piſonis*; ad qvorum tempus ea Tiberii & Druſi geſta in Noricis refert Dio, *Hiſt.* LIV. Probat & Tacitus, *Jubam hunc* tum exſtitiſſe Nam cenſis Imperii opibus ſub Tiberio, *Mauros Juba Rex acceperat, donum populi Romani: cetera Africæ per duas legiones paríqve numerò Ægyptus &c.* Annal IV. c. v. 3. Qvi etiam probat ſub *Tiberio* eum deceſſiſſe, dum *Annal*, IV. *c.* XXIII. XXIV. XXVI. aſſerit, filium *Ptolemæum* tum regnâſſe, & ob ſocietatem fidémqve contra *Tacfarinatem*, à Senatu accepiſſe *ſcipio-*

nem eburnum , & togam pictam : antiqua Patrum munera &c. Et qvò tempore *Strabo* opus ſuum Geographicum abſolvit, (nempe ſub *Tiberio*, ut conſtat ex Ptolemæo; paullò antè *Juba* exſpiraverat. Ait enim *Geogr.* XVII. Ἰούβας μὲν οὖν νεωστὶ ἐτελεύτα τὸν βίον. διαδέδεκται δὲ τὴν ἀρχὴν υἱὸς Πτολεμαῖος γεγονὼς ἐξ Ἀντωνίου θυγατρὸς καὶ Κλεοπάτρας. Et mox: Τὴν χώραν μετὰ σύφυκα καὶ ἔσχε Μασανίσσης, εἶτα Μικίψας, εἶτα καὶ οἱ ἐκεῖνον διαδεξάμενοι. καθ' ἡμᾶς δὲ Ἰούβας ὁ πατὴρ τοῦ νεωστὶ τελευτήσαντος Ἰούβα. Vixit itaqve *Juba* ſub *Tiberio*. Sed & fortiter hoc ſtringit *Salianum* , qvòd *Ptolemæus Jubæ filius* , cùm ultimùm defeciſſet *Tacfarinas* , adhuc in juventa fuerit. Tacitus, *Annal.* IV. XXIII. 2. inqvit: *Jámqve tres laureatæ in urbe ſtatuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas; auctus Maurorum auxiliis, qvi Ptolemæô Jubæ filiô juventâ incurioſô, libertos Regios, & ſervilia imperia bellô mutaverant.* Colligantur jam anni, qvibus *Selena* uxor Jubæ, poſt partum *Ptolemæi* vixit; & qvibus *Glaphyra* in toro *Jubæ* fuit poſt *Selenam*; & hinc domum rediit, & nupſit *Archelao*. Addantur etiam anni à morte *Glaphyræ* ſub *Auguſto* , ad motus ultimos Tacfarinatis ſub *Tiberio* &c. An *Ptolemæum in juventa* colliges? Nihil minus. Fuit tamen *in juventa*. Qvid hoc ergò rei eſt? Dicam: *Glaphyra* Jubæ illi nunqvàm nupſit: cùm, ut dictum, *Juba* Jubæ filius, adhuc vixit ſub *Tiberio* : & ſic antè ſub *Auguſto* non deceſſit, aut tum *Glaphyram* viduam *Archelao* nondum exuli reliqvit. Itaqve falſa ἐγχείρησις *Saliani*, qvòd *Juba* à Gætulis [ſub *Auguſto*] interfectus ſit. In qvem errorem *Gelenius* ipſum aut induxit , aut inducere potuit. Nam cùm Flavius, *Ant.* XVII. *c.* XV. Jubam Glaphyræ , vocat Regem τῶν Λιβύων, audacter *Gelenius* vertit & interpretatur: *Regem Mauritaniæ*. Cùm tamen *Mauritania*, nunqvàm dicta fuit *Libya*. Nam

Li-

Libya in Autoribus vel accepta invenitur pro *tota Africa*; vel *in specie* usurpata pro *Carthaginensi*, *Cyrenaica*, *Tripolitana*, atqve *Mareoti*: qvarum nulla fuit *Mauritania*. *Africa major* seu *tota*, in genere dicta fuit *Libya*, tum *Ciceroni*, I. *de natur. Deor.* 141. vastitas Libyæ &c. tum Straboni, *Geogr.* II. *p. m.* 67. μνησθεὶς τ̃ περιπλεόντων λεγομένων τὴν λιβύην. item: νέμεσθαι δ' ἔθνη τὴν λιβύην τὰ πλεῖστα ἄγνωστα: tum Plinio, *Hist.* v. *in titul. Africam Græci Libyam appellavêre, qvà mare ante eam Libycum incipiens, Ægyptô finitur.* Qvò contendit *etymon*: qvatenus *Libya* vel sit qvasi λείπουσα τ̃ ὕειν. * juxta *Varron.* † (undè

* i. e. *egens pluviæ.*

† apud Servium in I. Æneid. v. 26. editum à Georg. Fabricio Chemnicensi, curatúmqve à Ludov. Lucio Basil. CIↃ. IↃC. XIII. in fol. qvod non ab re addo, cùm Servius Petri Danielis Genevæ M. DC. XXXVI. editus in 4to, uti Amstelod. Commelin. CIↃ. IↃC. XLVI. in 4to, pro λείπουσα τοῦ ὕειν (qvod & Vossius, p. m. 288. a Etymolog. Voc. *Libonotus*, agnoscit) habeat λιπυΐα. Joan. Lorinus, Avenionensis Jesuita Commentar. in Acta Apostol. p. m. 102. a. edit. Lugdun. CIↃ. IↃC. V. in fol. *Libya*, inqvit, *sumitur aliqvando pro tota Africa à vento* Libe, *qvi inde flat, aut* ἀπὸ τ̃ λείπειν καὶ ὕειν, *qvòd pluviâ egeat ob nimiam siccitatem. Ea tamen portio, qvæ ab occasu Ægypto adjacet juxta Mareotidem, & Cyrenaicam regionem, vendicat sibi peculiariter id nomen, & dici solet Libya Cyrenaica, ut notat Hieronymus, De loc. ex Actis; dicens, hanc partem Ægypti in parte Africæ primam esse, & mari Libyco nomen dedisse. Est* autem *Cyrene urbs præcipua ejusdem Libyæ, contermina Africæ, & æmula qvondam Carthaginis*, vocatúrqve, *inqvit Hieronymus*, regio ipsius Pentapolitana, eò qvòd urbibus qvinqve maximè fulgeat, Berenice, Arsinoë, Ptolemaide, Apolloniâ, ipsâqve Cyrene. *Vulgus nunc adpellat Barbariam.* Hæc Lorinus.

(undè fortean Lucano, *Pharsal* I. *v.* 368. dicta sitiens,] vel sit dicta qvòd inde Libs flet, id est, Africus. *Isidor. lib.* XIV. *c.* V. * imò verò, ab antiqva voce λίβυς; qvæ, [ut μαυρὸς] *nigrum* denotat. Nam ut *Galathæ* ἀπὸ τοῦ γαλάθου, *candidò*; ita certè *Libyes* à *nigro*. Qvi *Libyam* deducunt, seu à *Libya* Epaphi filia, illic regnum qvæ condidit; *Isidor loc. cit.* seu à *Liby* qvodam, filio Mesræi; qvasi prius dicta fuit *Phute*; *Joseph. Ant.* I. *c.* VII. sicut posteà *Africa*, ab *Ophre*; *Joseph. Ant.* I. *c.* XVI. nihil moror. Pro *Africa Carthaginensi*, seu *minore*, aut *Proconsulari*, [sitá inter promontorium candidum & Mercurii, & divisâ in provincias, veterem & novam, fossâ discretas, *Plin. Hist.* V. *c.* IV.] *Libyam* accipit illud Virgilii, *Æneid.* I. *v.* 230.

- - - *Libyæ dêfixit lumina regnis &c.*

Et *Æneid.* IV. *v.* 257.

Littus arenosum Libyæ. - - -

prout in hac etiam *Libyphænices*. *Strab. Geogr.* XVII. *Plin. loc. prox.* & Libyam ad corpus totius reipublicæ jungens, Gelimerem Regem, opésqve Carthaginis, in urbe regia, Principi obtulit. *Jornand. de regnor successſ.* De *Libya Cyrenaica* seu *Pentapolitana*, plurimi. *In Pentapoli Libya*, (inqvit *Ammianus, Hist.* XXII. *c.* XVI. *Cyrene posita est, urbs antiqva* &c. *Cyrenen*, (inqvit *Sext. Ruf. in Breviar.* cui consonant *Jornand. loc. cit. Paul. Diacon. Hist.* VI.) *cum civitatibus Libyæ Pentapolis*, *Ptolemæi anti-*

* Verba ejus hæc sunt: *Libya dicta, qvia inde Libs flat, hoc est, Africus: Alii ajunt, Epaphum Jovis filium, qvi Memphim in Ægypto condidit, ex Cassiota uxore procreâsse filiam Libyan, qvæ posteà in Africa regnum possedit. Cujus ex nomine terra Libya est adpellata.*

tiqvioris liberalitate accepimus: Libyam supremi Apionis Regis beneficiô sumus adseqvuti. Hinc *Φυκῦς*, (urbs seu promontorium Cyrenaicæ. *Plin. Hist.* v. *c.* v.) *πόλις τ̃ λιβύης. Stephan de urbib. Libyam Tripolitanam*, inter duas Syrtes, (de qvibus operosè *Strabo*, *Geogr.* XVII.) discas licet ex Salmasio, *Exercit. in Solin. c.* XXVII. *p. m.* 319. autoritate *Eusebii*: cui *Libya* aliqva, dicitur *περικλείουσα ἀπὸ λέπτεως μέχρι μικρᾶς σύρτεως*. Deniqve: *Libyam Mareotin* habet Plinius, *Hist* v. *c.* VI. cùm sic inqvit: *Ea qvæ seqvitur regio, Libya Mareotis appellatur; Ægypto contermina.* Ammianus Marcellinus, *Hist.* XXII. *c.* XVI. *princ.* vocat *siccam*; & Ægypti veteris partem facit. *Tres*, inqvit, *provincias Ægyptus fertur habuisse temporibus priscis; Ægyptum ipsam, & Thebaidem, & Libyam: qvibus duas adjecit posteritas, ab Ægypto Augustamnicam, & Pentapolim à Libya sicciore disparatam.* Ut cùm *Libya* hæc *Mareotis*, Cyrenaicam attigit, non immeritò, *Act.* II. 10. *λιβύη κατὰ Κυρήνην* dicta sit. Finis ei ad Canopitanum Nili ostium; seu ad *Canopum*, oppidum Ægypti. *Solin. Polyhist c.* XXXI. Nam hinc tractus circa *Canopum*, *terra Libya* appellata. *Tacit. Annal.* II. *c.* LX. 4. & Judæi in ea loca delati, *novissima Libyæ* insedisse memorantur. *Tacit. Hist.* v. *c.* II. 2. Et hæc hactenus de *Libya*: nè fidant Teucri, *Libyam posse verti per Mauritaniam. Juba* ergò maritus Glaphyræ, fuit Rex *Libyæ*, & non *Mauritaniæ*. Sed cujus *Libyæ?* certè non qvæ *Romanis* paruit; scilicet *Carthaginensis*, *Cyrenaicæ*, aut *Tripolitanæ*: in qvibus partibus nullus *Juba* potest ostendi, qvi *sub Augusto* desiit. Fuit itaqve, (nam qvid aliud restat?) *Libyæ* Rex, *Mareotis*, aut *Libyægyptiorum*, supra Gætulos, *Plin. Hist* v. *c.* VII. Romanis Scriptoribus haud dubie incognitus, qvod nihil ipsi seu amicitiæ seu inimicitiæ cum

Romano Populo intercesserit. *Strabonis* certè ætate, pleræqve gentes *Libyæ*, incognitæ. *Strab. Geogr.* II. & *Plinii* tempore, primus *Svetonius Paulinus*, consul, Atlantem transgressus. *Plin. Hist.* V. c. I. totúmqve regnum Romanorum in Africa, in has *sex provincias* redactum: *Proconsularem*, *Numidiam*, *Byzacium*, *Tripolin*, & *Mauritanias duas*, *Sitifensem* & *Cæsareensem*. Sex. Ruf. *in Breviar.* ad qvas *Libya Mareotis* haud pertinuit. Ut cùm *Agrippa Minor*, apud Josephum, *Bell. Jud.* II. c. XVI. asserat, qvòd Romani τὴν τρίτην τῆς οἰκουμένης μοῖραν ὅλην ἐχειρώσαντο, hyperbolâ more Oratorum, usus sit. *Libya* autem *Mareotis*, cùm tres habuit gentes; *Marmaridas*, *Adyrmachidas*, & *Mareotas*: & tot *Atlantas*, *Ægypanas*, *Blemmyas* &c. in Æthiopiis. *Plin. Hist.* V. c. VI. & VIII. qvibus ni fallor, mixti *Libyes*: arg. Solin. *Polyhist.* c. XXX. verisimile est, eas aut omnes aut singulas, æqvè suos habuisse Reges, ac gentem illic modicam *Garamantum*. *Tacit. Annal.* IV. c. XXIII. 3. XXVI. 3. inter qvos Reges, *Jubam Glaphyræ* tutius assumere, qvàm ad *Jubam Maurum* recurrere, & absurdâ ratione *Glaphyram* χηρεύουσαν post eum velle fingere, qvæ haud qvaqvam ei supervixit. Ut hunc *tertium*, id est: *Glaphyræ Jubam*, unus nobis *Flavius* detexerit: & Lydyat, *in emend. temp. hujúsqve explic.* c. III. p. m. 29. 48. frustrà hinc qværat fabulæ præsidium, qvòd initium regni Herodis sumendum sit *novem annos* seriùs qvàm *Josepho*. hoc est: *à victoria ad Actium*.

De *Archelao* etiam, patre *Glaphyræ*, pauca adspergenda sunt. Is ejectô *Ariarathe*, Cappadociæ ab *Antonio Triumviro* præfectus fuit: Genus ei paternum descendit ab *Archelais*, (celeberrimus fuit *Archelaus Dux Mithridatis*, tribus præliis à *Sulla* profligatus. *Eutrop. Histor. lib.* V. c. III. IV.] Mater

ter ei fuit scortum *Glaphyra*. Dio, *Hist. Rom.* XLIX. familiam Regiam sangvine non attingens. *Strab.* *Geogr.* XII. in *Bello Actiaco*, cùm ipse ut alii Asiæ Reguli pro *Antonio* stetissent, *Augustus* victor omnes ad modicum redegit, & dejecit, præter hunc *Archelaum*, & *Amyntam*. Dio, *Hist.* LI. Et *Archelao* qvidem ita favit, ut pristino ejus regno adjecerit loca qvædam maritima *Ciliciæ*; & *Minorem Armeniam* pòst *Medum* ei demandàrit. Dio, *Histor.* LIV. Ceterùm, qvàm indignè & perfidè posteà eum *Tiberius* tractaverit, refert Tacitus, *Annal.* II. c. XLII. 3. 4. 5. *Rex Archelaus*, inqvit, *qvinqvagesimum annum Cappadociâ potiebatur: invisus Tiberio, qvòd eum Rhodi agentem nullo officiò coluisset. Nec id Archelaus per superbiam omiserat; sed ab intimis Augusti monitus: qvia florente C. Cæsare, missoqve ad res Orientis, intuta Tiberii amicitia credebatur. Ut versâ Cæsarum sobole imperium adeptus est, elicit Archelaum, matris* (Liviæ) *literis; qvæ non dissimulatis filii offensionibus, clementiam offerebat, si ad precandum veniret: ille ignarus doli, vel si intelligere crederetur, vim metuens, in urbem properat: exceptúsqve immiti à Principe, & mox accusatus in Senatu, non ob crimina, qvæ fingebantur; sed angore, simul fessus seniô, & qvia Regibus æqva, nedum infima insolita sunt, finem vitæ spontè an fatô implevit. Regnum in Provinciam redactum &c.* addit *Annal.* II. c. LVI. 4. *Cappadoces in formam provinciæ redacti, Q. Veranium Legatum accepêre; & qvædam ex Regiis tributis deminuta, quò mitius Romanum imperium speraretur.* Eadem ferè, paucis additis, resumit Dio, *Histor.* *lib.* LVII. *p.* 614. A. & ex eo Xiphilinus, *p.* III. A. *in Tiber*: *Archelaum*, ait, *infensus ei, qvòd cùm olim sibi is supplicâsset, suôqve patrociniò, accusatus ab incolis, usus fuisset, Rhodi se neglexisset; at Cajum*

lum in Asiam venientem officiosè coluisset, insimulatum qvasi novis rebus studeret, evocavit Romam, & Senatus judicio tradidit hominem, non senectute modò extremâ; sed Podagrâ etiam vehementi confectum, & delirare creditum. Et qvidem aliqvando mente verè fuerat alienatus, ita ut tutor regno ejus ab Augusto tum datus fuerit. Tunc verò satis sanus, impotem se animi simulabat: saltem in hoc præsidium salutis qværens. Neqve evitâsset mortem, nisi qvis falsum protulisset testimonium: Dixisse Archelaum, qvòd domum reversus ostensurus esset Tiberio, qvales sibi nervi essent. Id risum excitavit, & Tiberium à necando eo retraxit: postqvàm ille non modò non stare, sed nè qvidem sedere potuerit. Ut lecticâ contectâ in curiam illatus fuerit; prospectánsqve ex ea pauca disseruerit Archelaus tum evitatô periculô nihilominus paulò post obiit. Atqve inde Cappadocia qvoqve Romani juris facta, & Eqviti regenda data. Hæc illi. Summatim autem per scelus eum a Tiberio oppressum referunt, Sext. Aurel. *Epit. in Tiber.* Suidas, *in Vit. Cæsar.* Euseb. *Chron. c. in Tiber p.* 42. 2. 137. & *alii:* addúntqve Eutropius, † *Breviar. lib.* VII. *c.* VI. 2. & Jornand. *de regnor. & temp. success. p m.* 645 eum moriturum Romanis regnum legasse: qvod illo titulò in Provinciam acceptum; & urbs ejus *Mazaca*, dicta *Cæsarea.* Qvamqvàm falsò Jornandes *loc. cit* ea gesta asserat sub *Claudio.* Videtur certè fuisse eruditus. * Nam

† Ut lector judicet, subjicio ipsa Eutropii verba: *Tiberius qvosdam reges, per blanditias ad se evocatos, nunqvàm remisit: in qvibus Archelaum Cappadocem, cujus etiam regnum in Provinciæ formam redegit, & maximam civitatem adpellari nomine suô jussit, qvæ Cæsarea dicitur, cùm Mazaca anteà vocaretur.*

* At varii fuerunt Archelai, qvos enumerat Ger. Jo. Vossius, lib. I. de Historic. Græc. c. X. extr. p m. 61. & lib. III. p 328. f. edit. Lugdun. Batav. CIϽ. IϽC. LI. in 4to.

Nam Plinius, *Hist. Natur.* XXXVII. *c.* III. scribit: *nasci & in India* (Succinum,) *certum est. Archelaus, qvi regnavit in Cappadocia, cortice inhærente tradit advehi rude, polirique adipe Suis lactentis incoctum.* Qvi & *l. eod. c.* VIII. Scriptoris hujus meminit. Atqve hæc obiter de Patre *Glaphyræ.* Mirari verò priùs liceat, qvàm hinc abeo, *Saliani* supercilium. Nam cùm Clariss. *Casaubonus*, iis Svetonii, *lib.* III. *c.* VIII. verbis: *Civilium officiorum rudimentis*, [loqvitur de Tiberio,] *Regem Archelaum, Trallianos, & Thessalos, variâ qvosqve de caussâ, Augustô cognoscente defendit*, inter notas adscribit: *Meminit Dio obiter l.* LVII. Salianus, *Annal. in Scholiis ad Ann. Chr.* 3. *n.* 7. ut os est, & pruritus non vulgaris contradicendi, audet in hunc modum obstrepere: *Malè*, inqvit, *ibi Casaubonus Archelaum Cappadocem non judæum interpretatur: de qvo Dio, lib.* LVII. *Cujus omnis accusatio ac judicium Tiberiô jam imperante confectum est.* Hactenus ille: certè frigidè. Nam cùm Dio, *Hist.* LVII. *suprà allegatus* expresse dixerit: *Archelaum à Subditis accusatum Tiberii patrociniô usum; & hinc, cùm Tiberium Rhodi negligeret, ingratum judicatum &c.* qvomodò potest plenius aliqvid loqvi pro *Casaubono*, aut docere *Salianum*: Qvòd scilicet, *non omnis Archelai Cappadocis accusatio & judicium, Tiberiô jam imperante* † *confectum sit*: Qvandoqvidem aliud judicium præcessit, *in qvo Archelaus accusatus*

† Mihi videtur pro Casaubono contra Salianum sufficere, qvòd Archelaus sit defensus à Tiberio, qvod indicat, qvem citavit Casaubonus, Dio; utut sit de eo: num omnis Archelai accusatio ac judicium Tiberiô jam imperante confectum sit, nec ne? de hoc enim Casaubonus nihil. Neqve etiam Dio ibi de Tiberio, ut Imperatore loqvitur, is enim tunc erat Augustus.

tus à Subditis, *Tiberium*, *imperante Augustô*, (anteqvàm scilicet Tiberius Rhodum qvasi in exilium ivisset; *Dio. loc. cit.* & LV. *Sveton.* III. *c.* XIII.) *habuit patronum?* ut *Jesuita* etiam in aëre piscetur, cùm *in Annal. ad Ann. Chr.* 3. *n.* 7. huic fragili fundamento superstruit *biennalem Christi moram in Ægypto.* Qvasi *ad Annum Christi* 2. Tiberius in caussa *Archelai judæi*, *nondum ex septennali sua peregrinatione*, (mansione in Rhodo; *Vellej. lib.* II. XCIX. 2.) *Romam rediisset.* Nam unde probabitur Tiberium *Archelao judæo* fuisse patrocinatum? Scilicet qvòd sic referat Svetonius, *lib.* III. *c.* VIII. *alleg.* Id verò demum est in circulum, ire, & κοκκύζειν. Nam adhuc certè est in qvæstione: Utrum *Archelaum Cappadocem*, an *Judæum*, Svetonius intelligat? Nobis certum *prius*, non *posterius*. Qvando nunqvàm probari potest *Archelaum judæum* defensum à Tiberio: (in judicio hujus ob contentionem fratrum de hercíscundo mortui Patris regno aderat *Cajus* Augusti ex filia nepos. *Joseph. Ant.* XVII. *c.* XI. *Bell. jud.* II. *c.* I. frustrà à Lydyat *in explicat. emend. temp. c.* XIV. *p. m.* 169. 171. transformatus in *Agrippam posthumum*; non *Tiberius*:) potest autem probari *Archelaum Cappadocem* defensum. Sicut suprà. Addo: *Archelaus Svetonii*, fuit *Rex*; (Regem Archelaum inqvit &c.) & sic etiam *Cappadox*, non *judæus*: cùm *hic* nunqvàm *Rex*, sed *Ethnarcha* fuit. Obiter etiam Doctiss. Freinshemius, *in Indic. ad Tacit. Bernegger.* admonendus est; cùm *Archelaum*, cui nepos Rex Armeniæ *Tigranes*, *Tacit. Annal.* XIV. *c.* XXVI. alium putat ab hoc nostro *Archelao*, & deqvo *Tacitus*, *Annal.* II. *c.* XLII. Id qvod *Num.* 66. hujus refutatur.

30. ARISTOBULUS.] Vide *Num.* 28. de *Alexandro.*

31. FILIUS ANONYMUS.] Romæ in ſtudiis mortuus. *Joſeph. Bell. jud.* I. *c.* XVII. confer. *Ant.* XIV. *c.* XXI. De qvo plura ſi qværis, Aſini (ut dicunt,) vellus qværes. Nam falsò Serarius, *Opuſc. in Herod. c.* XIX. *p. m.* 241. de hoc Anonymo: *Videtur*, inqvit, *eſſe ille, qvi lib.* 1. *capt. c.* XVIII. ἡρώδης *vocatur. Nam & hoc teſtatur Gorionides, lib.* V. *c.* XXXII. Similes habent labra lactucas. Nam qvid vult ſibi ille *Pſeudogorionides*? Totô *Capite* XVIII. ἁλώς. nullius alîus *Herodis* exſtat mentio, qvàm cui mater *Mariamme Simonis*, & πρὸς μητρὸς πάππος ἀρχιερεύς. Ut oculi *Serario* caligent in meridie: Qvamdiu *Mariamme Simonis*, non eſt *Mariamme Hircani*; aut hujus pater *Alexander*, Ἀρχιερεύς. In tranſcurſu notandus error *Ruffino-Gelenii*: Qvi ad ἁλώς. I. *c.* XVII. ἐ τέκνων Herodis ἐκ μαριάμμης, exponit: *Qvinqve filiorum &c.* cùm *tres* tantùm *filii* fuerint. Nam *duæ* erant *filiæ*.

32. 33. SALAMPSIO: CYPTOS.) Pheroræ utramqve deſponſatam diximus *Num.* 17. Unde hîc parci eſſe poſſumus: cùm ibi etiam, qvibus deinde nupſerint, notatum. *Cyprus*, (qvod nomen in Aviâ, Tzemach David, *part.* I. *millenar.* 4. *ad Ann.* 697. exprimit per *Kiphron*. *Gorionides autem lib.* IV. *c.* XVII. per *Kiparon*: *Euſebius, Nicephorus, Cedrenus, Georg. Syncellus, Tzetzes, &c.* per *Cyprinen*, aut *Cyprin*) ſine liberis deceſſit. Qvin imò, inqvit Cappellus, *Hiſt. Apoſtol. & judaic. p. m.* 85. *Cyprus* ex *Antipatro Salomes*, genuit *Cyprum* uxorem *Alexæ Selcii*: ex qvibus etiam alia *Cypros*. Id verò nos negamus. *Flavius* inqvit, *Ant.* XIIX. *c.* VII. *extr.* Τούτο μὲν δὴ τὸ φασαήλου καὶ σαμψιοῦς, (lege σαλαμψιοῦς, ut antè in *hoc Capite*,) ἐστι γένος. Κύπρῳ δ᾽ ἐξ ἀντιπάτρου θυγάτηρ γίνεται κύπρος. καὶ αὐτὴν ἀλεξᾶς σέλκιος γαμεῖ τοῦ ἀλεξᾶ. Καὶ αὐτοῦ θυγάτηρ ἦν κύπρος· ἡρώδης δὲ καὶ ἀλέξανδρος, οὓς ἀδελφοὺς ἔφην ἀντιπά-

πάτρου, ἄτεκνοι τελευτῶσιν. Id eſt: *Atqve hæc eſt Phaſaëli & Salampſonis progenies. Cypros autem Antipatro filiam Cypro peperit, qvam duxit Alexas Selcius, Alexæ filius, & ex eo filiam item Cypron genuit. Herodes autem & Alexander, qvos dixi fuiſſe fratres Antipatri, ſine prole diſceſſerunt.* Ubi certè *Joſephus* memorat *Cypro* natam filiam *Cyprum* ex *Antipatro* &c. (qvod fugaci oculô perluſtratum à *Cappello*, nec cum textu collatum eum ſeduxit:) Sed qvô *Antipatrô*? Subnectit *Flavius*: Cui ἀδελφοὶ ἡρώδης & ἀλέξανδρος. Is certè jam non eſt *Antipater filius Salomes*, prout ſuſtinet *Cappellus*; (cui ſcilicet *tales fratres* numqvàm fuerant,) Sed *Antipater filius* Phaſaëli *junioris*. Nam ita *Joſephus* antè in *hoc Capite*: φασαήλῳ μὲν ἐκ σαλαμψιοῦς γίνονται ε̄ παῖδες, ἀντίπατρος, ἡρώδης, ἀλέξανδρος· θυγατέρες τε ἀλεξάνδρα καὶ κύπρος. Id eſt: *Phaſaëlus è Salampſone genuit qvinqve libros: Antipatrum, Herodem, Alexandrum, & filias, Alexandram, ac Cypron. Serarius* etiam, *Opuſc. Tom.* I. *de Herod. c.* XX. Cypro huic *Liberos* tribuit; ſed ex alio *Antipatro*: nempe filio *Phaſaëli*. Id qvod confutatum vide ſis ad *Num.* 52.

32. HERODES, ſeu PHILIPPUS.] *Herodis* nomen variè redditum. *Horodos* dicitur in Thalmud, juchaſin &c. Gorionidi, *lib.* V. *Erodus*: *Hiraudes*, Syriaco in Matth. XXII. Appiano in Parth. ὀρώδης. Sonat, *pellis gloria* †: *pellibus glorians*: *mons gloriæ & arrogantiæ &c. Hor* enim eſt pellis; *Har*, mons; *Hod*, gloria, robur &c. Iſidorus, *lib.* VII. *c.* XVI.

* In Onomaſtico ſacro, Ultrajecti edito à Joh. Leuſdenio, annô M. IↃC. LXV. in 8t. p. 127. exponitur Ἡρώδης *pellis gloria, vel pellibus glorians, aut mons gloriæ vel arrogantiæ: aut Syriacè, draco ignitus.*

c. xvi. exponit: *pelliceum gloriosum.* * *Herodes* plures in *Parthia*, *Syria*, & *Attica*, recensentur à Joseph. *Ant.* xiix. c iii. Plutarch. *in Vit. Anton.* Philostrat. *lib.* i. *Vit. Sophistar. p.* 536. 594. *& lib.* ii. *p. m.* 545. *seq.* Trebell. *lib. de* 30. *Tyrann. c.* xv. xvi. Appian. *in Syria. p.* 83. *Parth.* 92. Justin. *lib.* xlii. *c.* iv. Gell. *lib.* i. *Noct. c.* ii. Sed & in *Italia*. *Herodes* enim aliqvis Consul cum Torqvato ii. sub Antonino Pio, per *Aurel. Cassiodor. in Chronic.* Qvò magis admiror illud Salmasii, *ad consecrat. Templ. in Agr. Herod. p. m.* ii. *Herodes nomen Romanum non est. Græculum igitur oportet esse &c.* Qvasi primò non esset *Romanum*: aut si non esset, ideò foret *Græculum.* In *Palæstina* certè plurimi *Herodes.* Ut constat ex *Flavii omnibus Scriptis*; *Eusebio*, & *Aliis.* Ubi saltem *Herodes* non fuit qvasi ἥρας, hoc est: *Junonis plenus.* (ut deducit Martinius *in Lexic. voc. Herod.*) cùm non constet, qvô pactô id à Græcis huc transierit: & domestica alia origo suppetat. Ceterùm, ad institutum. *Herodem*, (Nobis etiam *Philippum*, post *Antipatrum* testamentô Herodis successorem scriptum, & iterum *culpâ matris* abjectum, antè ad *Num.* 10. ostensum fuit. Postqvàm autem Josephus, *Ant.* xiix. *c.* vii. uxorem ei tribuit *Herodiadem*, *duæ* graves ortæ *controversiæ* sunt. Primò, *an talis Herodes exstiterit*? Et deinde, si exstiterit, *an Herodias ei nupta*? Baronius, *Annal. ad Ann. Chr.* 31. *n.* 48. scribit: *mirum videri, unde novus iste Herodes emerserit*; (qvasi eum Josephus con-

* *Tamqvàm sit*, subjicit Matthias Martinius, col. 1114. extr. Etymol. ex אור *pellis* & הוד *gloria. Sed planè Græcum est ab* ἥρα *tamqvàm* ἥρας, *seu Junonis plenus.* Cui consentit Christian. Becmannus, in p. m. 534. Origin. Latin. Lingvæ.

confinxisset,) *cujus nec in Testamento Patris, nec in divisione regni ab Augusto ulla ratio habita fuit.* Sed *Baronii* admirationis affectui longè prævalet auctoritas *Josephi.* Ut qvi stirpe Regiâ ortus; qvomodò procul habuit mentiri, *Ant.* XVI. *c.* XI. & XX. *c.* IX. σκόπον sibi πρoθέμενος τὴν ἀλήθειαν. *Ant.* XX. *c.* V. *Confer & Præfation. Nostr.* ita pluribus unô locis, claram hujus mentionem injicit, tradítqve eum non modò *Herodi* natum & vixisse; sed & sponsam, *Ant.* XVII. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XLII. qvin Uxorem, *Ant.* XIIX. *c.* VII. accepisse: In Successorem etiam ab Herode cooptatum, *Ant.* XVII. *c.* IV. VI. *Bell. loc. cit.* Et patri, (nempe qvô exstinctô Uxorem ei Antipas abstulit, *Ant.* XIIX. *c.* VII.) etiam supervixisse. Ut minùs opus sit mirari, *unde hic Herodes venerit*, qvàm qvòd *Baronius*, tot librorum Custos, *conjurationem*, ob qvam Herodis hujus non est habita ratio, *Ant.* XVII. *c.* VI. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. XIX. *Hegesipp.* I. *c.* XLIII. (unum certè ex nobilissimis regni Herodis casibus) *aut* non legerit, *aut* non retinuerit. Crimen itaqve *matris* hujus Herodis *Mariammes* fecit, qvòd illius *ad Regnum*, neqve à *Patre*, neqve ab *Augusto*, (ut qvi testamentum Patris, nisi in *Regni titulo* nefas duxit immutare, *Ant.* XVII. *c.* XI. XIII.) ratio est habita. Sine dubio tamen ratio ejus habita fuit in *privato patrimonio*: Cùm Josephus, *Ant.* XVII. *c.* XIII. scribat; *Augustum* qvingenta & mille talenta sibi ab Herode legata (πεντακόσια, malè vertuntur, *qvinqvaginta.* ἀλώς. I. *c.* XX. *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XLV.) inter *filios ejus* divisisse. In qvorum numero, *hunc Herodem* fuisse, qvàm non fuisse, probabilius est. Sed hoc crimen modicum. Nam qvod alterum attinet, & qvòd *Flavius* ei uxorem dicit fuisse *Herodiadem*, omnes

omnes commoventur. Qvaſi hoc eſſet σφάλμα inſanabile; & non modò contra Hegeſippum, *Excid. Hieroſol.* II. *c.* V. Sed & contra ſacram literam. conſonare enim *tres Euangeliſtas*, *Mathæum*, XIV. 3. *Marcum*, VI. 17. *&* *Lucam* III. 19. qvòd *Herodias* fuerit uxor *Philippi*. Ita *Magdeburgenſ. Cent.* I. *lib* I. *c.* III. *p. m.* 16. *Baron. loc. cit. Salian. Annal. ad Ann. Chr.* XXVII. *n.* 7. *Caſaubon. Exerc.* XIII. *p. m.* 282. *&c.* Sed pace dixerim: *Graviſſimi Scriptoris*, tot in rem hanc clara teſtimonia, cirumſtantiis toties repetitis, & Codicum conſenſu fulta, inſuper haberi aut damnari res non patitur. Qvomodò enim veriſimile eſt eum, qvi in Vita *hujus Herodis* & *Philippi*, tam non pauca alia meminerat, non ſciviſſe rem è trivio; Scilicet: *qvæ his fuerant Uxores?* Nomina certè tam illuſtria & Principum, qvi hæc aut egerunt aut paſſi ſunt, in plebe per ſe rumorum avidâ, maximè qvando Leges fœdantur, haud ignota eſſe potuerunt. Ut *Autor in rerum luce poſitus*, multô minùs ſic neqviverit hæc ignorare, ut filiam *Salomen*, pro matre *Herodiade*; adhæc *privatum* pro *Tetrarcha* ſubderet Imò verò, illi ipſi *libri*, qvibus ea ſcripſerat *Joſephus*, non modò à *Judæorum doctiſſimis*; ſed & *Rege Agrippa* comprobati ſunt. *Joſeph. in Vita ſua*, *&* I. *contr. Apion.* ut tot & tam claros oculos, ſi qvod fuiſſet mendum, rei maximè noviſſimæ, haud effugiſſet. οὗτοι μὲν οὖν ἅπαντες, inqvit *Flavius*, *contr. Apion.* ἐμαρτύρησαν, ὅτι τῆς ἀληθείας προὔστην ἐπιμελῶς, οὐκ ἂν ὑποστειλάμενοι καὶ σιωπήσαντες, εἴ τι κατ' ἄγνοιαν, ἢ χαριζόμενος μετέθηκα τῶν γεγονότων, ἢ παρέλιπον: Niſi vis dicere: Qvòd *Agrippa* ejuſdem familiæ Princeps, (cujus in rebus patriis peritiam vel *Apoſtolus* commendat, *Act.* XXVI. 3. & qvi *Joſephum* docuit, qvæ ignoravit. *Vit. Joſeph. p.*

Mm 2 Ge-

Gelen. 1027.) hoc *aut* nesciverit, *aut* dissimulaverit. Qvod mihi æqvè videtur παράδοξον, ac qvòd *Tetrarcha* armis & opibus nixus, (si qvidem *Philippus*, maritus *Herodiadis*, non fuit privatus,] raptum Uxoris, injuriam maximam, per tot annos non fuisset ultus. An aliqvid vetet, *hunc Herodem* de qvo loqvimur, eum fuisse, qvem Josephus, *lib.* 1. *contra Apion.* vocat σεμνότατον, & cui inter alios sub *Vespasiano* Libros censendos dederat? *Alios* audire malim. certè constat, eum dici cognatum Agrippæ: *Vit. Joseph. p. Gelen.* 1026. *collat. cum p.* 1037. & id temporis *octuagenarium*, aut *paulò majorem* satis potuisse vivere. Sed nescio an sic velint jubeant Qvirites? Cum *Euangelistis* Josephus facilè conciliabitur, modò recipiamus *Herodem controversum* fuisse *binominem*: Ut unus idemqve, Josepho *Herodes*; Scripturæ autem *Philippus* appellatus sit. Neqve enim Euangelistæ, *locis citat.* addunt, qvalis fuerit *Philippus*, aut utrum *Tetrarcha*? *Luc.* III. 1. Sed tantùm qvòd fuerit *Philippus* aliqvis, *Antipæ frater*. Pro qvo *Tetrarcham* mox assumere haud opus sit. Nam ad eum modum in Historia judaica, Johannes etiam idem qvi Hircanus. *Ant.* XIII. *c.* XIV. *Bell. jud* I. *c.* II. Jannæus, qvi Alexander: Salome, qvæ Alexandra. *Ant.* XIII. *c.* XX. Imò, qvæ Salina, sive σαλίνας. *Euseb. in Chronic. ad* MDCCCCXLI. *p.* 40. *Hieron. comment. in Daniel.* IX. *Epiphan. advers. Hæres. lib.* I. *Tom.* II. *p. m.* 118. *Nicephor. Hist.* I. *c.* VI. Ad eum modum Aristobulus, (Augustino, *tom.* IV. *oper. lib. de fid. & oper.* Aristobolus) primus Assamonæorum Regulus, etiam Judas. *Ant.* XX. *c.* VIII. *Phot. Bibliothec. Codic.* 76. *p.* 166. *& codic.* 238. *p.* 981. Idem Rex Arabum, & Æneas & Aretas. *Ant.* XVI. *c.* XV. qvi priùs Onias, posteà Menelaus. *Ant.* XIII. *c.* VI. & XX. *c.* VIII. 4. qvi priùs Jonathas, *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XXXVI.

XXXVII.

xxxvii. *&* *lib.* ii. *c.* xiii. posteà Aristobulus. *Ant.* xv. *c.* ii. iii. imò Alexander: nisi error est *Ant.* xiv. *c.* xxvi. Ita omnes qvinqve filii Matathiæ Modinensis, διώνυμοι. *Ant.* xii. *c.* viii. 1 *Machab.* ii. 2. Gadias, qvi Antipater, *Ant.* xv. *c.* xi. Mariamme, qvæ Bernice. ἁλώς. i. *c.* xviii. *Ant.* xiix. *c.* vii. Simonides, qvi Agrippa. *Joseph. in Vit prope fin.* Josephus, qvi Cajaphas. *Ant.* xiix. *c.* iii. *Euseb. Hist. Eccles.* i. *c.* x. Unde hic etiam Josephus Cajaphas. *Ant.* xiix. *c.* vi. Qvi Josepho, *Ant.* xiv. *c.* ii. Antipas seu Antipater, Eusebio, *Hist. Eccles.* i. *c.* vi. vii. *Chronic. Græc. Scalig p.* 265. est Herodes. Qvi Josepho, *Ant.* xiv. *c.* xxv. Malchus, Hegesippo, *Excid.* i. *c.* xxix. Bochus Et qvi Josepho, *Ant.* xiv. *c.* xvii. Sameas, (*Hieron. ad Esa.* viii. Samai: & *lib. Sanhedrin, c.* x. *item, Abrah. ben Dyor, Hist. Reg. fol.* 43. *col.* 3. Schammai,) an Pollio? *Ant.* xv. *c.* i. xiii. Thalmudistis, *in Bava Bathra, Capite Hassutaphin*, est Baba. Taceo rem *ipsis Dei literis* notissimam: In qvibus utiqve Simon, qvi Petrus. *Math.* x. 2. *&* xvi. 16. *Marc.* iii. 16. *Luc.* vi. 14. *Joh.* xx. 2. 6. *&* xxi. 15. 17. *Act.* v. 5. imò, qvi Cephas. *Joh.* i. 42. 1 *Cor.* ix. 5. *&* xv. 5. *Gal.* ii. 9. (frustra Eusebio, *Hist. Eccles.* i. *c.* xii. Petro ὁμώνυμος, non ipse Petrus: Cephas enim hic inter δοκοῦντας & στύλους. *Gal.* ii. 9. *collat. cum v.* 2. 6. 7. 8.) unde jam Simon, *Marc.* i. 30. 36. *Luc.* v. 10 *Act.* xv. 14. Jam Petrus, *Marc.* xiv. 29. *Luc.* viii. 45. 51 *&* ix. 20. 28. 32. 33. *Act.* xv. 7. Jam Simon Petrus, *Marc.* xiv. 37. *Joh.* xiix. 10. *&* xxi. 2. 11. 15. appellatus. Johannes, qvi Marcus. *Act.* xii. 12. 25. *&* xv. 37. Joseph, qvi Barnabas. *Act* iv. 36. Mathæus, *Math.* ix. 9. 10. qvi Levi, *Marc.* ii. 14. 15. Judas, qvi Thaddæus, aut qvi Lebbæus. *Luc.* vi. 16. *Marc.* iii. 18. *Math.* x. 3. Et Saulus, qvi Paulus, *Act.* xiii.

 9.

9. ἀναντιῤῥήτως idem sunt. Tum verò, qvem Lucas *Act.* XII. 1. 6. 11. 19. 21. qvinqvies Herodem, Josephus, *Ant.* XIIX. *c.* VII. & XIX. *c.* VII. *alibíqve*, constanter Agrippam vocat. Unde hic *Suidæ*, Herodes Agrippa. Et *Syro Interpreti*, *Act.* XII. [cui adde *Eusebium, Hist. Eccles.* II. *c.* IX.] Herodes qvi cognominatur Agrippa. Ut prorsus certus sit hic luxus adpellationum. Nihil detrahunt, qvi negant, *judæos qvà judæos fuisse binomines*. Qvasi si nomen aliud habuissent, hoc habuissent adscititium à *Græcis* : nec in *sua Gente* nisi *cognomen*. Nam id qvomodò locô hôc non potest satis excuti : ita nihil officit proposito. Sufficit enim qvòd Judæi qvomodocúmqve, & qvà seu *nomen*, seu *cognomen* diversè fuerint adpellati. Ut *Autores*, qvi in *alterutro* discrepant, nihilominus possint in *Persona una* convenire. Scaliger *Canon. Isagog. lib.* III. *p. m.* 325. inqvit: *Major pars judæorum binomines erant : altero nomine Judaicô, altero Græcô. Ut Jannæus Alexander, Joachimus Alcimus, Jesus Jason, Onias Menelaus, Johannes Hircanus, Saulus Paulus. Cujus nominis Latini, non priùs est mentio in Actis, qvàm ad Gentiles missus est : qvibus notior adpellatio Romana qvàm Judaica. Act.* XIII. 9. Hæc ille. Nudatis agamus frontibus ; sed breviter. *Si Judæi binomines alterum semper habuerint à Græcis*, qvid fiet verò de *Johanne Hircano*, *Simone Cepha*, *Josepho Barnaba*, *Josepho Cajapha*: addo etiam, *Herode Agrippa* ? Qvæ nec *ex toto*, nec ex *parte*, *Græca* sunt ? Una ergò hirundo non facit ver : Imò vero nec secunda, nec tertia. Interim manent *Judæi Binomines* : *aliqvi* scilicet, & jam qvà *nomen*, jam qvà *cognomen*. Prout *Onias Menelaus*, *Matthæus Levi*, *Salome Alexandra*, *Mariamme Bernice*, *Judas aut Jonathas Aristobulus &c.* nunqvàm *cognomina* fuerunt. *Binomines*, inqvam: Qvia περὶ πολλὰς, ut circa Agrippam, διωνυμία *Euseb. Hist. Eccles.* XI. *c.* IX.

c. XX. Herodi Antipæ duplex nomen. *Serar. Opusc. Tom.* I. *de Herod. c.* X. Sed & Agrippæ. *Marlorat. & Lorin. in Act.* XII. I. 21. (*Qvi vel mediocriter Scripturam attigit*, addit Marloratus in Luc. III: 23. *non ignorat*, *qvàm freqvens apud veteres fuerit bina aut trina nomina habere.*) Et interpretes ferè, discrepantiæ *Matthæi* & *Lucæ*, Capit. I. & III. in *Genealogia Christi*, hanc reddunt rationem, *qvòd pleriqve Judæorum duo nomina habuerint. Gregor. Nazianzen. Tostat. in Math.* I. 4. 27. *Jansen. in h. l.* Casaub. *Exercit.* I. *num.* XIII. *p. m.* 95. Qvamqvàm posteà hujus suæ rectæ sententiæ, parum memor fuit *Casaubonus*, cùm *Exercit.* XIII. *p. m* 282. Josephum graviter erroris arguit, & discrepantiam hanc ejus in *caussa Philippi*, tanti æstimat, ut non possit conciliari. *Hegesippus Excidii Scriptor*, *Josepho* haud potest præjudicare. Nam is, (vetus enim & γνήσι@, qvi sub tempora Apostolorum, *V. Actuum Ecclesiasticorum*, seu ὑπομνημάτων. *Phot Biblioth. cod.* 232. *p. m.* 892. *Libros* concinnaverat, teste *Euseb. Histor. Eccles.* IV. *c.* XXI. *& Hieronym. in Scriptor. Ecclesiast.* * dudum intercidit;) primùm post tempus *Constantini M.* scripsisse deprehenditur. *Bellarm. de Script. Eccles. ad Ann.* 177. †† *Confer Baron.*

* Huic in Catalog. p. 125. Tom. I. edit. Basil. *est vicinus Apostolicorum temporum, & omnem à Passione Domini usqve ad suam ætatem Ecclesiasticorum actuum texuit historiam.*

†† Verba ejus hæc sunt p. m. 38. edit. opt. Colon. CIↃ. IↃC. LXXXIV. in 4to, *Egesippus æqvalis Justini, & Athenagoræ fuit, ut ex Eusebio, lib.* IV. *histor. c.* XXI. *& S. Hieronymo in lib. de Script. Eccles. perspicuum est. Scripsit historiam Ecclesiasticam usqve ad sua tempora, id est, usqve ad Aniceti Pontificatum. Hujus historiæ meminerunt Eusebius &*

Certè *Excid.* III. *c.* V. non solùm meminit *Constantinopolis*: (qvod nomen recens, *Constantini* M. fuit,) sed & *Antiochiam*, olim dignitate *tertiam*, (nempe post *Romam*, & *Alexandriam*,) *qvartò*, *postqvàm Constantinopolis excrevit*, *locò censet*. Qvod ante *Decretum Synodi Constantinopolitanæ* 1. id est, *Annum Christi* 381. facere non potuit. Imò verò doctissimus Vossius, *Scriptor. Latin. incert. ætat. lib.* III. *p.* 706. *&* *de Historic. Græc. lib.* II. *c.* XIV. *p.* 229. *s.* characterem habet, [stylus certè non dissimilis,] *Hegesippum hunc juniorem sexcentis ampliùs annis scripsisse ab ætate Hieronymi*, *aut postqvàm Impe-*

rim tamen, *si qvis ætate adolescentiori*, *aut in exordiis Pontificatus sui opus hoc lusisse disertum antistitem* (Ambrosium) *contendat: ita multa apud utrumqve gemina germana reperiuntur*, *qvibus benè exactu vix possis pati*, *qvin unum esse & professorum nomen auctoris sui*, *& hujus dissimulantis illud scripti auctorem exclames*: Et ante paullò: *Fuêre*, inqvit, *qvi B. Ambrosium illi patrem adsignarent*: *inter qvos Ludov. Vives ad Augustinum de Civ. DEI*, *lib.* XXI. *c.* V. *Hoc duæ præferunt editiones*: *hoc MS. Glossarium Scriverianum. Erasmo vix credibile videtur. Scaligero auctor est infimæ vetustatis. Barthius increpat Monachorum impudentiam*, *qvi Ambrosium interpretem adfinxerint*. Hæc Gronov. Sed an ex his Ludov. Vivis verbis: *Hegesippus*, *Ambrosiò interprete*, *lib.* IV. *qvinqve ita urbes incensæ*, *qvarum umbra qvædam & species in favillis videtur*; id constet, perspicaciores me viderint; Salmeron certè Jesuita ductus hâc opinione fuit, *Ambrosium Hegesippi fuisse è Græco sermone interpretem*, repudiatâ tamen à Labbæo, qvi Tomô I. de Scriptorib. p. 420. *fatendum*, putat, *qvisqvis tandem sit auctor*, *Pseudo-Hegesippum eâdem cum Ambrosio ætate vixisse*, *ejúsqve verba ac sententias studiosissimâ æmulatione sublegisse. Nec enim ovum ovo similius*. Qvamqvàm nec hæc ratio valet, cùm is qvoqve imitari possit Ambrosium, qvi ætate longè inferior.

perium Constantinopolin translatum. Ut non sit mirum, qvare *Photius*, qvi tam innumeros Autores allegat, ejus nullam facit mentionem. Nam cum certè haud videtur prætermissurus, Vir in minimis etiam diligens, modò eum *suô seculô*, hoc est *nonô*, invenisset. Æqvúmne igitur est, ut qvi *Josepho* tot est seculis posterior, imò, qvi alibi Josepho sua omnia sic debet, & *ejus vestigiis ita insistit, ut interpretis qvàm Scriptoris officiô fungatur*; Voss. *cit. loc.* is [inqvam] *Josepho* fidem deroget in iis, qvæ *homines sui temporis* concernunt? Novimus certè ex *Ant.* XX. *c. ult.* Josephum annô Domitiani decimô tertiô, *qvinqvaginta sex* fuisse *annorum*; natum scilicet primô annô Caji. *Joseph. in Vit sua.* Ut res *Herodiadis*, *Herodis &c.* qvi adhuc vivebant, *per ἀλώς.* II. *c.* VIII. sat potuerit, novisse. Qvamqvàm etiam illud recordor, qvòd *Hegesippus*, *loc. cit.* Josephum adhuc plus non oppugnet qvam *Euangelistæ.* Nempe. dicit ille etiam fuisse *Philippum*, à qvo rapta uxor, & *Antipæ fratrem*; sed *qvalem Philippum*, & an *Tetrarcham*? minimè. Imò verò characterem habet pro *Herode* nostro. Nam dicit *Herodiadem* ex marito priore habuisse *semen*. *Atqvi Philippus Tetrarcha*, ἄτεκνος. *Ant.* XIIX. *c.* VI. ut ita nihil cogat præcisè nos hoc ulcus tangere, id est: Josepho ψευδογράφημα impingere. cùm, qvomodò *Herodes* duos habuit filios nomine *Antipatri. Ant.* XVI. *c.* VI. & XVII. *c.* X. *Hegesipp. Excid.* II. *c.* III V. ut eorum alter *Herodes* qvoqve adpellatus sit. *Ant.* XIIX. *c.* III. VIII. IX. *Bell.* II. *c.* VIII. Ita ex collatione *Josephi* cum *Euangelistis* intelligatur, etiam *duos* habuisse *Philippos*: qvorum alter, & *Herodes* dictus nempe, qvi privatus vixit. Fuit enim *Herodum nomen* in familia *Ascalonæa* ita freqvens, ut præter *Antipatros* suprà nominatos, etiam fuerit impositum *Aristobulo*: [nam hujus liberi,

ri, *Agrippa*, *Herodes*, *Ariſtobulus &c.* παῖδες dicuntur ἡρώδου, τοῦ υἱέως τοῦ μεγάλου.) *Ant.* XIIX. *c.* VII. Archelao: *Dio, Hiſt. Rom.* LV. Agrippæ Majori: *Euſeb. Hiſt. Eccleſ.* II. *c.* IX. *Act.* XII. 1. 6. 19. 20. 21. Agrippæ Minori: *vid. Num.* 70. & qvàm plurimis. *Ant.* XVII. *c.* I. *&* XIIX. *c.* VII. & XIX. *c.* IV. 7. & XX. *c.* III *Bell. jud.* I *c.* XVIII. *&* II. *c.* X. *lib.* I. *Contr. Apion. Dio, Hiſtor.* LX. *&c.* Ferè, qvomodò Reges Scytharum, Scoloti. *Herodot. lib.* IV. *c.* VI. Parthorum, Arſaces. *Juſtin. lib.* XLI. v. 6. Albæ longæ, Sylvii. *Liv. Hiſtor.* I. *c.* III. Reginæ Æthiopiæ, Candaces, ſive Candoaces *Plin. Hiſt. Nat.* VI. *c.* XXIX. pleriqve Ægypti Reges, *Ptolemæi. Ant.* VII. *c.* VI. &c. à Majoribus denominati ſunt. Et nè hîc, [qvod vetant παῖδες λογικῶν] à non diſtributo ad diſtributum procedamus, rotundè Suidas, *Lexic. de Herod.* idem aſſerit fuiſſe de Philippo. Ἡρώδης, inqvit, ὁ βασιλεὺς Ἰουδαίων, ἔσχεν υἱοὺς ὁμωνύμους αὐτῷ καὶ διωνύμους γ': ἡρώδην ἀντίπαν, τὸν καὶ περὶ δρόμον ἀποτεμόντα. ἐφ' οὗ καὶ ὁ χριστὸς ἐσταυρώθη· καὶ Ἡρώδην φίλιππον, ᾧ πρῶτον. ἡρωδιὰς συναφθεῖσα θυγατέρα σαλώμην ἔσχε, τὴν καὶ ὀρχηστρίδα. καὶ ἡρώδην ἀγρίππαν, τὸν καὶ Ἰάκωβον ἀνελόντα, τὸν τοῦ ζεβεδαίου. *Herodes*, inqvit, *primus Judæorum Rex, tres filios habuit cognomines ſibi, & binomines: Herodem Antipam, ſub qvo & Chriſtus crucifixus eſt: & Herodem Philippum, cui primùm nupta Herodias, filiam habuit Salomen illam ſaltatricem: & Herodem Agrippam*, (qvem *Suidas* vocat filium Herodis M. enallage filii pro nepote; ſicut *Gen.* XXIX. 5. 2. *Sam.* XIX. 24. *& ſuprà*, p. 486.) *qvi & Jacobum Zebedæi ſuſtulit.* Hactenus *Suidas*: & Nos pro *Joſepho.* Errat autem Hegeſippus, *Excid.* I. *c.* XLIII. cùm *Herodem hunc* putat eum fuiſſe, qvi poſteà *Tetrarcha.* cum qvo etiam Capellus, *Hiſt. Apoſtol. & judaic. p.* 85. eum facit *Herodem Antipam*, poſteà *Tetrarcham.* Nugaciſſimè:

mè: cùm huic mater *Malthace Samaritis*, illi *Mariamme Simonis*. Serarius, qvamqvàm *Opusc. de Herod. c.* XIX. *p.* 241. *&c.* XX. *p.* 244. 245. primum Herodiadis maritum appellet *Herodem*; & filiam hujus *Salomen* dicat nuptam *Philippo*; prorsus qvasi ad *Josephi* mentem: tamen præjudiciis occupatus, ita tandem errori succumbit, ut *l. cit. c.* XX. *p.* 243. 244. *Herodem*, primum Herodiadis maritum, *Tetrarcham*, & ipsum *Antipam* faciat. Imò ita fluctuet & evanescat, ut cùm *Salomen* ante *Philippo* tribuerit, nihilominus putet erratum ab iis, qvi non ei *Herodiadem* adscripserint. Qvasi *Philippo* fuisset integrum simul *filiam* & *matrem* ducere. Marlorato etiam *in Math.* XIV. 4. calamus præcurrit menti, cùm sic infit: *Fallitur Josephus, qvi putat non Philippo; sed Herodi Regi Chalcidis, patruo, abreptam Herodiadem fuisse. Accedit altera probabilis conjectura, qvòd Herodias patruo Philippo in matrimonium potiùs data fuisse videtur, qvàm patruo magno, Avi sui fratri, seni jam decrepito.* At ubi *Josephus* dixit *Herodiadem* raptam ab *Herode Rege Chalcidis*? Tum si dixisset; an foret hic statim *Senex decrepitus*? imò *patruus magnus* Herodiadis: qvi vel ipsi Marlorato non nisi *patruus* fuit? Malè hæc cohærent. Cur autem Salianus, *Annal. ad Ann. Chr.* 5. *n.* 49. [cui qvasi aliud agens consonat *Baronius*, dum in *indice Annal. Philippum, ex filia Simeonis Pontificis* deducit,] visus pro Nobis inflare classicum, paulò post cecinerit receptui, & *Josephum* falsi, seu erroris coarguerit, *Annal. loc. cit. & ad Ann. Chr.* 27. *n.* 7. eqvidem incertus sum. *Photius* certè, Josephi hanc sententiam allegans, *Bibliothec. cod.* 238. *p. Edit. Schott.* 974. nihil reprehendit.

36. ARCHELAUS, ETHNARCHA.) In Seder, & apud Tzemach David, *Arkilos*, seu *Archelaos*, Dio-

Dioni, *Histor.* LV. *Herodes Palæstinus.* Prout eidem, *Agrippa Palæstinus*, *Histor. Rom.* LX. Etsi de *nomine Herodis* in Archelao, dubitat Kepplerus, *Sylv. Chronol. p.* 10. Langius, *de Ann. Christ. p.* 348. & *Alii.* Ceterùm *Archelaus*, Romæ, ut pleriqve fratres ejus, educatus, *Ant.* XVII. *c.* VI. initiô qvidem calumniis *Antipatri*, ita depressus fuit, ut pater eum, (non Herodem; ut *Montacut. Appar.* V. *n.* 120. *p. m.* 212.) cum fratre *Philippo*, testamentô præteriêrit. *Ant.* XVII. *c.* VIII. *Bell. jud.* I. *c.* XX. *Hegesipp.* I. *c.* XLIV. XLV. sed fraude cognitâ, & delatore punitô, non multò pòst eum fortuna sic respexit, ut pater eum non modò *hæredem*; sed & post se *Regem* scripserit. Qvô nomine etiam a patre mortuô, cùm & *Epistola ad Exercitum*, & *Testamentum*, eum *Regem* genti nominâssent atqve commendâssent, festivis omnium vocibus exceptus fuit. Curatis autem patri exeqviis, luctúqve finitô, cùm tribunal conscendisset, & omnia iterum votis personarent, *Archelaus* comiter ad populum conversus, ei qvidem pro amore agit gratias, spondens omnibus studium & benevolentiam: ceterùm unum hoc rogare tamen, ne se priùs *Regem* appellare vellent, qvàm hoc *Cæsar* ratum habuisset. *Ant.* XVII. *c.* X. *Bell. jud.* I. *c.* XXI. & II. *c.* I. Paullò post Hierosolymis oritur seditio, propter eos, qvos *Herodes* ob aqvilam Templô decussam qvondam interfecerat: Cùm induci non posset populus contumax, ut propositô desisteret, *Archelaus* armis uti statuit. Crescente enim seditiosorum numerô, ex multitudine, qvæ ad *Pascha* confluxerat, *Archelaus* manifestum bellum veritus, (neqve enim aliqvoties mittendo, qvi obedientiam svaderent, qvidqvam obtinuerat,) copias ablegat, qvæ Templum circumsisterent, & resistentes armis ad obediendum cogerent. In eo tumultu, conjuratorum

tri-

tribus millibus cæsis, reliqvi trepidè in montana acti sunt. Post qvas turbas, Archelaus *Romam* navigat ad Cæsarem, super *Regni confirmatione*. Ubi exceptus *Antipæ* accusationibus, & qvòd prior ipse Rex fuisset scriptus; cùm Cæsar utrimqve partes audivisset, sic responsum habuit: ut Cæsar qvidem, genibus ipsum advolutum regnô dignum judicaverit; ceterum nihil plenè tum determinaverit. *Ant.* XVII. *c.* XI. *Bell.* II. *c.* I. Negotium tamen diu pendens maturârunt posteà *Legati ex Judæa.* Nam cùm hi peterent, ut gens ipsorum, potestate Regiâ, (qvæ tam rexerat crudeliter,) liberata, *Syriæ Præfectis* subderetur; ea res Cæsarem cunctantem sic elicuit, ut paucis diebus pòst, *Herodis Testamentum* in manus sumpserit, & illud in omnibus ratum jusserit, præterqvàm qvòd *Archelaus*, non *Rex*, sed regni partis dimidiæ, (*Judææ* scilicet, *Idumææ*, & *Samariæ*,) *Ethnarcha* constitueretur. *Ant.* XVII. *c.* XII, XIII. *Bell. jud* II. *c.* IV. *Hegesipp.* II. *c.* I. Autor Tzemach David, *part.* I. *millen.* 4. *ad Ann.* 761. brevissimè eum Patri successisse scribit. ארקילוס המלך השני לבית הורדוס מלך אחרי מות אביו בשנת תשסא": *Archelaus Rex secundus è stirpe Herodis, regnavit post obitum Patris sui, Annô* 761. Atqve illâ potestate *Archelaus* demum rediit. Postqvàm verò hanc sui diminutionem imputaret *Populi qverelis & legationibus*, tyrannicè multa in *regno* cœpit agere: maximè contra *Samaritas*. Duobus adhæc summis Sacerdotibus, nempe *Joazarô*, & *Eleazarô*, depositis. Ob qvod iterum à gentis Proceribus Romæ accusatus, cùm accersitus ipse, parùm se purgaret, *Cæsar* eum dominationis *Annô decimô* ejicit *Viennam*, (non Lugdunum. *Hieron. in Math.* I.) in exilium, & *Ethnarchiam* ejus *Syriæ* adjungit: bonis omnibus in publicum redactis. *Ant.* XVII. *c.* XV. & XIIX. *c.* I, III. *Bell. jud.*

II.

II. *c.* VI. *Euseb. Hist.* I. *c.* IX. *&* *Chron. p.* 157. *Niceph. Hist. Eccles.* I. *c.* XVI. *Phot. Biblioth. cod.* σλή. *Hegesipp.* II. *c.* III. Malè Eutychius, *Annal. Arab. Pocok. p. m.* 315. mortuum dicit, postqvàm annos regnâsset IX. qvasi neutiqvàm fuisset relegatus. In qvo eum procul dubio seduxit illud Eusebii, *in Chronic. Scalig. Græc. p. m.* 267. ἀποθανόντος Ἀρχελάου, βασιλεύει τῆς Ἰουδαίας Ἡρώδης ὁ τετράρχης ἀδελφὸς αὐτοῦ &c. geminô errore. nam nec *Archelao mortuo* successor primùm datus, sed exuli: nec hic datus *Herodes frater*, sed *Coponius*. *Ant.* XIIX. *c.* I. III. Etiam plures *exilii hujus* meminerunt. Dio, *Hist.* LV. *ad Ann. Urb.* 759. *Coss. M. Æmiliô Lepidô, & L. Arruntiô*, p. m. 567. B. Ὁ δὲ, inqvit, Ἡρώδης ὁ παλαιστινὸς, αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβὼν, ὑπὲρ τὰς ἄλπεις ὑπερωρίσθη, καὶ τὸ μέρος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδημοσιώθη. i. e. *Herodes Palæstinus à fratribus accusatus trans Alpes est relegatus, ac pars ejus ditionis in publicum redacta.* Meminit etiam illius (ante *Dionem*,) Strabo, *Geogr.* XVI. *p. m.* 526. in hunc modum: οὐ μέντοι εὐτύχησαν οἱ παῖδες, ἀλλ' ἐν αἰτίαις ἐγένοντο, καὶ ὁ μὲν ἐν φυγῇ διετέλεσε, παρὰ τοῖς ἀλλόβριξι γαλάταις λαβὼν οἴκησιν. οἱ δὲ θεραπείᾳ πολλῇ μόλις εὕροντο κάθοδον, τετραρχίας ἀποδοθείσης ἑκατέρῳ. Hæc ille. *Prior*, certè fuit *Archelaus*. Nam cùm *Herodis duo filii* expulsi ad Allobroges; alter *Viennam*, alter *Lugdunum*, solus ibi *Archelaus* διετέλεσε. Frater, enim *Antipas* διετέλεσε in *Hispania*. teste *Joseph.* ἀλώσ: II. *c.* VIII. *Hegesipp. Excid.* II. *c.* V. cùm etiam Strabo, *exilii Antipæ tempore sub Cajô*, vix in vivis fuit. certè *Geographiam* suam in *Amasia* Ponti urbe absolvit *circa prima Tiberii*. Sicut dictum *Num.* 29. In reliqvis Scaliger, *Anim. p.* 164. *Strabonem* reprehendit: *Non omnia*, inqvit, *vera sunt, qvæ de filiis Herodis prodit Strabo. De primo, id est: Archelao verum est, relegatum Viennam Allo-*

brogum

brogum fuisse. De duobus reliqvis, Philippo & Herode Antipa, Tetrarchiis suis exutos, in eas precibus & eblandimentis restitutos fuisse, id tam manifestè falsum est, ut non egeat confutatione, &c. Dico & ego *falsum*, qvin falsissimum. Sed qvî hoc *Scaliger* educis ex *Strabone?* An enim is dixit, *Tetrarchiis exutos, & precariò hinc restitutos?* nihil minus. Dixit *eos tum, cùm Tetrarchiæ darentur, difficulter habuisse reditum.* Id qvod certum. Constat enim ex *Josepho*, qvàm *Augustus* eos post caussam disceptatam adhuc diu Romæ tenuit, & qvàm serò litem voluit decidere. Ut δυςυχία & αἰτία ipsorum, alia certè *Straboni* nón fuerit, qvàm qvæ contigit tum, cùm *Regnum esset dividendum.* Nam non solùm *Antipas* & *Archelaus* αἰτίαις tum inter se commissi sunt; sed & *Legati* adventantes *Judæorum*, omnes filios excludere adlaborârunt, dum Regnum de qvo litigabant, *Syriæ* adjungi peterent. Qvin nec ipsi *cognati*, fidi: ἐπιθυμοῦντες ἐλευθερίας, καὶ ὑπὸ Ῥωμαίων στρατηγῷ τετάχθαι. *Ant.* XVII. *c.* XI. Qvomodò vexati, certè verò haud δυστύχησαν. Profectò, cum *Strabo* inqvit: τετραρχίας ἀποδοθείσης ἑκατέρῳ, digitô qvasi intentô monstrat tempus, qvô *Tetrarchiæ* divisæ sunt. ipsum scilicet illud, de qvo diximus. Ceterùm: *Archelao* exilium hoc triste prædixerat qvidam *Essenus*, cùm audiret, eum somnium habuisse *de* IX, *aut* X. *spicis à totidem Bubus devoratis. Spicas* enim denotare annos; & *boves*, insignem rerum conversionem: uti cùm terram arando vertunt. *Ant.* XVII. *c.* XV. *Bell. Jud.* II. *c.* VI. *Hegesipp.* II. *c.* III. Et hæc ad cursum *Vitæ Archelai.*

Mentionem ejus dum facit Mathæus, *c.* II. 22. dicens: *Josephum timuisse cum Puero ingredi Judæam, qvòd audiret Archelaum locô Patris illic* βασιλεύειν, *Salianus* mihi paucis corrigendus est. Nam is, *An-*

Annal. ad Ann. Chr. 3. *n.* 4. 6. ſ hinc vult deducere, qvòd *Chriſtus poſt reditum Archelai à Cæſare*, (tum, cùm primùm *locô Patris* regnaret) *ex Ægypto fuerit reverſus*. In qvo me non conſentire fateor: *Tum*, qvòd Joſephus dicatur in Ægypto, (non diutiùs qvàm) ad obitum Herodis permanſiſſe, *Math* II. 15. (reditum enim hunc *ſtatim & periculô morte Herodis ſublatô*, æqvè oportet factum; ac periculô inſtante, *fuga ſtatim* & mandata & inita fuerat. *Math*. II. 13. 14.) *Tum*, qvòd ſi reditus poſt regnum diviſum & ſic *Antipæ* dominium ſuper Galilæam contigiſſet, Joſephus æqvè *Antipam*, tanqvàm & illum locô patris regnantem, non dicam Tyrannum, *Luc*. III. 19. 20. & IX. 9. potuerit timere, ac timuit *Archelaum*: & ſic non majori ſpe ſecuritatis ſe recipere in *Galilæam*, qvàm *Judæam*. Cùm potiùs, qvia *Galilæa* nondum *Antipæ* obtigerat, qvæ remotior à *Judæa*, (ſede *Archelai*, penes qvem tum *interregnum* &c.) pareat ratio, ob qvam *Galilæa*, & non *Judæa*, ab Oraculo fuerat commendata. *Objectio*: qvòd *Archelaus* ante regnum confirmatum, *Mathæo* non potuerit dici *locô Patris regnâſſe*, (qvod etiam urget Torniellus, *Annal. ad A. M.* 4054. *p.m.* 373. pro ſuo falſo qvadriennio, cum *Niceph. Eccleſ. Hiſt*. I. *c.* XIV. *Epiphan. Hæreſ*. 20. *Sulpic. Hiſt. Sacr. lib.* II. *& aliis*) facilè diſſolvitur. Notum eſt enim Archelaum, tum ab *Antipa*, *Ant*. XVII. *c.* XI *Bell. jud.* II. *c.* I. tum à *Legatis*, *Ant*. XVII. *c.* XII. accuſatum, qvòd *poteſtatem Regiam*, (ſaltem abſtinens titulô) ſtatim à morte patris ſibi arrogâſſet. Aliam *Saliani* ratiunculam, à *Tiberii Romæ præſentia* petitam, antè ſolvimus *ad Num*. 29. Nam *Baronii Novennium*, per ſe concidit.

De *annis Archelai*, acrior eſt συζήτησις. Manifeſtum eum *annos* IX *ſolidos* regnâſſe, *cum parte* X.

Prout *Flavius* eum jam IX. ἄλως. II. *c.* 6. (cum qvo *Epiphan. lib.* II. *hæres.* LI. *Sulpic. Hist. lib.* II. *Hegesipp. loc. prox.*) jam X. annô, *Ant.* XVII. *c.* XV. relegatum scribit. *Nonô* scilicet exactô, & *decimô* inchoatô: prout *annus currens* sæpè pro *completo* sumitur. (: יום אחד בשנה השוב שנה *Dies unus in anno, computatur qvandoqve pro anno.* per *Massechet Rosch haschanah. Capit. Arba rasche schanim.*) Ut doctè etiam defendit Casaubonus, *Exercit.* IX. *p. m.* 217. 218. contra Baronium, *Annal. ad Ann. Chr.* 16. *n.* 1. Cui multò graviùs objicit, *Exercit.* VI. *p. m* 208. qvòd in *Annal. ad An. Chr.* 8. *n.* 1. Archelai primum annum fecerit, (qvô Herodes mortuus,) *Christi octavum* : *Coss. Æmiliô Lepidô, & Arruntiô.* Nam cùm iis Consulibus, *Baronius* ipse ex *Dione*, *Hist.* LV. agnoscet *Archelaum* relegatum, utiqve hic tum regnum inivit, cùm regnare desiit, & abiit in exilium. *Decimô* inqvam anni, principatu *Archelaus* excidit : βασιλεύοντος Ἀρχελάου δέκατον &c. *Joseph. in Vit.* Ut illud Eusebii, *Hist. Eccles.* I. *c.* IX. μετὰ δεκαέτη χρόνον, sit falsissimum. Atqvi verò (ita contraveniunt) *Archelai exilium contigit annô victoriæ Actiacæ* XXXVII. *Joseph. Ant.* XIIX. *c.* III. *& Urb. Cond.* 759. *Dio, Hist.* LV. (verba antè citata sunt,) *Aut ergo Herodes non decessit annô imperii Augusti* XLIV. *hoc est* : U. C. DCCLIII. *Actiacô* XXV. (*qvod urgent Scaligeriani,*) *aut Archelaus tantùm dominationem habuit annorum* VII, *cum aliqvot mensibus.* Ita (post Petavium, *Doctrin. Temp. tom.* II. *lib.* XII. *c.* VI. & Alios,) occurrit Langius, *de Ann. Chr. p. m.* 351. *& alibi.* Respondemus variè, & primò κατ' ἀδύνατον: scilicet, si *Josepho* & *Cassio* tam crudè insistendum, seqvuturum *Herodem aliqvot menses priùs mortuum, qvàm Christus nasceretur.* Salvator enim optimus maximus, XV. *Tiberii*, annos habuit circiter τριά-

κοντα *Luc.* III. I. 21. 23. *Tertull. apud Euſeb. in Chron. p.* 41. *Epiphan. &* Oportebit ergo Chriſtum natum *annô Auguſti* XLII. poſtqvàm hic imperavit, [non qvidem à *Conſulatu*, *aut victô Antoniô*; ſed *à cæde Julii*, ſeu *exercitu comparatô*,] *annos* LVII. *menſes* VI. *& dies* II. per *Joſeph. Ant.* XIIX. *c.* III. *Bell. jud.* II. *c.* VIII. At jam annus *Auguſti* XLII. eſt U. C. DCCL. aut DCCLI. *Actiacus adhæc* XXVIII. *&c.* Itaqve, ſi *Archelaus* expulſus *annô Actiacô* XXXVII. aut U. C. DCCLIX, [per Flavium, & Dionem] oportebit eum [demptis IX. Ethnarchiæ annis,] ſucceſſiſſe Patri eôdem annô, qvô Chriſtus natus: & *Herodem* illo ipſo mortuum. Jam cùm Herodes obiit in *Martio*, Chriſtus autem natus in *Decembri*, ut hoc certè utrimqve eſt διχόμηνον, qvale fides numinis! jam monſtrum erit? ſcilicet: *totos* IX. *menſes*, priùs vitâ *Herodem* functum, qvàm in lucem Chriſtus prodiit? Cùm tamen Hic natus ἐν ἡμέραις τοῦ Ἡρώδου. *Math.* II. I. Qvæ abſurditas creſcet, ſi detrahenda etiam portio X. *anni Archelai*: & (qvod Alii computant) *anno Auguſti* XLII, reſpondebit *Actiacus* XXIX. & U C. DCCLI. (prout Dioni, *Hiſtor.* L. & LI. Annô U. C. DCCXXIII. δευτέρᾳ τοῦ Σεπτεμβρίου, ad Actium pugnatum.) Et ea ad *annum* U. C. 750. & 751. rectè veritus doctiſſimus Caſaubonus, *Exercit.* I. *ſect.* 34. etſi penitus emergere haud potuerit. At ad ea *Salianus*, *Uſſerius*, & Alii, ita non expaveſcunt, ut etiam audeant *Archelai exilii* annum, facere *Chriſti* VI. Qvomodò *Herodes*, plenô trienniô ante Chriſtum fuiſſet mortuus. Non eſt iis qvidem obnoxius *Baronius*, ſed tamen portentoſior: dum mortem Herodis differt in *Ann. Chr.* VIII. Qvi cùm incidit in *Auguſti* L, ſi addantur *anni* IX. *Archelai*, ſurget poſt annum ex inferis *Auguſtus*, (qvi hanc ætatem nun-

qvàm attigit,) & Archelaum ſuper Alpes adiget: qvin & poſt ipſum *tres Præfectos* mittet; *Coponium, Ambivium*, & *Annium Rufum*: & ſub hoc denuo in urnam revertetur. *Joſeph. Ant.* XIIX. *c.* III. Qvæ non dicam ludicra; ſed perabſurda ſunt. cùm hæc tamen tam pulchra fila ex illo nata textivilitio, *in Apparat. Annal. n.* 115. 116. qvòd XXXVII. *Herodis anni, à Victoria Actiaca* exputandi ſint. Ad qvod εὕρημα, dixerit Montacutius, *Appar.* II. *n.* 44. *p. m.* 96. *Vos Codices librorum antiqvorum Vaticani, & qvicunqve Scriptores ſitu & ſqvalore obſiti, per cryptas & forulos urbanos deliteſcitis, veſtram hic adpello fidem, an ſit inter vos inauditus aliqvis Orbi Chriſtiano hiſtoricus, cui iſta debeamus, tam abſtruſa, tam ſeculis omnibus ignorata.* Sed fruſtrà, & operam perdes *Montacuti*. unus *Baronius* hanc fabulam fecit. plaudite. Redeo ad inſtitutum: cum ἐν πλάτει ſic pateat, qvàm Joſephus, *Ant.* XIIX. *c.* III. & Dio, *Hiſt.* LV. ad eum modum non poſſint intelligi, & qvas verba ipſorum de *exilio Archelai* habeant abſurditates, reſtat ut qvomodò hæc comparata ſint, enucleemus. Ad *locum Joſephi*, duo reſpondemus: *aut* qvod ſubintellexerit vocem περὶ ſimilémve; *aut* qvod ἦγαν ἐν ἀκτίῳ, ſumpſerit aliter, & completiſſimè. *Primum* qvod attinet: nihil certius, qvàm *Joſephum* crebrò *voces tales conjecturales* ſubinnuere: qvas interdum ipſe alibi adducit; interdum non adducit, ſed involvit circumſtantiis. Ita enim pro πεντακόσια τάλαντα, *Ant.* XVII. *c.* VIII. aut πεντακόσιαι μυριάδες, *Ant.* XVII. *c.* X. qvas legavit Herodes, legendum, περὶ πεντακόσια τάλαντα &c. ſicut *Joſephus* ipſe explicat, ἁλώς. I. *c.* XX. Ita pro ςαδίοις ἑξήκοντα, qvibus Herodium à Hieroſolymis diſtabat. *Ant.* XIV. *c.* XXV. *Bell. jud.* I. *c.* XI. XVI. legendum, (ut ipſe legit *Joſephus*) ςάδια περὶ ἑξήκοντα &c. *Ant.* XV. *c.* 12. Ita pro

O-

Ὀλυμπιάδος ρ' καὶ ξ' καὶ β'. *Ant.* XIII. *c.* XVI. legendum, Ὀλυμπιάδος περὶ ρ' καὶ ξ' &c. erat enim *Olympias* CLXI. ut id passim inferunt *Chronologi.* Ita pro μετὰ ἔτη κζ'. (intervallô inter Hierosolymam captam à *Pompejo*; & *Sosio*) *Ant.* XIV. *c.* XXVIII. legendum, μετὰ ἔτη περὶ κζ'. Erant enim ἔτη κϛ': ut id claris constat ex indiciis. Hierosolyma enim expugnata à *Pompejo*, Coss. C. Antoniô, & Cicerone. *Ant.* XIV. *c.* VIII. host est Annô U. C. DCXCI., *Dio Hist. Rom. lib.* XXXVII. *à Sosio* autem Coss. M. Agrippâ & Canid. Gallô. *Ant.* XIV. *c.* XXVIII. id est: annô U. C. DCCXVII. *Dio, Hist.* XLIX. ut *annorum* haud plurium XXVI, sit differentia. Ita pro ἔτεσιν ἑκατὸν εἰκόσι πέμπτῃ, annis dominationis Principum Assamonæorum, *Ant.* XVII. *c.* VIII. legendum, ἔτεσι σχεδὸν aut περὶ ἑκατὸν &c. erant enim anni ρκϛ'. *Ant.* XIV. *c.* XXVIII. Et (ut finem faciam) idem & hîc, *Ant.* XIIX. *c.* III. fuerit perichronismus. Ubi scilicet, pro τριακοστῷ ἑβδόμῳ ἔτει μετὰ τὴν Ἀντωνίου ἐν ἀκτίῳ ἧτταν ὑπὸ Καίσαρος &c. legendum aut intelligendum similiter: περὶ τριακοστῷ ἑβδόμῳ &c. fugerant enim *Anni Actiaci* XXXIX. tum cùm *Archelaus* exulatum ivit. Et hic *Perichronismus* sat innoxius. Manifestum est enim *Scriptorem occupatissimum*, annos nonnunqvàm *literis ipsis* præcisè noluisse ponere: qvod ad rerum narrationes festinans, satis in eo putaverit se fecisse, qvòd talia non omiserit κριτήρια, ex qvibus ei, qvi operam vellet impendere, *Tempus* certius investigari posset. Propterea verò non sic mordeant *Jesuitæ*: cùm nec illud insolens *Scripturæ*. Nam ut *Flavio* στοχαστικῶς, suum περὶ aut σχεδόν: sic *Scripturæ* suum ὡς, & ὡσεί. Qvô non modò *explicitè* rerum numeros obiter determinat, *Luc.* III. 23. *&* IX. 14 *&* XXII. 59. *&* XXIII. 44. *Johan.* IV. 6. *&* VI. 10. *&* XIX. 14. *Act.* II. 41. *&* V. 36. *&*

XIII. 18. 20. sed & qvòd interdum sic reticet, *Gen.* XV. 16. ut eô annos vel XXX, obruat. *Gen.* XV. 13. *Act.* VII. 6. *collat. cum Exod.* XII. 40. Ut sic non unus *Flavius* στοχάζηται. *Secunda responsio* ad *Locum Josephi* est: sumpsisse eum *Victoriam ad Actium* in summo suo complemento. Erat id, postqvàm *Augustus*, interfectis hostibus & Ægyptô subjugatâ, Romam rediisset, & triumfum habuisset. Annô U. C. DCCXXV. *Dio, Hist. Rom.* LII. Tum enim *absolutè*, & sic rectè *Victor* fuit. Qvòd *Josephus* illam æram elegerit, ipse suspicandum relinqvit *ad Ant.* XIIX. *c.* III. Nam ibi postqvàm dixisset, *Augustum* imperâsse annos LVII. menses VI. & dies II. acturùm subjicit: Τούτου δ᾽ αὐτῷ τοῦ χρόνου τεσσαρεσκαίδεκα ἔτη συνῆρξεν Ἀντώνιος &c. Jam verò *Antonius* non cœpit cum *Augusto* regnare ante initum cum eo *Triumviratum*, annô U. C. DCCXI. *Dio, Hist.* XLVI. Itaqve his si addantur *illi anni* XIV. qvibus *Josephus* Antonium dicit imperâsse cum Augusto, prodibit annus U. C. DCCXXV: qvô Augustus *Josepho* primùm solus regnare cœpit. Et sic etiam ab *illo anno* videtur *Josephus* victoriam numerâsse, & non ab *ipsa pugna ad Actium*. Qvod si ita est: *Josephus* rectè annum exilii Archelai, *Actiacum* XXXVII, appellare potuit: cùm ei respondeat *annus* U. C. DCCLXII, ante qvem, *annô* U. C. DCCLIII, *Herodes* mortuus, & suffectus *Archelaus*. Utra ergò ex his responsionibus placuerit, *Josephus* sanus est, & sibi constat. Qvæ cùm dico, non satis admirari possum, qvare cùm multi *hunc Josephi locum* proferant contrà Baronium: *Torniellus, Scaliger, Calvisius &c.* nemo tamen de eo sit solicitus. Qvasi qvi pro ipsis faceret; cùm tamen prout sonat ad literam, omne ipsis fundamentum destruat. Nam certè, si Herodes mortuus *annô Julianô* XLV. & victoria ad Actium repor-

portata *Julianô* XV, ut consonant Scaligeriani, si aufers XV, & XLV. Julianis; & residuis XXX. addis IX. pro exilio Archelai, resultabit *annus Actiacus* competens proscriptioni Archelai, non XXXVII. sed XXXIX. Ut & *mortem Herodis*, & *nativitatem Christi*, secus ac vellent, proferendi ipsis foret necessitas. Qvâ, ut spero, hâc opellâ nostrâ liberati sunt. *Casaubonus* contra Baronium inqvit, *Exercit.* 1. *sect.* 34. *Eximiè falsitatem figmenti hujus declarat Archelai calamitas: qvam convenienter Josepho Dio Cassius confert in annum U C.* 759. *Julianum* 51. *An Dio mendaciorum socius esse Josepho præoptavit &c.* At qvomodo in hoc, aut *Dio Josepho*, aut *Dioni Josephus* convenit; Dio, *Hist.* L. victoriam ad Actium confert in *annum* U. C. DCCXXIII. cui si addantur XXXVII. *Actiaci*, Josephi, fient pro exilio Archelai, *anni Urbis* DCCLX. Dio habet DCCLIX: & sic illâ viâ necdum congruunt. Si *Josephus* numerat victoriam Actiacam à *Triumfo Augusti Annô Urbis* DCCXXV. & huic addantur *anni Actiaci* XXXVII, fiet *annus* U. C. DCCLXII. neqve ille congruens *Dioni.* Qvid ergo in anno calamitatis Archelai, convenienter *Josepho* dixit *Dio*? utiqve nihil. Cùm & illa cæca festinatio, qvòd cùm Casaubonus *cit. loc.* amplectatur sententiam *Cassiodori & Scaligeri*, qvâ Christus natus *annô* U. C. DCCLI. nihilominus velit defendere, qvòd *Archelaus*, (qvem alibi ipse IX. *annos* regnâsse statuit,) *Annô Urbis* 759. *apud Dionem*, fuerit relegatus. Adhæc: cùm *Herodes* ex communi hypothesi decessit *annô Julian.* XLV. qvomodò *Archelaus*, post *novennii* regimen, *annô Julianô* LI. potuit mitti in exilium? Unde & ex omnibus sic disputatis, constat: qvòd Dio, *Histor.* LV. in anno exilii Archelai, *trium annorum prochronismô* lapsus sit. Hoc est: pro *anno Urbis*

DCCLIX. debuerit numerare *annos* DCCLXII. Prout *locô citatô*, non modò in *tempore*, sed & *ipso facto* titubat. De nomine *Herodis*, qvô compellat *Archelaum*, redeat in gratiam cum Keplero, *Sylv. Chronol. p.* 10. & Langio, *De Ann. Christ. p.* 348. Nobis saltem falsa est narratio. Dixerat *Archelaum à fratribus tum accusatum*: dixerat tantùm μέρ@ *Ethnarchiæ ejus in publicum redactum*. Qvod utrumqve est falsissimum. *Locus ejus* suprà legi potest. Qvàm sit etiam perturbatus & prodigiosus *Montacutii* calculus ex his patet. Nam is, *Apparat. v. ad Hist. Eccles. num.* 125. vult *Christum natum annô* U. C. 752. *sub initium Consulatus Lentuli, & Pisonis: Herodem adhæc mortuum annô Urbis 756. ut Archelaus primò defierit circa annum Urbis 764. penè qvadrienniô ante excessum Augusti: & à cæde Antigoni ad Herodis mortem anni fuerint, non 34, ut* Josephus; *sed 39, aut 40, id est: à Consulatu Calvini & Pollionis, anni 42, aut 43. &c.* utiqve intricatè. Nam & Christus natus *annô Urbis* 751. per characterem *Lucæ & plurium, suprà, p.* 559. & Eusebius, *Hist Eccles.* I. *c.* VIII. statuens παιδοκτονίαν Bethlehemiticam ἅμα aut statim ante morbum Herodis, satis confutat Herodem primùm *annô Christi* v. decessisse. Tum si vel maximè ad *annum Urbis* 756. colligantur IX *pleni anni Archelai*, incidet hujus exilium in *annum Urbis* 765. Post qvem *Augustus*, non vivet *annos* 4. *sed* 2. mortuus scilicet *annô Urbis* 767. Qvi 2 anni, (si qvidem illi *duo* adhuc esse possint, nempè solidi,) neqvidqvàm sufficient pro tot Præfectorum rebus, qvot ab ipso missi fuerant post *Archelaum*. In reliqvis, (scilicet cùm regnum Herodis facit *annorum* 43.) proximus ipsi error cum *Eusebio*. Nam is *in Chronico* affirmat, Herodem mortuum *Olympiad.* CXCV. *annô* IV. Qvi cùm

sit

ſit *Julianus* LII, ablatis VI. *Julianis*, (primô Regni tempore,) à LII. ſeqvetur, Herodem regnâſſe *annos* XLIV. De qvo metachroniſmo; Scaliger, *Emendat. Tempor.* V. *p. m.* 433. 434.

Sunt alia nonnulla, & ad *Titulum Archelai* monenda; ſed breviſſimè. Serarius, *Opuſc Tom.* I. *de Herod. c.* XX. *p. m.* 243. Archelaum, *Regem* vocat. *Archelaus*, inqvit, *initiò nonniſi Tetrarcha decretus ab Auguſto, poſteà etiam Rex*, ex *Ant.* XVII. *c.* XIII. Cum qvo Salmaſius, *in not. ad Solin. c.* XXXV. *p. m.* 576. *Archelao*, inqvit, *dignitas Regia, cum Judæa, Samaria & Idumæa.* ἐθνάρχην *eum adpellatum dicit Joſephus, priuſqvàm Regium nomen illi confirmatum eſſet ab Auguſto.* Fallitur uterqve. *Archelaus* non *Rex*, aut *Tetrarcha*, fuit conſtitutus; ſed *Ethnarcha.* Rex qvidem ſæpè appellatur, qvi *Regiam* habet *poteſtatem.* Qvomodò Dominus Sinhar, Sodomæ &c. *Gen.* XIV. 1, 2, 17, 18. *Joſua.* VIII. 1. 2. & XII. 9, 10. *ſ.* Ipſe Archelaus, *Math.* II. 22. *Tzemach David ad An.* 1761. & Antipas Tetrarcha, *Math.* XIV. 9. *Marc.* VI. 14. 22. Reges dicti ſunt. Ita Ἄρχων Adiabenæ, *Strab. Geog.* XVI. Rex vocatus. *Ant.* XX. *c.* II. *Bell. jud.* VI. *c.* VI. Ita Herodes, anteqvàm Romæ verè Rex evaſit. *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XXIX. Ita & Summus Pontifex, Hircanus *Ant.* XIV. *c.* XVII. & *lib.* XV. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* X. *Euſeb. Chronic. Græc. Scalig. p.* 265. *Tzemach David, ad ann.* 1724. non modò ob poteſtatem: (perſona enim Pontificis toti populo æqviparabatur. :הנה הכהן הגדול שקול כנגד כל ישראל *Ecce, Summus Pontifex æqviparatur toti Iſraëli.* R. Aben Ezra *ad Levit.* IV. 13.) ſed & qvòd *Pontificia dignitas*, major etiam *Regiâ* haberetur. Ita enim *Rex Agrippa* ad *Cajum*: Παππων καὶ προγόνων βασιλέων ἔλαχον, ὧν οἱ πλείους ἐλέγοντο Ἀρχιερεῖς, τὴν βασιλείαν τῆς ἱερωσύνης ἐν δευτέρᾳ τάξει τιθέμενοι, καὶ νομίζοντες,

ὅσῳ θεὸς ἀνθρώπων διαφέρει καθὰ τὸ κρεῖττον, τοῦτῳ καὶ βασιλείας Ἀρχιερωσύνην *&c.Phil in Legat. ad Caj.p.m.* 797. Qvod si itaqve potestatis respectu, *Serarius*, & *Salmasius*, Regem dixissent, non errâssent. At cùm *autoritate publicâ*, & *Augusti*, eum Regem faciunt, utiqve hallucinantur. Certum enim ex *Josepho* supra, haud alium *titulum*, qvàm *Ethnarchæ* ei Romæ datum. Nam *Regium* qvidem promisit Augustus; sed tum demum, cùm hunc meruisset. *Ant.* XVII. *c.* XIII. ἁλώς. II. *c.* IV. Qvem tamen ita ille non meruit, ut ne qvidem *Ethnarchiam* retinuerit.

36. MARIA, seu MARIAMME.] Ex qvanam domo fuerit, in incerto est. *Historia* nihil de ea meminit, nisi qvòd propter *Glaphyram* fuerit à *marito* abdicata. Joseph. *Ant.* XVII. *c.* XV. *Bell. jud.* II. *c.* VI. Si ex *familia Herodis* esset, & aliqvid determinandum, diceremus eam esse, de qva *Num.* 62. Ut *Archelaus* eam post cædem *Antipatri*, & susceptam Ethnarchiam, fortè in uxorem sumpserit.

37. ANTIPAS TETRARCHA.) Qvi & Herodes. *Math.* XIV. 1. *Marc.* VI. 14. *Luc.* III. 19. *&* VIII. 3. *&* IX. 7. 9. *&* XIII. 31. *&* XXIII. 7. 8. 11. 15. *Act.* IV. 27. *&* XIII. 1. *Joseph. Ant.* XIIX. *c.* III. *in titul. &* *c.* VII. VIII. *Bell. jud.* II. *c.* VIII. *Hegesipp. Excid.* II. *c.* III, V. Item, cum addito: Herodes Junior. *Euseb. Hist. Eccles.* I. *c.* IX. XI. *Epiphan Hæres.* XX. Herodes Tetrarcha, *Ant.* XIIX. *c.* VII. IX. הורדוס הג ילי, [nisi hìc, Pater est,] *Libr. Juchasin. fol.* 134. *ad ann.* 738. vocatur & Antipater. *Phot. Biblioth. cod.* σλη. *p. m.* 874. *Tzemach David ad ann.* 1770. Qvod nomen seu *Antipæ*, Hegesippô teste, *Excid.* II. *c* III. V. in *Herodis* mutatum, postqvàm ille *Tetrarcha* factus esset. Pater ipsum, qvamqvàm filiorum νεώτατον, *Ant.* XVII. *c.* VIII. fratribus prætulit, & Successorem scripsit,

ſcripſit. *Ant. loc. cit. Bell.* I. *c.* XX. *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XLV. ſed poſteà tamen teſtamentum mutavit, & *Tetrarcham tantùm Galilææ &c.* fecit. Ex qvo poſt Herodis mortem, lites magnæ Romæ ortæ ſunt. Nam Antipas non ferens regnum ſibi priùs legatum eripi ab *Archelao*, ſvaſu Salomes, Romam contendit, & jus ſuum *Cæſaris* cognitioni ſubjicit. Ubi tamen res ſic eſt deciſa, ut *Antipas* præter ea qvæ ipſi pater aſſignaverat, *Galilææ* ſcilicet & *Peræææ Tetrarchiam*, nihil obtinuerit. *Ant.* XVII. *c.* X. XI. XIII. *Bell.* II. *c* I. IV. *Hegeſipp* I. *c.* XLVI. *&* II. *c.* I. Nam cum *Regem* eum adpellant Euangeliſtæ, *Math.* XIV. 9. *Marc.* VI. 14. intelligendum, qvòd talis haberi voluit, (ipſe enim Tetrarchiam ſuam *regnum* adpellat. *Marc.* VI. 23.) aut qvòd talis fuerit *poteſtate.* ſicut *Num.* 35. Neqve enim novum eſt, illo ſenſu nomen *Tetrarchæ* & *Regis* permutari. *Cicer. Orat pro Dejotar. c. ult. Plin Hiſt. Nat.* V. *c.* XVIII. XX. *& Aliis.* Lyſanias certè primus, *Rex* eſt dictus. ἀλώς I. *c.* XVII. *Dio, Hiſtor.* XLIX. & tamen ejus bona ſub Zenodoro conductore, dicta *Tetrarchia* per *Dion Hiſtor.* LIV. Qvemadmodùm etiam ſecundi Lyſaniæ *Tetrarchia*, *Ant.* XIIX. *c.* VIII. & XX. *c.* V. dicta βασιλεία. *Bell. jud.* II. *c.* X. XI. ubi etiam, (nempe, *c.* XI.) Agrippa donatus *Tetrarchiâ* Philippi, dicitur translatus εἰς μείζονα βασιλείαν. Elatus in hunc modum *Antipas*, laudem qvidem meruit ex ædificiis: dum *Sepphorin*, & *Juliada*, muris cingit: *Tiberiadem* autem, in honorem *Tiberii*, (cui fuit amiciſſimus,) de novo condit. *Ant.* XIIX. *c.* III. In aliis tamen fæda ejus vitia notantur: *Inceſtus, tyrannis, hæreſis, hypocriſis, contemptus Chriſti, avaritia, ambitio, invidia*, & alia; qvibus non tam deditus, qvàm coopertus fuit. Nam hic eſt ille in *Euangeliis* toties freqvens *Herodes*, qvi & fratri uxorem

He-

Herodiadem eripuit, & Baptiſtam in carcere capite truncari fecit, & auditis Chriſti miraculis, eum *Johannem redivivum* credidit. *Math.* XIV. I. 2. *ſ. Marc.* VI. 14. 16. *ſ. Luc.* III. 19. *&* IX. 7. 9. *Euſeb. Hiſt. Eccleſ.* I. *c.* XI. *Niceph. Hiſt.* I. *c.* XIX.. ſed & à cujus fermento, (doctrinâ Sadducaicâ, *Marc.* VIII. 15. *collat. cum Math.* XVI. 6. 12. non eſſe Angelos, non reſurrectionem &c. *Act.* XXIII. 8.) Chriſtus cavendum dixit. *Marc.* VIII. 15. qvem Chriſtus inſidiantem ſibi, vulpem adpellavit. *Luc.* XIII. 31. 32. & ad qvem Chriſtus in vinculis miſſus fuit. Nam cùm *Pilatus* inter varia Chriſti liberandi media fruſtrà adhibita, tandem audiret eum eſſe è Galilæa, miſit eum ad *Antipam*, qvi tum Hieroſolymis: & ſic eum, qvem ante inimicum habuit, ſibi reconciliavit. Videtur autem ſimultatis inter *Herodem & Pilatum* cauſsa fuiſſe, qvod *Pilatus* Tetrarchæ juriſdictioni ſeſe miſcuiſſet, & ex ſubditis ejus, *Galilæis*, obtruncâſſet. *Luc.* XIII. I. cui errori nunc volens remederi, *Chriſtum* ita ad *Herodem* miſit. Qvem hic tamen, etſi primùm avidus videndi, uti ferebat, nonniſi ludificatus eſt: & tandem deriſum, ſtolâqve candidâ, (de qva *Caſaubon. Exercit.* XVI. *p. m.* 603. *ſ. cui adde ſis Flavium*, ἀλώς. II. *c.* I. *Tacit.* II. *Hiſt.* LXXXIX. 2. *& in German. c.* CII.) contumelioſè circumdatum, nulla in re Judicis factô officiô remiſit, *Luc.* XXIII. 8. *ſ. conf. Act.* IV. 27. Qvibus & aliis flagitiis perpetratis, *Luc.* III. 19. 20. (*Avaritia* ejus notatur ἀλώς. II. *c.* VIII.) gradus ei ad ruinam factus fuit: *Ambitione & Invidiâ*, proximè eum impellentibus. Nam cùm ipſius nepos *Agrippa*, qvi egenus qvondam & ab omnibus deſertus, antè ejus vixerat beneficiô, *Ant.* XIIX. *c.* VIII. Rex à *Cajo* eſſet declaratus, *Antipas* percitus œſtrô invidiæ, & impulſus ab uxore, con-

contra eum *Romam* properat. Ubi eum fortuna destituit. Nam cùm à tergo seqverentur literæ *Agrippæ*, qvibus perscriptum: qvòd Antipas *Sejano* & *Parthis* studuisset, & ad novandas res plurima arma sibi comparâsset, *Cajus* eum cum uxore Herodiade, (bonis omnibus in *Agrippam* translatis,) *Lugdunum*, (non *Viennam*, ut *Euseb. Hist. Eccles.* I. *c.* II. *& lib.* II. *c.* IV.) misit in exilium: *Ant.* XIIX. *c.* IX. *Euseb. loc. cit. Phot. Biblioth. codic.* 238. *p. m.* 974. 975. unde posteà profugit in *Hispaniam*, & ibi vitæ finem habuit. ἀλῶς. II. *c.* VIII. Incertum, utrum fatô, an consiliô: nisi qvòd Hegesippus, *Excid.* II. *c.* V. addat, mœrore exstinctum. Atqve ita eum pœna gravium scelerum adprehendit: post obtruncatum Johannem Baptistam, *annô* X. Post Christum Servatorem ludibrio habitum, *annô* VIII. Fuit enim relegatus *annô Caii* IV. scilicet qvô *Agrippa* ejus Tetrarchiam fuit consecutus. *Ant.* XIX. *c.* VII. Ut erret Usserius, *Annal. ad ann. M.* 4042. qvi hæc rejicit in annum obtruncati Johannis VIII. Christi VI. Nam Christus passus *annô Tiberii* XIIX. &c. ut *qvartus* Caji, Christi patientis *sextus*, haud esse possit. Qvomodò *Antipas* sumptuosissimô epulô, *Euphrate* mediô, exceperat *Vitellium* & *Artabanum* Parthum, qvi ad fœdus & pacem illic convenerant, exstat apud Flavium, *Ant.* XIIX. *c.* VI. In *sævitia* ejus consonant *Rabbini*. Chronicon Regum templi secundi, *fol.* 54. *col.* 4. ita inqvit: גם אנטיפוס הרשיע והתעיב מכל אשר היו לפניו ויקח אשת פוליפוס אחיו מתחתיו והיא כבר הולידה והוכיחהו על התועבה הזאת רבי יוהנן כהן גדול ויכהו אנטיפוס וימיתהו: *Antipas etiam impiè egit, & abominanda patravit, præ omnibus, qvi ante ipsum fuerant: & accepit uxorem Philippi fratris sui, à sub potestate ejus, qvæ jam antè pepererat. redarguit autem ipsum ob hanc abominationem R. Joshanan, Sacer-*

cerdos magnus: & percussit eum Antipas, ac morte affecit eum. Similia iis habet Zemach David, *part.* 1. *ad ann.* 770. *millen.* 4. הורדוס אנטיפטר ויש קורין לו טיטרקי הוא בנו של הורדוס הראשון ואחיו של ארקילוס והוא המלך השלישי לכירת הורדוס. גם הוא היה רשע רע ואיש משחית רבים מחכמי ישראל הרג בחרב. ולקח את אשת אחיו פוליפוס בעודנו חי לו לאשה ויוחנן כ״ג בינבור הוכיהו על זה הרגו בחרב עם רבים מחכמי ישראל: *Herodes Antipater, qvem nonnulli Tetrarcham vocant, fuit filius Herodis primi & frater Archelai, fuitqve Rex tertius è stirpe Herodis. Etiam iste fuit impius pessimus, & vir perditor, plurimos Sapientum Israelis occidit gladiô: & accepit uxorem Philippi fratris sui, eô adhuc vivente, in uxorem. Jochanam verò Sacerdotem magnum, qvòd ipsum redarguisset, ob hoc facinus, interfecit gladiò, cum plurimis ex Sapientibus Israelis.*

Qvæ cùm ita sint, non licet conjicere, ubi mentem habuit *Epiphanius*, cùm *lib.* 1. *adv. Hæres.* xx. Antipam facit *filium Archelai:* Ἀρχέλαος, inqvit, γεννᾷ τὸν Ἡρώδην τὸν νεώτερον, καὶ βασιλεύει Ἡρώδης τῷ ἐννάτῳ ἔτει τῆς τοῦ πατρὸς Ἀρχελάου βασιλείας, κατὰ διαδοχήν. In qvo haud dubiè deceptus fuit ab Eusebio, qvi *in Chronic. Græc. p. m.* 267. dixerat: *Antipam* ἀποθανόντος Ἀρχελάου *in Judæa imperâsse.* Prout hoc *Num.* 35. suprà castigatum fuit. Liceat ad Gruteri *in Thesaur. inscription.* Triopium excurrere. Scilicet: fuerat *Triopium* in via Appia, cujus dedicatio, Græcis versibus facta ab Herode qvodam. Nam

> Ὕμμι γὰρ Ἡρώδης ἱερὴν ἀνὰ γαῖαν ἔθηκε:
> *Vobis Herodes tellurem hanc ritè dicavit.*

Qværunt Eruditi, qvis hic *Herodes*; & num *Tetrarcha*, an hujus pater? Nobis *neuter* placet, non qvòd

qvòd eorum aliqvis dixerit se βασιλῆα χθονίων: versus enim habet χθόνιον, contrà *Salmas. in not. ad consecrat. hujus p. m* 8. sed qvòd stylus nimis qvàm gentilis sit. Fuerit verò *Herodes Judaicus*, assentator Gentilium; nunqvàm tamen ausus fuisset apertè aliqvid *idolis* consecrare: qvi vidit; qvàm populus ad honores *Principum*, qvotidiè tumultuaretur &c. Salmasius, *loc. cit. p. m.* 11. putat fuisse *Herodem Atticum*, Præceptorem *M. Antonii Philosophi*, de qvo *Philostrat. lib.* I. *&* II. *de Vit. Sophistar.* At cur non potius alium hôc priorem? ad qvem *Cicero* scripsit in exilio, &c. *Plutarch. in Vit. Cicer. p. m.* 873. A. Scilicet: qvia & horum *neuter* fuit. Nam Inscriptio dicit:

Καὶ γδ' Ἀθηναίη περὶ οἱ χθόνιον βασιλῆα, &c.

Ac sic digitum in *Regem* intendit: qvi potuit esse *Herodes Parthus*, seu antiqvior, *Plutarch. in Vit. Anton. p.* 949. B. seu junior, sub Tiberio, *Joseph. Ant.* XIIX. *c.* III. aut si hi non placent, invenies Alios.

Ceterùm, cùm *Antipam* hîc diximus factum *Tetrarcham*, erit occasio dicendi de *Tetrarchis*. *Tetrarchia*, regionis tetrans est, per *Manilium lib.* IV. *v.* 657. & *Victruvium, lib.* X. *c.* XI. Qvibus assentitur Augustinus, *de Civitat. Dei, lib.* XVIII. *Tetrarchæ*, inqvit Isidorus, *sunt qvartam partem regionis tenentes: nam* τέτταρες *qvatuor sunt &c.* Propriè igitur *Tetrarchiæ vox* significat, non qvatuor urbium, aut qvatuor regionum; sed *qvaternorum simul in una eademqve gente vel terra principatum.* † Qvales *propriè dictos*

† Vide hæc pluribus exponentem Salmas. c. XXXV. Exercitation. Plinian. p. m. 406. b. F. G. edit. Traject. CIↃ. IↃC LXXXIX. in fol.

Hos *Tetrarchas* nisi in *Græcia*, & *Galatia*, vix invenies. *Thessaliæ* divisæ in qvatuor partes, θεοσαλιώτιν, πελασγιῶτιν, φθιῶτιν, & ἑστιαιῶτιν, singulæ τετράδες, *Tetrarchiæ* olim dictæ sunt: in qvibus *Philippus Macedo* totidem *Tetrarchas* posuit. *Harpocrat. in* Τετράρχ. *cit. Scalig. animadv. p. m.* 163. Claræ etiam *Galatarum Tetrarchiæ.* Nam cùm horum tres essent gentes, lingvâ, moribus, & institutis similes, qvamvis earum in IV. distinxerunt *Qvadrantes*, sive *Tetrarchias*: sicut in totum fuerint XII. Qvæ tamen ita tempore mutatæ sunt, ut jam in *trium*, jam in *duorum*, postremóqve *unius*, nempe *Dejotari*, & hinc *Amyntæ* venerint potestatem. Testis est Strabo, *Geograph.* XII. *p. m.* 566. Τριῶν, inqvit, ὄντων ἐθνῶν ὁμογλώττων, καὶ κατ' ἄλλο οὐδὲν ἐξηλλαγμένων, ἕκαστα διελόντες εἰς τέτταρας μερίδας, τετραρχίαν ἑκάστην ἐκάλεσαν, τετράρχην ἔχουσαν ἴδιον, καὶ δικαστὴν ἕνα, καὶ στρατοφύλακα ἕνα, ὑπὸ τῷ τετράρχῃ τεταγμένους· ὑποστρατοφύλακας δὲ δύο. ἡ δὲ τῶν δώδεκα τετραρχῶν βουλὴ ἄνδρες ἦσαν τριακόσιοι. συνήγοντο δὲ εἰς τὸ καλούμενον Δρυναίμετον. Τὰ μὲν οὖν φονικὰ ἡ βουλὴ ἔκρινε· τὰ δὲ ἄλλα οἱ τετράρχαι καὶ οἱ δικασταί. Πάλαι δὲ μὲν οὖν ἦν τοιαύτη τις ἡ διάταξις: καθ' ἡμᾶς δὲ εἰς τρεῖς, εἶτ' εἰς δύο ἡγεμόνας, εἶτα εἰς ἕνα ἧκεν ἡ δυναστεία, εἰς Δηιόταρον, εἶτα ἐκεῖνον διεδέξατο Ἀμύντας. Hæc *Strabo*. Sed *an semper Tetrarcha Dominus est qvadrantis*? certè huc visus intendisse *Eusebius*, dum *duos novos Tetrarchas* addit illis duobus, qvi à *Flavio* memorati sunt. *In Herodis locum*, (inqvit Chronic. p. 42. 156. 157.) *Archelaus ab Augusto substituitur; & Tetrarchæ fiunt qvatuor fratres ejus: Herodes, Antipater, Lysias, & Philippus.* Eumdem numerum habet Eutychius, *Annal. Arabic. Pocock. p. m.* 312. 315. qvamqvàm omissô Antipatrô. *Herodes*, ait, *mortuus cùm regnâsset annos* XXXVII, *qvatuor reliqvit filios: qvorum unus nomine Archelaus, secundus Herodes, tertius Philippus, qvartus Lysanias. Qvi*

regnô inter se divisô, unusqvisqve qvartam regionis Judaicæ partem sibi assumpsit. At hæc malè cohærent. Nam *Antipater* nunqvàm Herodis fuit hæres: ut qvi ante ipsum, in vivis esse desiit. *Lysanias* autem, neqve hæres, neqve filius. ut patebit infrà ex *Num.* 41. Deniqve: ipsum fundamentum falsum. Nam in *Syria* & *Palæstina*, nunqvàm propriè *dicti Tetrarchæ*, hoc est: *Domini qvadrantum* demonstrari possunt. Plinius, *Histor. Natur.* v. *c.* XVIII. *sex* in Syria *Tetrarchias*, enumerat circa *Decapolin*, (non ipsas x. *civitates* vocat *Tetrarchias*, ut *Baron. Annal. ad Ann. Chr.* 31. *n.* 7.) qvarum ratio à *numero* non potest dari. *Intercursant*, inqvit, *cingüntqve has urbes*, (Decapolis) *Tetrarchiæ, regionum instar singulæ, & in regna contribuuntur: Trachonitis, Paneas in qva Cæsarea, Abila, Arca, Ampeloëssa, Gabe.* Hæc ille. Ex cujus Tetrarchiis, *duæ priores* regiones sunt: *qvatuor ultimæ*, haud nisi urbes. In *Phœnice* olim singulæ urbes, totidem erant regna: *Strabo* inqvit: τὸ παλαιὸν μὲν οὖν οἱ Ἀράδιοι καθ' αὑτοὺς ἐβασιλεύοντο παραπλησίως· ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων ἑκάστη πόλεων τῶν φοινίκων, Neqve *qvadrantis* ratio in *Palæstina*. In *Judæa sola* Phasaelus & Herodes, sic ab Antonio *Tetrarchæ* facti sunt, ut *qvartus* illic nemo fuerit. Joseph. *Ant.* XIV. *c.* XXIII. *Bell. jud.* I. *c.* X. Circa turbas Actiacas, *Zenodorus* qvidam, unus *Syriæ*, (qvod scio,) *Tetrarcha* vixit. *Dio*, *Histor.* LIV. Pheroras etiam sub Herode M. solus, nempe *Perææ*, Tetrarcha fuit. *Ant.* XV. *c.* XIII. *Bell. jud.* I. *c.* XVII. XIX. Et cùm *Herodis* regnô divisô, iterum fierent *Tetrarchæ* in *Palæstina*, qvatuor tales haud fuerunt instituti. Nam regnum Herodis diremptum fuit in *Archelai Ethnarchiam*, (qvæ & τετραρχία. ἁλώς. II. *c.* VII.) *Antipæ & Philippi duas Tetrarchias, Salomes Toparchiam, & partem regno*

Syriæ adjectam. Joseph. *Ant.* XVII. *c.* XIII. *& lib.* XIIX. *c.* III. *Bell. jud.* II. *c.* IV. Nam *Gaza*, *Gadara*, & *Hippon*, urbes, qvas Cæsar ad Actium victor Herodi cum aliis donaverat, *Ant.* XV. *c.* XI. avulsæ iterum, & *Syriæ* restitutæ sunt. Qvi addunt *Tetrarchiam Lysaniæ*, infrà ad *Num.* 41. corrigendi sunt. Tacitus, *Histor.* V. IX. 4. inqvit: *Liberi Herodis gentem coërcitam tripartitò rexerunt.* Profectò rectè: Nam *tres*, non plures, *partes* ipsi liberi acceperunt: reliqvas, alii. Sed Philo *in Flacc. p. m.* 750. ineptè, *Philippi ditionem* vocat *tertiam partem regni Herodis*: Γάϊος, inqvit, Καῖσαρ, Ἀγρίππᾳ τῷ ἡρώδου βασιλέως υἱωνῷ δίδωσι βασιλείαν τῆς παππώας λήξεως τρίτην μοῖραν, ἣν φίλιππος τετράρχης, θεῖος ὢν αὐτῷ πρὸς πατρὸς ἐκράτει. Qvæ ex suprà dictis liqvet esse falsa. Et hunc in modum, qvomodocúmqve subducamus calculum, regni Herodis *tetradas* non habebimus; sed aut *pentadas*, aut *triadas*: & tamen *Tetrarchiæ* locus fuit. Imò verò in ipsis *accuratis Tetrarchiis*, ratio tandem *qvadrantis* defiit. Nam ostensum fuit suprà, *p.* 972. ex *Strabone*, qvomodò Galatarum Tetrarchiæ tandem in *trium*, hinc *duorum*, & mox *unius* manum sunt redactæ. (confer *Appian. in Mithridat.*) Hirtius, *de Bell. Alexandr. c.* LXVIII. I. inqvit: *Dejotarus Tetrarches Gallogræciæ tunc qvidem penè totius, qvod ei neqve legibus, neqve moribus concessum esse ceteri Tetrarchæ contendebant &c.* Qvô minùs mirum, si hoc fieri potuit in *Palæstina*. Nam *Antipæ* cessit *Galilæa* & *Peræa*: in qvibus olim totidem Tetrarchæ, *Herodes & Pheroras*. *Philippo* obtigit *Trachonitis*, *Paneas*, & *pars* οἴκου *Zenodori*. Qvæ & illæ *distinctæ qvondam Tetrarchiæ*, juxta *Plin. Hist.* V. *c.* XVIII. *Dion. Hist. Rom.* LIV. Qvid ergò dicendum: ut hinc abeam? illud certè, qvòd *Tetrarchæ Thessali*, & *Galatæ veteres*, soli *verè tales* fuerint.

rint. Eorum autem, qvi in *Syria* circa Decapolin, & Palæſtinam inſtituti ſunt, *titulum* tantùm fuiſſe *honorarium*: natum fortè ex *priorum imitatione*. Poteſt enim fieri, ut aliqvi, maximè ex *Tetrarchis Galatis*, qvibus gradus domi non potuit fieri, (nam fuiſſe alios qvàm qvi imperarent, ſuprà ex verbis *Hirtii* conficies) profecti in *Syriam*, locis ex ſe nomen fecerint. Poteſt etiam fieri, ut *Titulus militiæ* ſit. Nam partem ultimam exercitus ita appellatam conſtat. Leo *in Tacticis*: Τετράρχης inqvit, ἐστιν ὁ καὶ φύλαξ, ὁ λεγόμενος οὐραγὸς, καὶ τελευταῖος ἱστάμενος τῆς ἀκίας. Qvid ſi ergo gentes *ſex Tetrarchiarum* apud Plinium, reliqvis Syris bellô junctæ, nomen à *qvartis caſtris* acceperunt? Dixerint *Alii*. Nobis ſaltem id heic incidit cogitandum, qvod de *magnis fluviis*. Sunt eorum oſtia & proceſſus plani; fontes tamen ſæpe in obſcuro. Titulus ſcilicet *Tetrarchiæ in Syria*, ipſe clarus; ſed origo incerta. Nobis ſufficit hoc probâſſe, qvòd *Tetrarcha alibi qvàm in qvadrante eſſe poſſit*: & qvòd *Patres* non opus habuerint eâ cauſsâ ad figmenta recurrere. Patet deniqve, errare Photium, *Biblioth. cod.* σλή. cùm dicit, qvòd *Agrippa ipſe Romam ἵιπετο*. Nam illud Flavii, ἁλώς II. c. VIII. ἠπολόθησε γοῦ αὐτῷ (Herodi) κατήγορος Ἀγρίππας &c. intelligendum, per *literas* aut *delegatos*: prout ſuprà ex *Ant.* XIIX. *c.* IX. Nam nihil certius, qvàm *Agrippam* ipſum *Romæ* tum non agitâſſe.

38. *Filia Aretæ, Regis Arabum.*) Eutychius, *Annal. Arabic. Pocock. p. m.* 316. eam vocat *Aretam*: & patrem, *Algaurum*. Sed commentô nugaciſſimô. Certiùs ejus res ſic habent. Cùm * ſenſiſſet *maritum* animum adjeciſſe ad *Herodiadem*, &

* Lege hìc B. Winckelman. in Marc. p. 181. edit. Francof. M. DC.XII. in 8º.

& pactum fecisse de se abdicanda; dissimulatô dolore, veniam petit discedendi *Machærunta*, ad confinia Arabiæ. Qvod cùm *Herodes* ei concessisset: nihil minùs suspicans, qvàm ut de rebus suis cum *Herodiade* qvid resciviſſet, fugit illa per delectos in *Arabiam*, & patri rem, ut gesta erat, indicat. Unde paullò post bellum exarsit. Nam *Aretas* injuriâ filiæ lacessitus, arma contra *Herodem* capit, & eum clade magnâ afficit: totô exercitu ad internecionem ferè jugulatô. *Flavius* addit in vulgo persvasum, qvòd exercitus Herodis hanc tulisset stragem ob *Baptistæ* cædem. Nam eum *Herodes*, veritus populi, (qvem ab ipso vidit pendere,) defectionem, *Machærunta* traxerat, & ibi interfecerat. *Ant.* XIIX. *c.* VII Qvo de *Num.* 64. 65. pluribus.

Hîc se iterum *Saliani* in *Josephum* aperit pruritus. (miror saltem ὁμόψηφον Scaligerum. *Emendat. Temp.* VI. *p. m.* 267.) Nam cùm aliam *necis Baptistæ* caussam referant *Euangelistæ*, & hanc taceat *Josephus*; Salianus, *Annal. ad Ann Chr.* 28. *n.* 7. eum, qvæ dicit, comminisci asserit. Cùm tamen *caussa* tradita à *Josepho*, caussæ ab *Euangelistis* assertæ non sit contraria; sed cum ea stare possit. Nam *Josephus* caussam primam & latentiorem: *Euangelistæ* proximam & magìs notam, exprimunt. Baronio, *Annal. ad Ann. Chr.* 31. *n.* 46. aliunde *Flavii* sententia non est ad stomachum: qvòd scilicet, si freqvens populi ad *Johannem* concursus, *Herodis* ei odium peperisset, oportuisset *Herodem* magis laborâsse, *ut Christum ipsum* tolleret è medio, ad qvem longè major, & è remotioribus etiam provinciis hominum confluxus fieret &c. At *Herodi* certè animus non defuit: sed qvòd *ministerium Christi* debuit absolvi, conatus fuit irritus. Cras enim & perendie Christus debuit sanare & proficisci: (confer *Joh.* VII. 30. & VIII. 20.) & Propheta non potuit perire extra Hierosolymam.

Luc.

Luc. XIII. 31. 32. 33. Deinde: in *Johanne* hoc potuit suspectum habere *Herodes*, qvòd non potuit in *Christo*. Nam *Johannes* nunqvàm tam clarè legitur loqvutus de *Magistratu*, ut loqvutus *Christus*: ídqve ipsis *Herodis* familiaribus. *Math.* XXII. 16. *s. Marc.* XII. 13. *s.* Nam per *Herodianos*, illic, (ut & *Marc.* III. 6. *alibíqve*) propiùs visi intelligi, seu *milites Herodis*: cum *Hieron. Euthym. Theophylact. &c. in Math.* XXII. *Chrysost. homil.* LXXI. seu *aulici ejus*, aut *ministri*: רבית הרודום cum *Euang. Hebr. Mercer. Syr. interpr. Tremell. Bez. in Math.* XXII. *l'Emper. in Rep. jud. p. m.* 438. (Chemnicio, *Harmon. c.* XXXIII. ἐπίτροποι seu Præfecti Herodis: *Johanni*, IV. 46. dicti βασιλικοί.) Servos enim ex dominorum suorum persona χαρακτηρίζεσθαι, ipsi cùm sint ἀπρόσωποι. *Theophil. Laur. Pignor. de Serv. &c.* Qvanqvàm non simus nescii, qvam ob *Herodianos* serram, reciprocent, *Serarius* maximè & *Scaliger*, *Drusiúsqve*: qvámqve illæ lites sic creverint, ut nomen *Herodianorum* apud Interpretes, jam *gentis*, jam *status*, jam *sectæ*, habeatur. Confer sis *Gerhard. in Harmon. c.* CLIV. *p. m.* 290. 291. *

39. OLYMPIAS.] *Josephi*, fratris Herodis nuptiis juncta dicitur, *Ant.* XIIX. *c.* VII. Qvem locum etiam seqvuti fuimus in *Tabula nostra Genealogica*: cùm *Josepho* Herodis fratri *Olympiadem* tribuimus. Sed rem propiùs excutientibus, manifesta sese corruptela ingerit. Nam cùm *Josephus*, frater Herodis, secundô regni ejus annô cæsus sit; [vide *Num.* 13. suprà.] oporteret *Olympiadem* natam *Herodi*, annô ad minimum XIV. ante regnum: [priùs enim *Olympiadi* nubere & filiam parere per ætatem haud licuerat.] & se-

* Vide qvæ diximus part. V. Animadversion. nostr. c. II. §. VIII. p. 120.

seqveretur Herodem, matrem Olympiadis *Malthacen*, ante *Dorin*, [cùm hæc tamen prima ejus conjunx dicatur. *Ant.* XIV. *c.* XXI. *& lib.* XVII. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* X. XVII.] qvin & *ætatis annô* VIII. in uxorem assumpsisse. Postqvàm, ut spero, satis ostensum *in additam. ad Num.* 7. *p.* 450. *s.* Herodem designatum Regem, *annô ætatis* XXII. (Qvibus addimus: non Codices *Josephi* consentientes, apud Lydyat, *in Explicat. emend. temp. c.* II. in qvibus parum confidentiæ; sed qvòd *Herodes*, qvô tempore *Antonius* post bellum Philippense veniens in Syriam, Coss. scilicet *Lepidô* & *Plancô*, Tetrarcham eum fecerat, fuerit νεανίσκος. *Joseph. Ant.* XIV. *c.* XXIII. Nam si *Galilææ præfectus*, Coss. scilicet *Vatiniô* & *Calenô*, cùm à Cæsare post bellum Alexandrinum transeunte *Antipater* rediisset, *annorum* fuisset XXV. ut contendunt recensiti, *p.* 449. *supr.* & cum his Montacutius, *appar.* V. *n.* 82. *s. p. m.* 194. 195. & Torniellus, *ad Ann. M.* 4051. *n.* 34. qvomodò post VI. *annos*, ut dictum, *Herodes* & *frater* facti Tetrarchæ, νεανίσκοι esse possent? qvorum *alter* ex illis rationibus tum fuisset *annorum* XXXI. *alter* verò etiam major? Qvamqvàm qvid hîc *Montacutius* conetur, non sim nescius.) Addimus de *Olympiade*: Qvòd cùm ea filiam habuerit *Mariammen*, posteà junctam *Herodi* τῷ Ἀριστοβούλου, de qvo *Num.* 59. futurum, ut si ex *fratre Herodis* eadem fuisset, primùm *circiter qvadragenaria* nupsisset. Nam *Herodes* ille, vix eam duxit ante obitum *Herodis* M. & vix ante maturus conjugio esse potuit. cùm hoc tamen etiam ἀσύμφωνον: *Virginem tam grandem, & tantis nixam fautoribus domi tamdiu sedisse.* Urgerem etiam Legem, *Levit.* XIIX. 17. prohibentem *filiæ ex fratre* nuditatem, nisi scirem toties hanc profanatam. Nam & Absalomus Aristobuli simul patruus & socer. *Ant.* XIV. *c.* VIII. &

Jo-

Josephus. *Numer.* 4. filiam ex fratre sumpsit: & Herodes duas filias fratri in uxores obtulit. *Ant.* XVI. *c.* XI. *&* *lib.* XVII. *c.* I. *&* *lib.* XIIX. *c.* VII. ἀλώς. I. *c.* XVI. Saltem prioribus qvi volet insistere, deprehendet *locum hunc Josephi* depravatum esse: & corrigendum ex *Ant.* XVII. *c.* 1. *& Bell. jud.* I. *c.* XVIII. ubi *Josephus*, cui nupta *Olympias*, dicitur fuisse *Herodis* ἀδελφιδῦς; utpote *nepos ex Sorore*, *Salome*. In qvem rectiùs hæc possunt cadere. Ut pro ἀδελφιδῦς, *Librariorum* culpâ, subrepserit ἀδελφὸς: (sicut ἁλώς. I. *c.* XVIII. in Latin. pro *fratrueli*, *frater.*) Et Josephus, cui nupta Olympias, fuerit, de qvo dictum *Num.* 24. Josephus autem Herodis frater, de qvo *Num.* 13. ἄγαμος decesserit.

40. HERODES.) Exstitisse eum *bis* invenio nempe *Ant.* XVII. *c.* I. *& Bell. jud.* I. *c.* XVIII. ut & apud Hegesippum, *Excid.* I. *c.* XLII. Apparet eum ante patrem *Herodem* absumptum. Nam aliàs, (cùm accusatum ipsum nusqvàm legitur,) æqvè illius rationem oportuisset habitam in Testamento, ac fratris, *Philippi. Ant.* XVII. *c.* X. XIII. Imò verò, exstinctum arbitror ætate tenerâ. Nam non ille, ut frater *Philippus*, dicitur Romæ educatus: cui haud dubiè fuisset adjunctus, si tum qvidem vivere haud desiisset. Etenim omnes ferè *Romam* missi sunt. *Flavius*, inqvit, *Ant. loc. cit.* Κλεοπάτρα τε ἱεροσολυμῖτις γεγάμητο αὐτῷ, καὶ παῖδες ἐξ αὐτῆς, ἡρώδης τε ἐγεγόνεισαν καὶ φίλιππος, ὃς καὶ αὐτὸς ἐν ῥώμῃ τροφὰς εἶχεν. Qvò magis admiror illa Cappelli, *Hist. jud. p. m.* 85. *Non videtur*, inqvit, *iste alius esse à Philippo Tetrarcha*, *qvi à Josepho*, *Ant.* XIIX. *c.* VII. *vocatur Herodes*; *sed ut videtur*, *malè.* Falsò ut sæpius. Nam & abundè ex *Josepho* constat, qvàm *Herodes hic* fuit à *Philippo* distinctus; & nec *Ant.* XIIX. *c.* VII. nec alibi, *Philippus Tetrarcha*, *Herodes* unqvàm dictus fuit. Salianus, *Annal. ad*

Ann. Chr. x. *num.* 49. Herodem hunc neqvidqvàm æqviùs cognominat *Antipam*, & dicit *à Christo vulpem adpellatum.* Sed unde ei hoc in caput surrepserit, qvomodò nescio, ita magnum ψεῦδος est. Etenim ad *Num.* 37. patuit ea convenire *Herodi*, qvi fuit *Tetrarcha.* Qvalis certè *Noster hic* haud fuit: ut nec talis alius potestatis, ob qvam meruit timeri. tantô minùs mortuus, (nempe *ante Patrem*, ut dictum sublatus, & sic etiam *ante Christi ministerium*,) insidias Christo struere, & ob hoc *vulpes* dici potuit. *Luc.* XIII. 31. 32.

41. PHILIPPUS TETRARCHA.] Filiorum Herodis optimus & felicissimus. Sceleratus *Antipater* & ipsum penè egisset præcipitem, fictis criminibus; *Ant.* XVII. *c.* VIII. *Bell.* I. *c.* XX. sed brevi ejus patuit innocentia, ut Herodes Antipatrum morte sustulerit, & *Philippo* terras amplissimas legaverit. *Ant.* XVII. *c.* X. *Bell.* I. *c.* XXI. Post *Herodis* excessum, dum *Archelaus*, Rex in Testamento declaratus, Romam iret ad petendam investituram, mansit qvidem *Philippus* in Judæa: sed cùm audiret regnum vocari in dubium, fratrum contentionibus, ipse etiam svasu *Vari*, Syriæ Præsidis, Romam advolat: *partim* ut *Archelao*, (contra qvem omnes nitebantur,) subveniret: *partim* ut si hic regnô caderet, ipse saltem prorsus non excluderetur. *Ant.* XVII. *c.* XII. *Bell. jud.* II *c.* IV. Qvod qvidem *Vari* consilium in hoc profuit *Philippo*, ut dum *Augusti* beneficiô, regni dimidium cesserit *Archelao*, qvadrans autem fratri *Antipæ*, ipse etiam in partem venerit, & qvadrantem alterum, *Tetrarchiam* scilicet *Trachonitidis*, *Batanææ*, & *Aurantidis*, *cum parte domus Zenodori* obtinuerit. *Ant.* XVII. *c.* XIII. *Bell. jud. loc. cit.* Unde & Lucæ, *c.* III. *v.* 1. *Iturææ* & *Trachonitidis* Tetrarcha dictus. Confer de hac divisione Stra-

Strabonem, *Geogr.* XVI. *p. m.* 526. (cujus locum explicavimus *Num.* 35.) Tacitum, *Histor.* V. *c.* IX. Nicephor. *Histor. Eccles.* I. *c.* XVI. *&c.* *Qvadrantes* etiam illos accuratos non fuisse, observa ex *Num.* 38. Ceterùm *Philippus* Tetrarchiæ suæ magnâ laude & virtute præfuit. Vicum *Betzaida*, ad lacum Genezareth, civitatis jure donatum, incolis & opibus auxit: nomine datô ex *Julia* Cæsaris filia [non *Lybiâ* matre Tiberii; ut *Hegesipp.* II. *c.* III.) *Juliados*. *Paneada* etiam ad Jordanis fontes instruxit ædificiis, & *Cæsaream*, (*Agrippæ* posteà dictam *Neroniada*, *Ant.* XX. *c.* VIII.) adpellavit. *Joseph. Ant.* XIIX. *c.* III. *Bell.* II. *c.* VIII. Cum qvo Eusebius, *in Chronic. p. m.* 43. 156. *Philippus*, inqvit, *Tetrarcha*, *Paneadem in qva plurimas ædes exstruxerat*, *Cæsaream Philippi vocavit*, *& Juliadem civitatem aliam.* Sed *Josephum* nonihil corrigo ex *Philostorgio*, *& Johanne Antiochens.* περὶ ἀρχαιολογίας: qvi *fontem*, non fontes *Jordanis* ibi statuunt: ἐν ταύτῃ τῇ Πανεάδι, inqviunt: τῶν γὰρ Ἰορδάνου πηγῶν ἡ ἑτέρα ἐκτέταται, δυοῖν οὐσῶν. Qvamqvàm malè præmittant conditam ab *Herode M.* [ταύτην, ajunt, χρόνῳ ὕστερον Ἡρώδης ὁ μέγας οἰκοδομήσας Καισάρειαν-Φιλίππου μετωνόμασε, νῦν δὲ Πανεάς ἐστι καλουμένη &c.) *Cæsarea* enim condita ab Herode, *Turris Stratonis*, & non *Paneas*, ante dicta: procul etiam à *Jordanis fontibus*: qvippe *ad mare*. *Joseph. Ant.* XV. *c.* XIII. *Bell. jud.* I. *c.* XVI. *&* III. *c.* XIV. *Plin. Hist. Nat.* V. *c.* XIII. *Euseb. Chronic. Scal. p. m.* 155. In more habuit *Philippus* cum delectis circumire provincias, & tribunal circumferre, in qvo jura mox reddebat litigantibus; sicubi aliqvi sub via se offerrent: sontibus sine respectu condemnatis. Ut cùm fatis concederet, gentem magnus luctus occupaverit. Erat enim non æqvitatis modò cultor industrius; sed & qvietis amans & sedatus.

Qvò majus ejus desiderium relictum fuit. Obiit Juliade, *annô regiminis tricesimôseptimô: Tiberii, ultimô*: & in sepulchrum, qvod ipse strui fecerat, magnificè illatus fuit. Provincia ejus, qvòd improlis decessisset, *Syriæ* adjecta. *Ant.c.*XIIX. *c.*VI.

Capellus, *Histor. Judaic. p. m.* 85. ei duas ausus adfingere uxores: Primam, *Herodiadem*; & secundam, *Salomen*: Costobari & Salomes Herodis M. Sororis, (uti videtur) filiam. At qvid juvat nugis famam prostituere, & qvæ nusqvam sunt aut fuerunt, fingere? Qvis enim de *Salome Costabari filia*, unqvàm aut audivit aut dixit? tantò minùs ut *Philippo* nupta esset? *Herodiadi* fecimus repudium. *Num.* 34. & hæremus potiùs ad XVII. *c.* X. ubi *Philippus*, *Archelao* dicitur γνήσιος ἀδελφός: erant enim ὁμοπάτερι, non ὁμομήτερι. Si mater Philippo, *Malthace*, prout statuit Montacutius, *Apparat.* V. *n.* 75. *p. m.* 192. (*Qvartam*, inqvit de Herode, *duxit Malthacem Samaritanam domô, è qva suscepit Archelaum* &c. *suscepit secundò ex eadem illum Antipam Sacris Historicis memoratum, qvem vulpem nominat Dominat Jesus: Philippum tertiò ipsius fratrem; & filiam Olympiadem &c.*) res foret in salvo. Sed fallitur *Bonus Montacutius* de *Philippo*, & peccatum hoc ipsi ut mnemonicum condonandum, tantò facilius, qvò ipse rectiùs mox educit *Philippum* è *Cleopatra*. Recipiant ad se hanc litem *Grammatici*: Nobis certum ire ad *Chronologos*: ut discamus qvô annô *Philippus* fuit mortuus. Si *fontem Græcum* seqvi vellemus, *Ant.* XIIX. *c.* VI. annum haberemus *Tiberii* XX. Prout etiam verterat *Gelenius*. Sed Tempus Tempori minimè sic concordabit. Nam *Philippus* incipiens *annô Augusti* XLIV. [ut suprà indagavimus,] non potest *Tiberii annô* XX. regnâsse *annos* XXXVII. Unde Scaliger, *Emendat. Temp. V. p. m.* 433. *f.* adsumit

Phi-

Philippum deceſſiſſe annô *Tiberii* XXII. prout eam lectionem reperit in *Codice Ruffini*. Qvaſi hîc eſſet mendum ex *Librariis*. (Suprà, Nos etiam *p.* 450. raptim hoc aſſumpſimus.] Sed nec ità difficultas tollitur. Nam cùm *Herodes* exſtinctus fuit annô Julianô XLV. *Auguſtus*, LIX. *Tiberius*, XXCII. [regnavit enim *Tiberius* annos Julianos ſolidos XXII. cum diebus CCIX. ut ipſe *Scaliger* calculum ſubducit, *loc. cit. p. m.* 437. certè annos XXII. menſes VI. & dies III. *Joſeph. Bell.* II. *c.* VIII. tres & viginti habet *Phil. in legat. ad Caj. p. m.* 799. *Orator*, *ſeu Tacit. ſeu Fab. c.* XVII.) & *Julianus* XLV. ultra dimidium eſſet abſumptus, cùm inciperet *Philippus*, hícqve *trigeſimôſeptimô*, *mortuus*, conſeqvetur? *Julianis* XLV. & *Philippicis* XXXVII. aggregatis, *Philippum* mortuum *annô Julianô* LXXXII. & ſic *Tiberii* non XXII. ſed XXIII. ſeu *ultimô*. Unde *Nobis* incidit ſuſpicari, qvod feſtinantes Librarii, *Ant. loc. cit.* pro ἐσχάτῳ ἐνιαυτῷ τῆς Τιβερίου ἀρχῆς, ſcripſerint: εἰκοστῷ ἐνιαυτῷ &c. Prout certè longè ἐνδοξότερον eſt, potuiſſe paucas literas corrumpi, qvàm ut omnes *Græci Codices* vocem integram, [utpote δευτέρῳ] omitterent. Inſtas: *Ruffinus tamen legit annô viceſimô ſecundô.* Fluctus è ſimpulo. Nam ſi *Codices Latini*, fonti præjudicare debent, peſſimè ſeſe multa habitura ſunt: & inter alia infinita, regnabit *Philippus*, annos tantùm aut XXXV. aut XXII. qvod *Verſio Veneta*, [Anni 1499.] illud legat: hoc, *Baſileenſis*. Certè, *triginta duos*, *alià: qvinqve annos*, habet Ruffinus: & *triginta & duos annos*, Mss. Creshami Angli, Bibliothecæ Regiæ &c. *apud Thom. Lyd. explicat. emendat. c.* XIX. *p. m.* 236. 237.

Ceterùm, cùm *Joſephus* dicat, in diviſione bonorum, *partem* ſaltem *domus Zenodori*, Philippo datam, Caſaubonus, *Excit.* XIII. *ad Ann.* 31. putat *alteram partem domus Zenodori* traditam *Lyſaniæ*,

nempe

nempe *Abilam. Luc.* III. I. Qvâ qvidem ratione, *Lysanias aliqvis* in partem etiam divisionis venisset. Qvod ante *Casaubonum*, jamdudum ita statuerunt *Eusebius*, *Eutychius &c.* ut *Lysaniam* etiam *Herodis* fecerint *filium*. De qvo *Num.* 37. Qværitur ergo: *qvis hic fuerit Lysanias?* & *num hic hæres post Herodem factus? Duos Lysanias* horum temporum invenimus. Primus fuit filius *Ptolemæi Mennæi*, *Hegesipp. Excid.* I. *c.* XXIX. *Joseph.* ἁλώς. I. *c.* XI. Chalcidis Dynastæ: qvem *Antonius* primò *Regem Ituraæ* fecit; posteà autem, ut *Pacoro Partho* faventem interfecit. De qvo Dio, *Hist.Rom.* XLIX. *ad ann. U.*718.*p.*411.B. Καὶ ὅτι, inqvit, πολλὰ μὲν τῆς Ἀραβίας, τῆς τε Μάλχου, καὶ τῆς τῶν Ἰτουραίων, (τὸν γὰρ Λυσανίαν, ὃν αὐτὸς βασιλέα σφῶν ἐπεποιήκει, ἀπέκτεινεν, ὡς τὰ τοῦ Πακόρου πράξαντα) &c. Flavius, *Ant.* XV. *c.* IV. addit factum à *Cleopatra*; id est: eâ instigante atqve procurante: Διὰ ταῦτα, inqvit, καὶ τὸν Ἀντώνιον ἐπῆγεν ἀεί τε τῶν ἄλλων ἀφαιρούμενον αὐτῇ χαρίζεσθαι, καὶ διαβαίνουσα σὺν ἐκείνῳ τὴν Συρίαν ἐπενόει κτῆμα ποιήσασθαι. Λυσανίαν μὲν τὸν Πτολεμαίου, πάρθων αἰτιασαμένη τοῖς πράγμασιν ἐπάγειν κτείνουσιν &c. Et *Bell. jud.* I. *c.* VII. Herodes λογιζόμενος καὶ τῆς Κλεοπάτρας δεινότητα, δι' ἣν Λυσανίας τε ὁ βασιλεὺς ἀνῄρητο, καὶ Μάλχος ὁ Ἄραψ. Scaliger, *Animadv. p.* 164. Lysaniam etiam Regem vocat *Arabiæ* atqve *regionis Malchi*: sed fallitur. Nam *Malchus Rex Arabiæ* post *Lysaniam* occisus est. *Ant.* XV. *c.* IV. Et *Dio* non ait *Lysaniam* fuisse *Regem Arabiæ &c.* sed τῶν Ἰτουραίων. *Arabiam* autem & *regionem Malchi* &c. *Cleopatræ* donata esse. Certè *Lysanias* patri successit. *Ant.* XIV. *c.* XXIII. *Bell. jud.* I. *c.* II. At patris regnum, in montanis Ituraæ, Marsyâ, Heliopoli, & Chalcide. *Strab. Geogr.* XVI. certè in Syria circa Damascum. *Ant.* XIII. *c.* XXIV. *& lib.* XIV. *c.* V. Fuit enim Dynasta Chalcidis in monte Libano.

DO. *Ant.* XIV. c. XIII. Deniqve ejus ditio alia esse non potest; qvàm qvæ posteà conducta est à *Zenodoro*, Trachonitis, Batanæa, Auranitis &c. *Ant.* XV. c. XIII. (Lucæ III. v. I. Ituræa dicta.) Qvæ in *Syria*, & non in *Arabia*. Alter *Lysanias* est, qvi sub Tiberio, *Tetrarcha* fuit *Abilenes. Luc.* III. I. & de qvo qværitur, *an de Herodis regno participaverit?* Baronius, Scaliger, Casaubonus &c. negant filium *primi Lysaniæ* esse; qvod inter hunc occisum *annô Urbis* DCCXIIX. (Dio *Hist.* XLIX.) & tempus *Lysaniæ secundi* sub Tiberio, intersint circiter *anni* LXIII. Id certum est: *Zenodorum* qvemdam, [*ἁλώς.* II. c. IV. dicitur Zenon,] *Vlathæ, Paneadis &c.* Dominum, *Lysaniæ primi* ditionem conduxisse, *Ant.* XV. c. XIII: seu à *Cleopatra*: qvæ solebat in pensionem rapinas suas elocare. *Ant.* XV. c. V. 4. seu ab *Augusto*, post Cleopatræ *ἀναιφονίαν*. Ex qvibus tamen prior sententia magis placet: qvòd clientes Antonii post victoriam dejecti. *Dio, Hist. Rom.* LI. & statim *μετὰ τὴν πρώτην ἀκτιάδα Augustus* terram *Zenodoro* abstulisset. *ἁλώς.* I. c. XV. Etenim, cùm *Zenodorus*, latrocinia foveret, re delatâ ad Augustum, ditionem hic ei *Lysaniæ* eripuit, & in *Herodem* transtulit. Qvi & non multò post, cùm *Zenodorus* profluviô sangvinis decessisset, ipsius etiam *Zenodori* Principatu, *Vlathâ, Paneade &c.* auctus fuit. *Ant.* XV. c. XIII. *Bell. jud.* I. c. XV. *Confer. & Dion. Histor lib.* LIV. Circa hæc tempora, valdè probabile est, *Lysaniam secundam* illam suam *Tetrarchiam* accepisse. Ut cùm *Herodi* donarentur reliqva, ipse saltem *Urbem Abilam* ab Augusto impetraverit. Filius fortè *primi Lysaniæ*. Nam qvare hic tempore Baptismi Christi, vel *septuagenarius* vivere non potuit? Ut minorennis cùm esset, *Patre sublatô*, dum *Cleopatra* & *Zenodorus* ditio-

ditionem regerent, adolescere & rebus maturescere haud potuerit? Sed fuerit *filius* an *alius*, nihil interest: (potuit eqvidem *filius* fuisse;) hoc constat, eum post *Herodis* mortem, *parte illius regni* non fuisse auctum: sed jam ante *Abilam* tenuisse. Nam qvomodò *Augustus*, qvi numerosæ, *Herodis* familiæ juvandæ causâ, ne qvidem suum ipsius legatum retinere voluit; sed illud omne in hæredes contulit, paucis tantùm vasis sibi sumptis &c. *Ant.* XVII. *c.* XI. XIII. *Bell.* II. *c.* I. IV. is (inqvam) *Herodianos* defraudaret parte tam opimâ, qvalis fuit *Lysaniæ*? Imò verò *Augustus* nihil fecit extra Testamentum Herodis nisi in titulo. *Ant.* XVII. *c.* XI. XIII. ergo neqve *Lysaniæ* Abilam extra Testamentum tradidit. Nam ei certè *Herodes* moriens nihil legaverat. *Herodes* ergo *Abilam* nunqvàm habuit: sed eam jam ante seorsim *Lysanias* ex bonis *Zenodori* acceperat. Qvod amplius probo ex *Ant.* XIX. *c.* IV. ubi *Claudius* dicitur, Judæam, Samariam &c. tamqvàm avita & debita *Agrippæ* concessisse: *Abilam* autem de suo ei donavisse. ταῦτα μὲν, inqvit, ὡς ὀφειλόμενα τῇ οἰκειότητι τοῦ γένους ἀπεδίδου, ἄβελλαν δὲ τὴν λυσανίου, καὶ ὁπόσα ἐν τῷ λιβάνῳ ὄρει, ἐκ τῶν αὑτοῦ προσετίθει. Ubi certè ἄβελλα regno hereditario *Herodum* exsertè opponitur; & sic antè potestatis ipsorum nunqvàm fuit. Imò verò, *Bell. jud.* II. *c.* X. *Lysania* ditio, ἑτέρα dicitur βασιλεία à tractu *Lysaniæ Primi*, (scilicet *Trachonitide*, *Auranitide* &c.) qvem Augustus Herodi dono dedit. Nunqvàm ergò *Herodes* eam habuit. Sed nec *Herodes* totam domum *Zenodori* accepit. Qvod patet, præter *Abilam*, è *Chalcide*: qvæ haud dubiè â *Ptolemæo Mennæo* traducta ad *filium*, & hinc titulô conductionis ad Ζηνόδωρον, primò tamen in *Herodianorum* venit manus donô *Claudii*. *Ant.* XIX. *c.* IV. *Bell. jud.* II. *c.* X. XI. Qvin imò: qvô tem-

tempore *Agrippa Major*, partem Ituræa ; regni Lysaniæ, avo *Herodi* donatam regeret, nempe in Patrui *Philippi Tetrarchia: Sohemus* jam tum etiam *Rex Ituræorum* fuit. Nempe in alia *Ituraea* parte, qvàm qvæ ab Herode venerat ad Philippum. Testis Tacitus, *Annal.* XII. XXIII. 2. cùm sic infit: *Iturei & Judæi defunctis Regibus Sohemô atqve Agrippâ provinciæ Syriæ additi.* Ut cùm *Lysanias primus* Ituræam tenuerit, [juxta *Dionem*] & post hunc *Zenodorus*: divisam autem posteà habuerint *Herodes hujúsqve ἀπόγονοι* cum *Sohemo*, manifestè eam post Ζηνόδωρον totam ad *Herodem* non venisse certum sit. Ex qvibus paullò latiùs pertractatis, multa ultrò corruunt, aut demonstrantur. Et primò qvidem: *Lysaniam Juniorem* filium Herodis non fuisse: ut cum Eusebio *in Chronic.* pergit delirare Serarius, *Tom.* I. *Opusc. de Herod. c.* XIX. *p. m.* 241. Qvid enim stabilimenti ad hoc ψεῦδος est ex *Luca*? Deinde: *Abilam* (Polybio, *Hist.* V. *p. m.* 414. ἄβιλα. ut & *Joseph. Ant.* XII. *c.* III. Lucæ, *c.* III. I. *Abilenen*; Josepho, *Ant.* XIX. *c.* IV. & XX. *c.* V. ἄβελαν seu ἄβελλαν.) urbem Syriæ, *Ptolem. in Geogr. Syr.* eamdémqve Tetrarchiam, *Ant.* XX. *c.* V. *Plin. Hist. Nat.* V. *c.* XVIII. dictam τοῦ λυσανίου, ad differentiam ἀβίλης καὶ τὴν περαίαν. *Bell. jud.* II. *c.* XII. ἐπὶ τῷ ποταμῷ Ἰορδάνῃ : τῆς φοινίκης *&c.* *Abila* autem Tingitanæ, mons est, *Plin. Hist.* V. *c.* II. non cognominatum esse à *Lysania primo*, [qvod volunt *Scaliger*, *Casaubonus*, *&c.*] sed ab eo, cui expressè tribuitur *Luc.* III. I. *Ant.* XIX. *c.* IV. *&* XX. *c.* V. *Lysaniâ posteriore*. Nuspiam enim *Primi Lysaniæ* fuisse memoratur. *Casaubonus* dicit, *Abilæ* eum sedem habuisse: sed qvò teste? Magis verisimile est, consedisse eum *Chalcide*, ut Patrem. *Ant.* XIV. *c.* XIII. Certè *Ant.* XX. *c.* V. & *Luc.* III. I. *Abila* contradistingvitur *Philippi* Te-

Tetrarchiæ, & *Ituraæ:* in qva olim *primus hic Lysanias*, per *Ant.* XV. *c.* XIII. Et ditiones *Lysaniarum* distinctæ, ut suprà. Deniqve, hinc & illud conficitur: *Zenodorum* conduxisse domum *Lysaniæ prioris*, & non alterius alicujus post ipsum. Qvod affirmat Baronius, *Annal. ad Ann. Chr.* 31. *num.* 7. & ut videtur, Casaubonus, *Exercit.* XIII. *ad Ann.* 31. *num.* 4. Nam ita, aut *Zenodorus* sub Augusto defunctus, rediisset sub Tiberio: aut duobus plures fuerint *Lysaniæ*. Qvod non potest demonstrari. Vanissimè Serarius, *Opusc. de Herod. c.* XIX. *p. m.* 242. pruriens contra Scaligerum: *Scaliger*, inqvit, *animadv. p.* 163. 164. *duos facit Lysanias &c. sed cur non qveat & tertium adjicere aliqvis? qvamqvàm ut adjiciat nulla, qvam qvidem norim, cogit res.* Inqvam *ego*, si nulla cogit res, qvorsum ergo, aut qvô jure aliqvis tum adjiceret? Constat *Lysaniam secundum* ante *Cajum* decessisse. Nam hujus *annô* I. Agrippa ejus Tetrarchiam conseqvutus est. *Ant.* XIIX. *c.* VIII. ut eam *Claudius* posteà non de novo dederit; (qvod videtur asseri *Ant.* XIX. *c.* IV. *Bell.* II. *c.* X.] sed confirmârit saltem. Post cujus mortem, ut ditiones ejus aliæ, ad Romanos rediit. *Ant.* XIX. *c.* VII. Donec *Claudius*, annô imperii XII. eam iterum traderet *Agrippæ Juniori. Ant.* XX. *c.* V. *Bell. jud.* II. *c.* XI. *Abila* enim κατὰ τὴν περαίαν, posteà data à Nerone, ἀλώς. II. *c.* XII. alia fuit ab hac Tetrarchia. Tandem non opus argutari cum Scaligero, *animadv. p.* 164. utrum in *Chronico Euseb. p.* 42. 156. legendum *Lysias*, an qvemadmodum exstat *Hist. Eccles.* I. *c.* IX. *&c. Lysanias*? Nihil enim hoc πρὸς ἄλφιτα. *Lysias* certè habet Ruffinus, *Ant.* XX. *c.* V. & nomen freqvens. *Act.* XXIII. 36. *&* XXIV. 7. 22. *Joseph. Ant.* XII. *c.* XI. *&* XX. *c.* VIII. *Appian. de Bell. Syr. p. m.* 118. *Hegesipp. Excid.* II. *c.* XIII. unde for-

forte & castellum λυσιάς. *Strab. Geogr.* XVI. *Joseph. Ant.* XVI. *c.* V. In parte laudis *Philippi* est, qvòd primus *fontem* Jordanis inveniret. Etenim cùm *Panium*, (Hegesippo, *Excid.* III. *c.* XXVI. Pannium: *Plinio*, *Solino*, *Philostorgio*, & *aliis infrà*, Paneas.) vulgò crederetur amni huic dare initium, *Philippus* paleas in lacum rotundum *Phialen* demissas, magnâ voluptate vidit resurgentes in *Panio*. Et sic fluvium nasci ex *Phiale* certò comperit. *Joseph. Bell. Jud.* III. *c.* XVIII. & I. *c.* XVI. *Ant.* XV. *c.* XIII. *Hegesipp. loc. cit* Qvò magis miror posterioris ævi Scriptores *fontem Jordanis* non correxisse. Plinius, *Hist. Nat.* V. *c.* XV. princip. inqvit: *Jordanis amnis oritur è fonte Paneade, qvi cognomen dedit Cæsareæ, de qva dicemus: amnis amœnus, & qvatenus locorum situs patitur, ambitiosus, accolísqve se præbens velut invitus &c.* Meminit & Solinus, *Polyhist. c.* XXXV. *al.* XXXVIII. princ. *Jordanes amnis*, inqvit, *eximiæ svavitatis, Paneade fonte demissus, regiones præterfluit amœnissimas: mox in Asphaltiten lacum mersus stagnô corrumpitur.* Stephano etiam Πάνιόν ἐςι σπήλαιον παλαιςίνης, ἀφ' ὃ ἐκρεῖ ποταμὸς Ἰορδάνης. *Philostorgii*, & *Johannis Antiochensis* verba suprà produximus. Qvibus certè *Phiale* nominanda, non *Paneas*. Aliàs *Paneas* tria significat: Primò, regionem Tetrarchicam. *Joseph. Ant* XV. *c.* XIII. *Plin. Hist.* V. *c.* XVIII. Secundò, Urbem, qvæ posteà *Cæsarea Philippi*. Joseph. *Ant.* XIIX *c.* III. Plin. *Hist.* V. *c.* XV. Euseb. *in Chronic. p.* 43. 156. Philostorg. *loc. cit.* Tertiò, *fontem Jordanis*. Ut suprà.

42. PHASAËLUS.] Solo nomine superstes. *Ant.* XVII. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. Montacutius, *Appar.* V. *num.* 75 *p. m.* 192. inqvit: *Sextam duxit Palladem, qvæ peperit ei filium Phasaëlum: qvem ex omnibus suis filiis* (Herodès) *tenerrimè dilexit.*

Fortaſſis propter nomen & memoriam ſui fratris Phaſaëli. Sed unde illam *amoris prærogativam* hauſerit *Montacutius*, haud licet divinare. Certè non hauſit ex *Scriptoribus idoneis*.

43. Roxanes: Salome.) Contumelioſè habitas à *Pheroræ Conjuge*, patet ex ἁλώς. I. c. XVIII. Poſt *Herodis* obitum, cùm adhuc innuptæ eſſent, *Auguſtus* eis, (præter qvæ antè Pater donaverat) in dotem obtulit viginti *qvinqve argenti ſignati* myriades: & in uxores tradidit *filiis Pheroræ*. *Ant.* XVII. c. XIII. Apud Flavium tamen, ἁλώς. II. c. IV. Donatio *Auguſti* æſtimatur in πεντήκοντα μυριάδας ἀργυρίȣ. Unde conſtat errare Hegeſippum, *Excid.* II. c. I. cùm ſummam ad *mille talenta*, qvibus Cæſar alia *ſexcenta millia addidiſſet*, audacter extollit.

44. Maria, ſeu Mariamme.) Nupta *Herodi*, poſteà Regi Chalcidis. *Ant.* XIIX. c. VII. Patrem hujus jncertum eruimus ſuprà ad *Num.* 39. Serarius, *Opuſc. de Herod. c.* XX. *p. m.* 244. pertendit *Herodem* maritum ejus, ex hac habuiſſe duos filios: *Herodem* & *Ariſtobulum*; & unam filiam *Berenicen*. Sed ut de *Ariſtobulo* ſanus eſt; ita de *reliqvis* toto errat cælô.

45 Filius Anonymus.) Tetrarcha *Perææ* poſt patrem deſignatus. *Ant.* XVI. c. V. XI. Qvâ fortunâ haud dubiè patris ob proditionem, *Ant.* XVII. c. III. *Bell.* I. c. XVIII. excidit. Etenim poſt *Herodis* mortem, *Peræa* fuit tranſlata in *Antipam*: & hic juxtà cum aliis cognatis, nihil præter *pecuniam* accepit. *Ant.* XVII. c. XIII. *Bell.* II. c. IV.

46. *Duo filii Anonymi.*) De his præter dicta ad *Num.* 43. nihil memini, qvod mereatur addi.

47. *Filia Pheroræ.*) Deſponſatam eam leges *Ant.* XVII. c. I. *Hegeſipp.* I. c. XLII. Nuptam

autem,

autem, (priori sponsione per *Antipatrum* eversâ,) *ἁλώς.* I. *c.* XVIII. confer infrà *Num.* 57. Ad *Ant.* XVII. *c.* I. Gelenius corrigendus est: dicens, qvòd *Pheroras Tetrarcha acceperit pupillorum alteram*, (scilicet ex nepotulis Mariammes] *suo filio conjugem.* Nam qvamqvàm verba: *φερώρϛ λαψομβύου τῷ υἱῷ τὴν θυγατέρα &c.* ita verti possint; tamen constat ex textu, reddendum: *Pherorâ filiam filio*, nempe Alexandri, *paciscente.* Nam non *filius*, sed *filia Pheroræ*, toro *Mariammæorum* juncta. At *Ant.* XVII. *c.* III. mentio fit filiarum Pheroræ, virginum: ob qvarum injurias *Pheroras* à Conjuge, hujúsqve matre & Sorore, alienus erat. Qvod cùm ita sit, patet, *Pheroram* plures habuisse filias, qvàm qvas *nostra tabula* subjecit. Studiô autem, qvòd aliter non meruerint, & *has*, & *alios Pheroræ Liberos*, [de qvibus monitum *Num.* 16.] prætermisimus.

48. FILIUS ANONYMUS.] Procul dubio *Achiabus.* Fuit enim *Herodis M. ἀνεψιός. Ant.* XV. *c.* XI *&* XVII. *c.* IX. *Bell.* I. *c.* XXI. *&* II. *c.* II. Qvomodo etiam vocantur Antipater, *Ant.* XIIX. *c.* VII. & Josephus, *Ant.* XVII. *c.* XII. alii *Salomes* filii. Accedit, qvòd cùm *Herodes* morbô oppressus alios ex cognatis vix admisit qvàm *Salomen*, *ejúsqve domum*, & *Achiabus* tamen etiam toleratus fuit, speciem habeat eum ex stirpe *Salomes* fuisse: & sic, [cùm alius esse vix possit,] ejus *filium.* Fuit homo *δορυφόρος*, & Dominis fidus suis: Cùm *Alexandra*, Herode in morbum lapsô, *Hierosolymorum Arces* vellet intercipere; *Achiabus* ipsarum alteri præfectus, rem actutùm ad Herodem detulit. *Ant.* XV. *c.* XI. Lethaliter etiam posteà decumbente *Herode*, magnum sustulit periculum. Nam cùm *Herodes*, morbum non ferens, prætextu pomi dissecandi cultrum in se verteret, *Achiabus* eum prehensâ manu; & clamore magnô editô, inhibuit.

Ant. XVII. *c.* IX. *Bell.* I. *c.* XXI. *Hegeſipp.* I. *c.* XLV. qvi tamen pro *cultro*, *gladium* ſubſtituit. Poſt *Herodis* mortem, cùm regnô paſſim motibus agitatô, *x. millia*, *Varo* ſe oppoſuiſſent: *Achiabus* effecit, ut omnes ſeſe armis poſitis *Romanis* dederent. *Ant.* XVII. *c.* XII. *Bell.* II. *c.* III. Qvin & ipſe contra populares rebelles pro *Romanis* duxerat Exercitum. *Ant.* XVII. *c.* XII. *Bell. jud.* II. *c.* II. Qvibus artibus *Pheroras* ei puellam ab *Herode* deſtinatam ſubtraxerit, ſuprà relatum ad *Num.* 18.

49. BERNICE.] Straboni, *Geogr.* XVI. *Berenice.* confer *Num.* 72. Cum *Ariſtobulo* diſcors habuit connubium. Nam cùm ille ei freqventer objiceret, qvòd cùm *frater*, Regis filiam duxiſſet, ipſe ignobilem & privatam haberet, *Bernice* cum lacrumis id ad matrem retulit. addens: *Ariſtobulum* dixiſſe, qvod ſi ſibi & fratri regnum veniret, uxores Herodis cum ancillis textrices vellent facere: filios autem earum, [qvòd ſtudiis darent operam] Scribas, aut Lidimagiſtros. *Bell. Jud.* I. *c.* XVII. *Hegeſipp. Excid.* I. *c.* XL. Qvæ cùm *Salome*, iræ impotens, imprudenter *Regi* mox ſuggereret, brevi illa *Generum*, filia *Maritum* perdidit. *Ariſtobulô* ſuppliciô affectô, *Bernice* in matrimonium data eſt *Avunculo Antipatri.* Qvas nuptias callidè *Antipater* conſuerat, ut *Salomen* ſibi inimicam reconciliaret. *Bell. Jud.* I. *c.* XVIII. *Ant.* XVII. *c.* I. Tandem etiam illo ſublatô, [fortè ob crimen conſpirationis in Herodem. *Ant.* XVII. *c.* VI. *Bell.* I. *c.* XIX.] *Bernice* ſeſe Romam contulit: [procul dubio in *matris* & aliorum comitátu, tum cùm Romæ actum de hæreditate. *Ant.* XVII. *c.* XI. ubi in honore fuit tum apud *Auguſtum*, tum præcipuè ſub Tiberio, apud *Antoniam* Druſi majoris Conjugem. Strabo, *Geogr.* XVI. *p. m.* 526. inqvit: Καῖσαρ καὶ τοὺς υἱοὺς ἐπιτίμησε τοῦ ἡρώδου, καὶ τὴν ἀδελφὴν σαλώμην, καὶ τὴν

θαυ-

ταύτης θυγατέρα βερενίκην. [ut hallucinetur Cornelius à Lapid. cùm *in Act.* xxv. 13. *p. m.* 363. putat hanc filiam fuiſſe Herodis.] Flavius autem, *Ant.* xiIx. *c.* viii. Ἀγρίππας καὶ ἀντωνίᾳ τῇ Δρούσου τοῦ μεγάλου γυναικὶ εἰς φιλίαν ἀφίκετο, βερενίκης τῆς μητρὸς τιμωμένης παρ' αὐτῇ &c. Item infrà, de *Antonia*, & *Bernice*: σφόδρα, inqvit, ἀλλήλαις ἐχρῶντο αἵδε γυναῖκες. Qvæ *Bernices* amicitia cum *Antonia*, poſteà ejus filio *Agrippæ* magno uſui, qvin ad regnum gradus fuit. Apparet eam Romæ apud *Antoniam* defunctam, longè *ante regnum Filii*: qvippe ante obitum *Druſi*, filii Tiberii. Certè cùm *Agrippa* ſecundò iret in Italiam, mater ejus jam antè exſtincta, *Protum* Libertum *Antoniæ* legaverat. *Joſeph. loc. prox. cit.*

Priuſqvàm hinc abeo, ſublevabimus *Montacutium. Ariſtobulus*, [inqvit, *in Appar.* v. *n.* 74. *p. m.* 191.] *duxit in Uxorem Bernicem, filiam Salomes amitæ ſuæ, Sororis Herodis: qvam vel è Coſtabaro vel Joſepho, nam non memini pro certo traditum, genuerat.* Conſulemus ergo memoriæ *Montacutii*, ex *Ant.* xiIx. *c.* vii. ubi ſic Flavius: ἡ δὲ βερενίκη κοστοβάρου τε σαλώμης παῖς, τῆς ἡρώδου ἀδελφῆς.

50. *Avunculo Antipatri.*] Sine dubio *Theudioni. Ant.* xvii. *c.* vi. *Bell. jud.* i. *c.* x. Nam alium in *Hiſtoria Judaica*, matris Antipatri fratrem, non invenio. Etſi *Amicum* tantùm *Antipatri* vocet Hegeſippus, *Excid.* i. *c.* xliii. Conſcius fuit veneficii contra *Herodem*. Neqve tamen rectè Salianus, *Annal. ad Ann. Ch.* i. *n.* 49. eum vocat *veneficum*. Nam venenum *Herodi* intentatum femina Arabica, [non *Acme* Ancilla, ut *Baron. Ann. ad Ann. Chr.* 8. *n.* 9.] confecerat: *Theudion* autem confectum, & in manus ab *Antipatro* datum, ad *Pheroram* tulerat. *Joſeph. & Hegeſipp. loc. cit.* Non eſt autem *veneficus*, qvi tantùm portat venenum; ſed qvi conficit.

51. *Filia Anonyma.*] Cappellus, *Histor. Jud. p. m.* 85. eam vocat *Salomen*: sed nullo testimoniô. Certius est eam filio Alexæ, *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. eíqve Callææ, *Ant.* XVII. *c.* I. traditam in matrimonium. Qvem *Callæam*, oportet ut *Alexas* antè ex alia aliqva *Uxore* genuerit, qvàm *Salomen* duxisset. Ceterùm ἀλ.ὡς. I. *c.* XVIII. non benè existimo τ̃ Ἀλεξᾶν Græcum, reddi per *Alexandrum*. Nam etiamsi pro *Alexa*, Eusebius, *Histor.* I. *c.* VIII. habeat ἀλέξανδρον: tamen cùm in *Historia Herodum* lector posset in errorem induci, putans esse *Alexandrum Mariammes*: præstat differentiæ causâ, vertere, [sicut in *fonte* est,] *Alexam*.

53. *Antipater: Herodes &c.*] Homines obscuri. Qvorum scilicet nihil extra *nomen*, cognitum. *Ant.* XIX. *c.* VII. Qvemadmodùm neqve invenio, cujas fuerit *Cypros*, uxor *Antipatri*. Serarius, *Opusc. Tom.* I. *de Herod. c.* XX. putat fuisse filiam Herodis. [De qva *Num.* 17. & 33.] Sed fallitur. Nam *Materteram* ducere fuit capitale. *Levit.* XIIX. 13. & XX. 16. Unde *Cypros* Herodis filia, non *huic Antipatro*; sed alîi, *filio Salomes*, de qvo suprà, *Num.* 23. fuit conjugata, Teste Josephô, *Ant.* XVII. *c.* I. & XVI. *c.* XI. & XIIX. *c.* VII. *Bell.* I. *c.* XVIII.

54. CYPROS.] Femina morum cultu & fide in maritum insignis. Cùm * *Agrippa*, maritus, ære obrutus, non esset solvendo, & ob hoc ἄπορ☉, in turrim Idumææ *Maalatha* sese abdidisset: *Cypros* uxor pro eo ad *Herodiadem* ejus Sororem scribit, petens ut qvoqvô modô ei vellet succurrere. Qvâ qvidem suâ intercessione hoc effecit, ut *Agrippa* Tiberiade domicilium atqve sustentationem conseqvutus sit. Eadem *Cypros*, morum suorum venustate & candore, animis qvaqvaversùm illectis, marito posteà *Alexandriæ* etiam *xx myriadum* viaticum impetravit. Qvô honestè venit in *Italiam*: &

* Vide infrà, p. 603.

& ibi omnes casus suos superavit. *Ant.* XIIX. *c.* VIII. *Liberi ejus* recensentur, *Ant.* XIIX. *c.* VII. *Bell. jud.* II. *c.* X.

55. *Filius Anonymus.*] Cappello, *Hist. jud. p. m.* 85. iterum, [nescio unde] *Antipater.* Pacta ei primùm fuit filia Aristobuli, [Bernice:] Sed cùm hanc ipse *pater* invaderet, locô ejus *filiam* tandem *Pheroræ* obtinuit. Qvam cùm ante *Herodes* despondisset *Alexandro*: de qvo *Num.* 56. *Antipater* Domus Mariammææ flagrùm, noluit eam ex *Pherora* crescere: & sic Alexandrô exclusô, filio suo *Pheroræ* sumpsit *filiam.* *Ant.* XVII. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. *Hegesippi* Codices mendum habent. Nam cùm is *Excid.* I. *c.* XLII. sic scribit de Antipatro: *Ad postremum tantum effecit, ut sibi Aristobuli filia, atqve ex ipso genitus, Pheroræ parentis sui filia conjungeretur*, manifestum est, pro *parentis*, *patrui* substituendum esse.

55. *Filia Antipatri.*] Fuit utiqve conjuncta *Aristobuli* Mariammes *filio.* *Ant.* XVIII. *c.* I. Sed cùm is, vel *Herodes*, vel *Agrippa*, vel *Aristobulus* esse potuit; nobis casu an consiliô, primus placuit. Interim, cùm *Herodes* fratrum primus fuit, *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. speciem aliqvam habere videtur, qvòd *majores natu juniores* præcesserint, & qvòd iis priùs *de Uxoribus* provisum sit. Etiamsi ultra *duas uxores* neutiqvàm inveniam. *Ant.* XX. *c.* III. *Bell.* II. *c.* X. Qvidqvid fuerit, in eô non sitæ sunt opes Græciæ.

56. ALEXANDER.] Serarius, *Opusc. de Herod. c.* XX. *p.* 242. fœdè hunc omittit: & præpositô *Tigrane*, pro secundo-genito assumit *Tigranem* à Nerone Regem factum. De qvo *Num.* 66. Utiqve corruptè. Nam Flavius inqvit *Ant.* XIIX. *c.* VII. Ἀλεξάνδρῳ τῷ ἡρώδου παιδὶ &c. ἀλέξανδρος καὶ τιγράνης ἐγεγόνειταν, υἱεῖς ἐκ τ' ἀρχελάου τ' καππαδοκῶν βασιλέως

 θυγα-

θυγατρὸς, i. e. *Alexander Herodis filius Alexandrum & Tigranem filios suscepit ex Archelai Cappadocum regis filia* [Glaphyra] Et ἀλλως. I. c. XVIII. ἦσαν, inqvit, Ἀλεξάνδρῳ μὲν ἐκ Γλαφύρας υἱεῖς δύο, Τιγράνης, καὶ Ἀλέξανδρος. Qvod imitatur & Hegesippus, *Excid.* I. *c.* XLII. *Alexander*, inqvit, *ex Glaphyra genitos sibi Tigranem & Alexandrum filios dereliqvit.* Fuit ergo filius *Alexander*, locô seu *primô*, seu *secundô* natus: (ordo enim ut visum, permutatur.) Et huic demum filius *Tigranes*, qvi Rex à *Nerone* factus. Confer *Num.* 66. Honore autem publicô functum *Alexandrum*, non invenio. Nam alter, qvi sub Vespasiano *Lesidis Rex* est factus, hujus erat *Nepos*: *Ant.* XIIX. *c.* VII.

57. *Uxor Anonyma.*) Neqve enim fuerat *filia Pherorae*: ut Salianus, *Annal ad Ann. Chr.* I. *num.* 49. præsumit. Nam ea tantùm sponsalia fuisse, & nuptias fraude *Antipatri* non processisse, cùm *Pherorae filia* conjungeretur posteà *filio Antipatri*, ostendimus, *Num.* 47.

58. TIGRANES *Rex.*] Josephus, *Ant.* XIIX. *c.* VII. refert eum in Armenia (majore, confer ἀλλως. II. *c.* X.) regnâsse; & dehinc Romæ accusatum sine prole decessisse. Adducor ut credam occisum à *Tiberio*: & de eo loqvi Tacitum, *Annal.* VI. XL. 2. cùm inter multos illustres necatos à Tiberio, tandem subjicit: *Nè Tigranes qvidem*, inqvit, *Armeniâ qvondam potitus, ac tunc reus, nomine Regiô supplicia civium effugit.* Unde non possum *Freinshemio* assentiri, qvi *in indic. ad Tacit. Bernegger.* hunc cum illo *Tigrane* confundit, cujus ità Tacitus, *Annal.* II. III. 4. 5. meminerat: *Occisô Artaxiâ per dolum propinqvorum, datus à Cæsare* (Augusto) *Armeniis Tigranes*, (Artauasdem falsò vocat *Vellejus*, *lib.* II. LXXXII. 3. II. XCIV. 4.) *deductúsqve in regnum à Tiberio Nerone. Nec*

Ti-

Tigrani diuturnum imperium fuit, déqve liberis ejus: qvamqvàm ſociatis more externô in matrimonium, regnumqve. Sane hic *Tigranes*, *Artabazis* aut *Artaxiæ* fuit frater: diu antè impoſitus ab Auguſto. *Joſeph. Ant.* XV. *c.* V. *Svet. in Tiber. c.* IX. *Dio, Hiſtor. Rom.* LIV. Ut non ſit *Tigranes* interfectus à *Tiberio*: qvippe poſt breve imperium ſublatus. Liberos enim ſucceſſores habuit. *Tacit. ſupr.* qvibus ſub Auguſto, *Artavasdes* & *Ariobarzanes*, ſuffecti. *Tacit. annal.* II. *c.* III. IV. Ceterùm, qvâ *Tigranes* culpâ, Romæ fuit à *Tiberio* ſublatus, nusqvàm memini *Autores* tradere.

59. HERODES *Rex.*] Cum *prima*, certè cum *ſecunda* ſua *uxore* inglorius & privatus vixit. Poſtqvàm autem in manum ejus conveniſſet filia Agrippæ, *Bernice*, Agrippa, [ut erat magna florénſqve ejus Romæ gratia,] *Regnum Chalcidis* à *Claudio* ei impetravit. *Ant.* XIX. *c.* IV. *Bell. Jud.* II. *c.* X. *Chalcis* autem, ſita in monte Libano, *Ant.* XIV, *c.* XIII. Stephano dicitur πόλις τῆς Συρίας, κτισθεῖσα ὑπὸ μονικοῦ ἄραβος. Id eſt: *Urbs Syriæ condita à Monico Arabe.* Straboni, *Geogr.* XVI. dicitur *Arx Marſyæ.* μετὰ τὴν Μάκραν, inqvit. ἐστὶν ὁ μαρσύας, ἔχων τινὰ ὀρεινὰ, ἐν οἷς ἡ χαλκὶς, ὥσπερ ἀκρόπολις τοῦ μαρσύου. Qvanqvàm qvòd *Marſyam* faciat ὀρεινὴν, hoc refutet Polybius, *Hiſt.* V. *p. m.* 390. cui *Marſyas* eſt *convallis inter Libanum & Antilibanum*: ἐνέβαλεν, inqvit: εἰς τὸν αὐλῶνα τὸν προσαγορευόμενον μαρσύαν, ὃς κεῖται μὲν μεταξὺ τῆς κατὰ τὸν λίβανον καὶ τὸν ἀντιλίβανον παρωρείας. συνάγεται δὲ εἰς στενὸν ὑπὸ τῶν προειρημένων ὀρῶν. Alibi etiam, *eôd. lib. p. m.* 405. Marſyam, αὐλῶνα vocat. Certè *convallem* illic loci fuiſſe, diſco & ex Plinio, *Hiſt. Nat. Nat.* XII. *c.* XXII. *Inter Libanum montem*, inqvit, *aliúmqve ignobilem, non* [*ut qvidam exiſtimavêre*) *Antilibanum, in convalle modica* &c. *Chalcidis* autem diſtrictus cùm non magnus

 gnus

gnus esset, (Plin. *Hist.* v. xxvi. i. inqvit: *infra Palmyræ solitudines, Stelendena regio est, dictáqve jam Hierapolis, ac Beræa, & Chalcis,*) Herodes etiam, *Dynasta* ejus dictus fuit. *Ant.* xix. *c.* vii. Ut & ejus Successor, *Agrippa Ant.* xx. *c.* v. Obiit in hac dignitate, post *Agrippam* fratrem, *Ant. loc. cit. Bell.* ii. *c.* x. annô Imperii Claudii viii. *Ant.* xx. *c.* iii.

Hujus fortean *Numus* fuerit, cui inscriptum: Ἡρώδης βασιλεὺς φιλοκλαύδιος. *Scalig. Animadv. p.* 174. *Claudius* certè ipse commendat *Herodis hujus* in se studium. eúmqve vocat κράτιστον & sibi τίμιον. *Ant.* xx. *c.* i. Profectò: *Claudius* amari meruit, qvi tot eum bonis proseqvutus fuit. Judæis ad ejus & fratris intercessionem, toto imperiô religionis dedit exercitium. *Ant.* xix. *c.* iv. Ipsi *Herodi* Principatum, & decus Prætorium contulit: Sed & in Senatum ingredi, & gratias ei, Fratríqve, Græcè agi fecit. *Dio, Hist. Rom.* lx. *p.* 670. *B.* ita de ipso & Agrippa: Τῷ γὰρ Ἀγρίππᾳ τῷ παλαιστινῷ συμπράξαντί οἱ τὴν ἡγεμονίαν, (ἔτυχε γὰρ ἐν τῇ Ῥώμῃ ὢν,) τήν τε ἀρχὴν προσεπηύξησε, καὶ τιμὰς ὑπατικὰς ἔνειμε, τῷ τε ἀδελφῷ αὐτοῦ Ἡρώδῃ τό, τε στρατηγικὸν ἀξίωμα, καὶ δυναστείαν τινὰ ἔδωκε, καὶ ἔς τε τὸ συνέδριον ἐσελθεῖν σφίσι, καὶ χάριν οἱ ἑλληνιστὶ γνῶναι ἐπέτρεψε. Id est: *Agrippæ Palæstino, qvi eum in potiundo principatu adjuverat, (Romæ tunc præsens) regnum auxit, honores Consulares tribuit, fratri ejus Herodi Prætoriam dignitatem & Principatum qvemdam concessit; in Senatumqve ingredi eos, ac Patribus Græcè gratias agere permisit.* Hæc Dio.

Ut nihil dicam de *Templo* & *Sacerdotio*: qvorum post *Agrippæ* mortem, *Claudius* ei potestatem tradidit. *Ant.* xx. *c* i. Ut si pro tot meritis nollet esse φιλοκλαύδιος, jure ingratissimus mortalium dici debuisset. Sed *Flavius* addit: *jus Templi & Sacer-*

dotii

dotii penes posteros ejus mansisse usqve ad belli exitum; ᾐτήσατο, δὲ inqvit, *Ant.* xx. *c.* I. extr. καὶ Ἡρώδης ὁ ἀδελφὸς μὲν Ἀγρίππου τοῦ τετελευτηκότος, Χαλκίδος δὲ τὴν ἀρχὴν κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον πεπιστευμένος, Κλαύδιον Καίσαρα τὴν ἐξουσίαν τοῦ νεὼ, καὶ τῶν ἱερῶν χρημάτων, καὶ τὴν τῶν ἀρχιερέων χειροτονίαν πάντων τε ἐπέτυχεν, ἐξ ἐκείνου τε πᾶσι τοῖς ἀπογόνοις αὐτοῦ παρέμεινεν ἡ ἐξουσία μέχρι τῆς τοῦ πολέμου τελευτῆς. Id est: *Eôdem tempore & Herodes Dynasta Chalcidis, defuncti Agrippæ frater, petiit à Cæsare potestatem in templum & sacrum ærarium, jusqve eligendorum summorum Pontificum: impetravitqve hæc omnia, ita ut etiam posteris ejus idem jus manserit usqve ad belli Judaici exitum.* Qvod cum grano salis capiendum est. Nam post obitum *Herodis*, nec *Chalcis*, nec *Templi cura* in manu *Liberorum* ejus mansit: ut qvæ data *Agrippæ Juniori.* Nam hic præter regnum Chalcidis, *Ant.* xx. *c.* III. *Bell.* II. *c.* X. etiam ἐπεπίστευτο à *Claudio* τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ ἱεροῦ. *Ant.* XX. *c.* VIII. prout ipsâ praxi demonstravit: reparando, exstruendo, de Templi pecuniis & Cantorum habitu disponendo &c. qvin & VI. in Summos Pontifices, [*Ismaëlem Phabæi, Josephum Cabi, Ananum Juniorem, Jesum Damnæum, Jesum Gamalielis,* & *Matthiam Theophili,*] assumendo atqve designando. *Ant.* xx. *c.* VI. VII. VIII. *Bell.* VI. *c.* I. Neqve tamen *Agrippa* fuit *Chalcidensis* ἀπόγονος, sed διάδοχος. Ut & hîc fraudulenter τοῖς ἀπογόνοις, *Ant.* XX. *c.* I. receptum sit pro διαδόχοις. Et menda hujus generis qvàm plurima. Nam & *Ant.* XIV. *c.* XXV. pro διαγινώστης τοῦ Ὑρκανοῦ θυγατρὸς, ἧς ἐνεγγύητο τὴν θυγατέρα &c. legendum: ἣν ἐνεγγύητο: vocibus duabus ultimis jugulatis. Fuit enim *Mariamme ipsa*; (dicta *filia Hircani*, ut alii: *Num.* 10.) & non *hujus mater*, Ἀλεξάνδρα, qvæ

He-

Herodi dedit hoc consilium. Teste Josephô. *Bell. Jud.* I. *c.* XI. Ita & *Ant.* XIV. *c.* XXVI. Mariammes frater vocatur ἀλέξανδρος: qvem certum aut Jonathan, *Hegesipp.* I. *c.* XXXVII. 36. aut Aristobulum, *Ant.* XV. *c.* II. III. *&* IX *c.* VIII. dictum. Ita cùm ἁλώς. I. *c.* XVII. narratur, qvod ἀδελφοὶ τοῦ βασιλέως συναπέκλιναν in partes contra filios Mariammes: legendum utiqve pro ἀδελφοὶ, ὁ ἀδελφός, nemme *Pheroras.* Nam alios fratres *Herodes* tum non habuit. Ita pro ἐνιαυτῷ ἐσχάτῳ, surrepsit *Ant.* XIIX. *c.* VI. εἰκοστῷ. Prout monitum *Num.* 41. Ita δαμάσων, *Ant.* XIX. *c.* VII. †pro ἐκ ἐμέσων. ut *Num.* 61. Montacutius, *Apparat.* V. *n.* 67. *p. m.* 188. pro καιφαλίων, *Ant.* XIV. *c.* IV. legit separatim: ἐκ φαλλίων. Satis congruè. Nam φαλλίων vocatur ἁλώς. I. *c.* V. & Hegesippo, *Excid.* I. *c.* XIV. Fallion. Qvemadmodùm passim *Josephus* depravatus ab indoctis manibus: ut pluribus illud ostendimus *Num.* 7. *p.* 451. *& alibi.* [Qvibus adde sis exempla *Casauboni, Exercit.* I. *s.* 34. *p m.* 154.] Scaliger, *Animadv. p.* 66. inqvit: *Vetustissimos errores multos in Josepho deprehendimus, etiam ante Ruffini ævum in ejus codicem receptos.* Id qvod etiam deprehendit *Casaubonus*, cùm rogatu *Scaligeri* meditantis novam Josephi editionem, Exemplaria conferret cum vetustis Codicibus Bibliothecæ Regis Galliæ. Ut scribere ausus sit, *Exercit.* I. *sect.* 34. *Hodiernis Josephi libris nihil depravatius posse inveniri.* Salianus, *Annal. ad Ann. Chr.* I. *n.* 46. oppidò delirat, cùm *Johannem*, [qvi dudum antè sub *Tiberio* capite truncatus fuerat] ab *hoc Herode* asserit occisum.

60. ARISTOBULUS.] Cognomentô νεώτερος. *Ant.* XX. *c.* I. Cum fratre *Agrippa* adhuc privato, sævum & acre odium exercuit. Ut cùm uterqve inops apud *Flaccum* Syriæ Præsidem viveret, intellectô qvòd *Agrippa* dona sumpsisset à *Damascenis*,

† Vide infra p. 601.

ut iis *Flaccum* contra *Sidonios*, (cum qvibus de finibus litigabant,) conciliaret, *Aristobulus* actutum *Flacco* rem prodiderit. Qvô effectum, ut *Agrippa*, (cui magnæ tum necessitates,) deprehensus in crimine, *Flacci* gratiâ exciderit. *Ant.* xx. *c.* VIII. Cum *Petronius* Caji statuam vi obtrudere vellet, & in Templo Hierosolymitano ponere; *Aristobulus* adscitis Judæorum optimatibus supplex apud *Petronium* intervenit. *Ant.* XIIX. *c.* XI. *Prout nulla Simulacra Judæorum urbibus, nedum Templis sunt. Non Regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor.* Tacit. *Histor* v. v. 9. Mortuus est privatus. ἁλώς. II. *c.* x. In magna tamen gratia apud *Claudium*: Ut qvi illius, *Rescriptô publicô*, meminit perhonorificè. *Ant.* xx. *c.* I. Videtur adhæc *Aristobulus*, *Agrippâ* junior. Certè eum ordine seqvitur. *Ant.* XIIX. *c.* VII. Bell *Jud.* I. *c.* XVIII. *Hegesipp. Excid.* I. *c* XLII. Ut ad *Tabulam Genealogicam* hæc vellemus emendata: in qva festinanter est præpositus.

61. JOTAPE.) Filia *Sampsigerami*, Regis Emesorum. *Ant.* XIIX. *c.* VII. Qui & σαμψιγέραν☉, βασιλεὺς δαμάσων. *Ant.* XIX. *c.* VII. sed mendosè. Nam & σαμψισέραν☉, pro σαμψισέραμ☉. *Ant.* XIIX. *c.* VII. (Straboni, *Geogr.* XVI. σαμψικέραμ☉,) & δαμάσων. † pro ἐμεσῶν, subjectum. Neqve enim fuit *Rex Damasci*. Flavius, *Ant.* XIX. *c.* VII. ἧκε δὲ, inqvit, παρ᾽ αὐτὸν κομμαγηνῆς βασιλεὺς ἀντίοχ☉, δαμάσων σαμψιγέρανος, καὶ κότυς τῆς μικρᾶς ἀρμενίας οὗτ☉ ἐβασίλευσε, καὶ πολέμων τὴν πόντου κεκλημέν☉ δυναστείαι, ἡρώδης τε &c. Id est: *Venit ad eum Antiochus Comagenæ Rex, Emesinorum Sampsigeranus, & Cotys, qvi regnabat in minore Armenia, Polemónqve Ponti regulus, & præter hos Herodes &c.* Ubi sicut ὁ κότυς, ὁ πολέμων, &c. ita

† Vide supra p. 600.

haud

haud dubiè καὶ ἐμεσῶν, vel ἐμέσων. Ἐμέση autem *Bell. Jud.* II. *c.* XXVII. vel ἔμεσαι, [*Stephano* ἔμισα: *Plinio, Hist. Nat.* V. *c* XXVI. Hemesa,) urbs est: ἔμεσοι verò (prout Ἄζιζος ἐμέσων &c. *Ant.* XX. *c.* V.) ἐμισαῖοι, vel ἐμησινοὶ, sunt incolæ: idqve circa Libanum. ἔμισα enim πόλις φοινίκης λιβανουσίας. *Stephan. de urbib.* Et multarum illic urbium parvi Principes seu φυλάρχαι. Svetus Regibus Oriens. *Tacit. Hist.* IV. *c.* XVII. & Strabo, *Geogr.* XVI. de qvodam Cæcilio Basso, *Apamiæ* à Romanis exercitibus obsesso, inqvit: καὶ τὴν σιταλιὰν ἀπέτρεφεν ἡ χώρα, καὶ συμμάχων ηὐπόρει τῶν πλησίων φυλάρχων, ἐχόντων ὀχυρὰ χωρία, ὧν ἐστι καὶ ἡ λυσιας ὑπὲρ τῆς λίμνης κειμένη τῆς πρὸς ἀπάμειαν, καὶ ἀρέθουσα, καὶ ἡ σαμψικεράμου, καὶ ἡ Ἰαμβλίχου τοῦ ἐκείνου παιδός, φυλάρχων τοῦ ἐμεσηνῶν ἔθνους. οὐ πόῤῥω ἡλιούπολις καὶ χαλκὶς ὑπὸ πτολεμαίῳ τῷ Μενναίου, τῷ τὴν Μαρσύαν κατέχοντι, καὶ τῶν ἰτουραίων ὀρεινὴν &c. Flavius, *Ant.* XIV. *c.* XIV. inqvit: *certatim opem tulerunt Cæsari, Jamblichus Dynasta, & Ptolemæus ejus filius, & Tholomæus Sohemi filius, Libanum montem incolens, & urbes universæ.* Neqve aliter Hegesippus, *Excid* I. *c.* XXIV. *commovit,* inqvit, *Syriæ potentes in adjumentum ipsius, Ptolemæum, qvi habitabat in Libano, & Jamblichum, & Ptolemæum alterum.* Cujus *Jamblichi* ex *Ptolemæo* nepos *Sampsiceramus hic* esse potuit. Nam *Jamblichum Jamblichi*, qvi ab Augusto in *Arabia* paternô regnô fuit donatus, *Dio, Histor.* LIV. alium existimo. Ceterùm, *Samsigeramus* hic est, cui Tiberiade cum IV. aliis Regulis apud *Agrippam* hærenti, superveniens *Marsus* Syriæ Præses abitum imperavit. *Ant.* XIX. *c.* VII. Filios habuit suc-

succeſſores in regno, Azizum, *Ant.* xx. *c.* v. & Sohemum. *Bell. jud.* VII. *c.*XXVII. cui Nero poſteà & *Sophenen regionem* contulit. *Tacit.* *Annal.* XIII. *c.* VII. Ut & Veſpaſiano cum regno acceſſerit. *Tacit. Hiſt.* II. *c.* LXXXI. & contra Judæos miſerit auxilia. *Bell. jud.* II. *c.* XXII. *conf. Num.* 67.

62. BERNICE.] Ita vocatur *Ant.* XIIX. *c.* VII. *Mariamme* autem, *Bell. jud.* I. *c.* XVIII. Cùm *Herodes* in tempore didiciſſet filios *Alexandrum* & *Ariſtobulum* iniqvè à ſe trucidatos, maturè proſpicere & cavere voluit, ut & *ipſorum Liberi* vacui amicis interirent. Itaqve inter alia ipſis circumſpecta matrimonia, qvibus pupilli potentioribus innecterentur: etiam hanc *Bernicem* copulari voluit *filio Antipatri.* Sed *Antipater* odoratus qvorſum Pater tenderet, & nolens nimium firmari *Mariammæos*, callidè omnia refinxit & pervertit: *Bernice hâc* ſibi ipſi à Patre aſſentando impetratâ. De qvibus dignus qvi legatur Flavius, *Ant.* XVII. *c.* I. *Bell. jud.* I. *c.* XVIII.

63. AGRIPPA MAJOR: *Rex.*] Lucæ, *Act.* XII. I. 6. 11. 19. 21. qvinqvies *Herodes* dictus. Fuit enim διώνυμος. *Euſeb. Hiſt. Eccleſ.* II. *c* IX. *Suid. in Lex.* prout *Num.* 34. vidimus. Utriusqve fortunæ luſus & ſpectaculum: & (qvod ait Photius, *Bibliothec. cod.* σλή) μυρίαις τυχαῖς ϗ μεταβολαῖς περιπεσών. Romam venerat paulò ante *Herodis* mortem: ubi cum *Claudio*, & filio Tiberii *Druſo* educatus, dum ſplendore & largitione *Magnatum* qværit gratiam, brevi tempore bona ſua decoqvit. Unde, * cùm plurimis factis nominibus non eſſet ſolvendo, & inſtarent creditores, *Româ* fugere neceſſe habuit: conferens ſemet ad turrim ἐν Μαλάθοις, animô illic infelicem vitam finiendi. Sed *Uxor ejus*, femina egregia, deſperantem antevertit; literíſqve apud *He-*

* Vide ſuprà p. 594.

Herodiadem ejus Sororem effecit, ut accersitus *Tiberiade* victum acceperit: Magistratu etiam urbis donatus, qvò esset honoratior. Sed cùm non multò pòst, *Antipas* ei inter pocula exprobraret, qvòd suô sumptu miserum aleret; *Agrippa* non ferens vitam precariam, ad *Flaccum* Syriæ Præsidem se contulit. Qvô & ipsô per fratrem *Aristobulum* alienatô, desertus ab omnibus, tendit in Italiam: Qvasi illìc rem reparaturus, ubi eam maximè corruperat. Sed & hìc eum fortuna diu varia exercuit. Non dicam, qvòd cupiens adversus *Herodem Tetrarcham* Romæ judiciô contendere, à *Tiberio* contemptus sit. *ἀλώς.* II. *c.* VIII. *Hegesippus, Excid.* II. *c.* III. Qvibus consonat Eusebius, *Chronic. p.* 156. *Agrippa*, inqvit, *filius Herodis Regis, accusator Herodis Tetrarchæ Romam proficiscitur &c.* Sed maximè, qvòd cùm benevolentiâ matris Claudii *Antoniæ*: (qvæ ei proper matrem faverat, *Num.* 49.) ita emersisset, ut *Tiberius ipse* Nepotem suum colendum ducendúmqve ei commendaverit; tamen eum fortuna iterum novercans sic afflixerit, ut nòn modò *Tiberii* gratiâ exciderit, sed & in carcerem semestrem venerit. *Caussa* erat, *remota* qvidem, qvòd Tiberiô Drusi filiô neglectô, totum sese Cajo addixisset: *proxima* autem, qvod Eutychô suô Libertô proditore, citam mortem *Tiberio* vovisset, *Cajo* autem maturum Principatum. *Ant.* XIIX. *c.* VIII. *Bell jud.* II. *c.* VIII. Post qvem Hegesippus, *Excid.* II. *c.* III. non ineleganter: *Cùm Romæ degeret, plurimos sibi adscivit in amicitiam; & maximè Germanici filium Cajum, qvem sive paterni nominis gratiâ amabilem populo, seu Regii generis propinqvitate proximum imperio ratus, an qvodam præsagiô, studiosiùs excolebat, qvàm vel ætatis vel honoris ejus ratio patiebatur: ita ut qvôdam die manus elevans deprecaretur, ut maturiùs Ti-*

beriô

berio mortuo Cajum videret Imperatorem. Qvo prodito per Eutychum libertum suum, Agrippa jussu Tiberii in vincula ducitur, & gravibus modis excruciatur, non ante dimissus qvàm Tiberius diem clauderet. Sed hic fortunæ ultimus contra eum conatus fuit. Nam *Tiberio* post sex menses exstincto postqvàm *Cajus* successisset, *Agrippa* non modò carceri exemptus; *Dio, Hist. Rom.* LIX. Sed & Tetrarchiæ Philippi & Lysaniæ Rex est factus. *Joseph. loc. cit. Philo in Flacc. p. m.* 750. Donatus etiam *catenâ aureâ*, paris ponderis cum ferrea, in qva fuerat ligatus. *Ant.* XIIX. *c.* VIII. Qvam postea tanqvàm rerum suarum vicissitudinis non tam mnemosynon qvàm tropæum, in Templo Hierosolymis suspendit. *Ant.* XIX. *c.* V. Paullò post, cum *Herodes Tetrarcha*, (qvem Agrippæ insidias struxisse diximus *Num.* 37.) proscriptus ejectúsqve esset, *Agrippa* etiam bonis ejus publicis privatísqve auctus fuit. Magnô *Caji* beneficiô: cujus animum ita occupaverat, ut literis publicis idem testatus sit, qvòd *Agrippa* sibi esset τιμώμενος μειζόνως, ἢ ὥστε σε οἷς κελεύσειεν ἀντειπεῖν. *Ant.* XIIX. *c.* XI. Qvam tamen tam exuberantem gratiam parum bonis artibus acqvisiverat: Ut qvi *Cajo* fuerat τυραννοδιδάσκαλος. Dio, *Hist. Rom.* LIX. *Anno Urb.* 792. *p. m.* 658. extr. οὐ μέντοι, inqvit, ταῦθ' οὕτως αὐτοὺς ἐλύπει, ὡς τὸ προσδοκᾶν ἐπὶ πλεῖον τήν τε ὠμότητα τὴν τοῦ Γαΐου, καὶ τὴν ἀσέλγειαν αὐξήσειν. καὶ μάλιστα ὅτι ἐπυνθάνοντο τόν τε Ἀγρίππαν αὐτῷ καὶ τὸν Ἀντίοχον τοὺς βασιλέας ὥσπερ τινὰς τυραννοδιδασκάλους συνεῖναι. Id est: *Non hæc tantum doloris adferebant Romæ, qvantum metus; fore; ut crudelitas, ac libido Caji magis adhuc augesceret: præcipuè, qvòd ferebatur, Agrippam ei, ac Antiochum reges familiariter adesse, qvi eum ad tyrannidem instruerent.*

Summus *Agrippæ* gradus factus *Claudiô* imperan-

te. Nam cùm ei qvondam ex ὁμοτροφίᾳ notus, *Ant.* XIIX. *c.* VIII. Agrippa fidam operam locâsset in imperio conseqvendo: (Fuerat enim Claudio retinendæ potentiæ, & Senatui ad qvem Legatus venerat, non offendendi veteranos autor. *Ant.* XIX. *c.* III. *Bell. jud.* II. *c.* X. *Dio, Histor. Rom.* LX. *Hegesipp. Excid.* II. *c.* V.) Claudius eum ita extulit: ut non modò eum in potestate à Cajo data confirmârit; sed & ei honores Consulares tribuerit, in Senatu gratias agi fecerit, *Dio, Histor.* LIX. Fedus publicè cum ipso sanciverit, sancitúmqve forô mediô ære sculpi jusserit: deniqve, Jus in Templum & Sacerdotium, & universum ei Majorum regnum, adjectâ Judæâ & Samariâ tradiderit. *Ant.* XIX. *c.* IV. *Bell. jud. loc. cit.* Ut reditus ipsi annui fuerint XII. myriadum. *Ant.* XIX. *c.* VII. hoc est: nostrâ monetâ, trium millionum librarum Turonicarum, *Cappell. Hist. jud. p. m.* 116. *Serarii* antem error notabilis sit, cùm Judæam ei contributam neget, *Opusc. de Herod. c.* XX. Atqve ita repentè ad summa ex imis *Agrippa* progressus, admirandâ catastrophe, & πάντων ἐν ἐκ πλήξει καὶ θαύματι τῷ τῆς μεταβολῆς ἀθρόον ποιουμένων: *Phot. Biblioth. cod.* 239. familiæ suæ Princeps potentissimus atqve augustissimus evasit. Ut meritò, *Ant.* XIIX. *c.* VII. *& lib.* XIX. *c.* III. Ἀγρίππας ὁ μέγας fuerit adpellatus. Documento mortalium, qvanta sit in rebus humanis fortunæ potentia. *Ant.* IIX. *c.* VIII. & qvàm ea sit rerum humanarum vicissitudo, ut celsissima qvæqve prolabantur facilè; inclinata autem in pristinum ὕψος iterum sæpè erigantur, & restituantur. *Ant.* XIX. *c.* V. Venturam hanc magnitudinem, *Augur ei qvidam Germanus* prædixerat, tùm cùm adhuc esset in vinculis. Nam cùm *Agrippa* ligatus sese reclinaret in arborem, cui *avis Bubo* insedisset, *Germanus* & ille captivus, accedens, bo-

bonô ipſum animô eſſe juſſit. Fore enim, ut hâc ave indice, brevi magnam ſumeret potentiam: uſqve ad invidiam eorum, qvibus nunc eſſet viſus miſerabilis. Addidit etiam fore, ut cùm *Ales* iterùm rediret ſub conſpectum, qvintô inde die moreretur. *Ant.* XIIX. *c.* VIII. *Phot. loc. cit.* Ceterùm, in adminiſtrando regno, *pium*, *mitem*, & *beneficum* ſe præbuit. *Religionis* ei tantum fuit ſtudium, ut populo ſuo libertatem ejus ſuper totum orbem impetraverit. *Ant.* XIX. *c.* IV. V. VI. Sed & cùm *Cajus* ſtatuam ſuam templo Dei Maximi inferre vellet, optione ſibi à Cajo datâ, qvidvis poſtulandi, ita uſus fuit, ut omnibus aliis Deo poſthabitis, ſtatuam ſolùm non inferri expetiêrit, *Ant.* XIIX. *c.* XI. Qvid? qvòd etiam inciderit in maniam, *Cajô* ſe non patiente flecti. *Philo in Legat. ad Cajum. p. m.* 797. Ut etiam ipſe non modò ſolenniter Deo vota & gratias perſolvit pro ſucceſſu & proſperitate; *Ant.* XIX. *c.* V. ſed & Pietatis ſtudiô, ita diem nullum prætermiſit *ſine Sacrificio. Ant.* XIX. *c.* VII. Tributa ædium ſuſtulit & condonavit. *Ant.* XIX. *c.* V. Civium neminem vi oppreſſit: imò ne qvidem hoſtes apertos voluit lædere aut ulciſci. Tantô ſemper æqvior ad condonandum, qvantô graviùs fuerat offenſus. Incredibile dictu eſt, qvantas opes poſuerit in publico: ſed & qvantùm profuerit privatis. Princeps omnibus æqvus, & amabilis, qvi gloriam benefaciendo partam, magnâ ſemper duceret in voluptate. *Hieroſolymorum muros* aggreſſus ſtruere, feciſſet eos omnem contra vim inexpugnabiles, niſi *Claudius* aliud veritus, cœpta ejus graviter inhibuiſſet. *Ant.* XIX. *c.* VII. *Bell.* II. *c.* X. *& lib.* VI. *c.* VI. *Hegeſ. Excid.* II. *c.* V. [Etiamſi per avaritiam Claudianorum temporum jus muniendi emptum, & muros ſtructos dicat Tacitus, *Hiſtor.* V. XII. 3.] Feliciùs res ſucceſſit in

Beryto. Quam civitatem *Agrippa* ſibi ad ornan-
dum eligens, porticibus, balneis, theatris, am-
phitheatris &c. magnâ claritate auxit. *Ant. loc. cit.*
Ut Judæi meritò cauſſam habuerint eum amandi,
& pro *Fratre* eum ſalutandi. *Midraſch* ad illud *Deu-*
teron. XVII. 15. *è medio fratrum tuorum ſtatuito ſu-*
per te Regem; non potes tibi præficere Regem extra-
neum, qui non ſit frater tuus, ita adjicit: כשהיה
אגריפס מגיע לפסוק זה היה בוכה עד שזו לגת עניו המיעורת
והיה כל ישראל אומר לו אל תירא אגרפס אחינו אתה אחינו
אתה: *Cùm Agrippa perveniſſet ad verſum illum,*
flevit donec oculi ejus emiſerunt lacrymas. Omnis
verò jiſchraël dixit ipſi: Ne timeas Agrippa, fra-
ter noſter es tu, frater noſter es tu. Idem refert
& Miſchnach, *tract. Sothah, c.* VII. ſed prolixiùs.
פרשת המלך כיצד מוצאי יט" הראשון של חג בשמיני
במוצאי שביעית עושין לו בימה של עץ בעזרה והוא יושב עליה
שנ" מקץ שבע שנים במועד וגו" חזן הכנסת נוטל ס"ת
ונותנה לראש הכנסת וראש הכנסה נותנה לסגן והסגן נותנה
לכהן גדול וכג" נותנה למלך והמלך עומד ומקבל וקור' יושב
אגריפס המלך עמד וקבל וקרא עומד ושבחוהו חכמים
וכשהגי ללא תוכל לתת עליך איש נכרי זלגו עיניו דמעות
אמרו לו תתירא אגריפס אחינו אתה אחינו אתה וגו":
Quomodò legitur Paraſchah de Rege? Exeunte die
feſtô primô feſti Tabernaculorum, anni octavi, ſub
exitum anni ſeptimi quietis terræ, conſtituunt Regi
ſuggeſtum ligneum in atrio. Ipſe in eo ſedet juxta
illud Deuter. XXXI. 10. *A fine ſeptem annorum in*
tempore ſtatuto anni remiſſionis, in feſto Tabernacu-
lorum &c. Diaconus Synagogæ defert Librum Le-
gis, & dat eum Principi Synagogæ. Princeps Syn-
agogæ dat eum Vicario. Vicarius dat eum Summo
Pontifici. Summus Pontifex dat eum Regi. Rex ve-
rò ſtat & ſuſcipit eum, & legit ſedens. Agrippa
Rex ſtetit & ſuſcepit eum, & legit ſtans. Laudave-
runt eum Sapientes. Quum autem pervenit ad illum
lo-

locum Deuter. XVII. 13. *non poteris ponere super te virum extraneum, stillaverunt oculi ejus lacrymas. Dixerunt illi: Ne timeas Agrippa, frater noster es tu, frater noster es tu &c.* Mœroris hujus fletúsqve caussam explicat R. Majemonides, *in h. loc.* ואגריפס היה מקהל גרים ולא היה לו אם מישראל ולא היה מותר למנותו בשום פנים וגו': *Agrippa erat è cœtu proselytorum, neqve habebat matrem Israëlitidem: Eumqve præficere nullo modô fas erat &c.* Nempe: *Mater Agrippæ* utroqve Parente fuit *Idumæa.* Filia scilicet *Costabari*, & *Salomes*, (ex Antipâ *Idumæo*; & *Arabissâ* Cypro.) Etiamsi enim *Idumæi* Judæorum ritibus accessissent; (de qvo infrà,) tamen is rigor erat & severitas, ut non iis licuerit Regem eligere *Proselytum*, nisi qvi matrem haberet Israëlitidem, *Majemonid. tract. de Regib. c.* I. Falsò Glossa Talmudica, *in tract. Sothah, c.* VII. suprà intelligit *Agrippam Juniorem*: nempe sub qvo Templum excisum. אגריפס המלך מלך ישראל היה מזרעו של הורדים והוא שחרב בית המקדש בימיו: זלגו עיניו דמעות שזה מקרא הזה פוסלו מן המלכות: *Agrippa*, inqvit, *Rex Israël erat è stirpe Herodis. Illius diebus destructum est Templum. Stillaverunt oculi ejus lacrymas &c. qvia ille Scripturæ textus excludebat eum à regno.* At *Agrippa* hic Hierosolymorum, majorísqve Gentis partis, Rex non fuit: (prout ostendimus *Num.* 70.) & sic ob hoc *flere &c.* non habuisset opus. Sed longiùs digredimur. Ut nihil ex omni parte beatum: ita *Agrippam*, cùm tantus támqve præclarus in qvamplurimis esset, *populi studium*, & commune benè natis crimen, *Ambitio*, corrupit. Nam non solùm ad Populi placitum, sæviit in sanctos Dei homines: (*Jacobum* scilicet Apostolum capite; *Petrum* autem carcere multandô. *Act.* XII. 2. 3. *seq.*) sed & illam sumpsit reverentiam, qvam haud æqvum homini ac-

accipere. Etenim cùm *Cæſareæ*, qvò ad Ludos venerat, multitudo ſtolâ fulgidâ viſum tanqvàm *Deum* compellaret, ille ſic admiſit vocem, ut non compeſcuerit. Qvare ſupra caput actutùm viſus *Bubo*, pœnæ nuncius: & ipſe ab Angelo, (bono, *Cornel. à Lapid. in Act.* XII. vel malo, *Lorin. in Act.* XII.) percuſſus, ſummíſqve doloribus differtus, *qvintô die*, à qvo hominem ſe fuerat oblitus, homo (ſaltem vivus,) eſſe deſiit. *Joſeph. Ant.* XIX. *c.* VII. *Suid. in Lex. Phot. Bibliothec. codic.* 238. *p. m.* 975. Lucas, qvi aliud negotium actum *Cæſareæ*, refert, *Act.* XII. 20. *ſeq.* addit eum σκωληκόβρωτον deceſſiſſe, ſeu *à vermibus eroſum.* De qvo nihil *Flavius.* Fortè ex qvadam in *Regem* reverentia. *Cornel. à Lap. cit. loc.* aut qvòd hæc eſſent πᾶσι δὲ ὄχλῳ. Qvâ cauſsâ etiam fœda tacuit Neronis. ἁλώς. II. *c.* XI. Obiit *Agrippa*, annô ætatis LIV. Regni autem, à donata Tetrarchia Philippi ſub Cajo, VII. *Ant. loc. cit. Bell.* II. *c.* X. *Euſeb. Chronic. Scalig. p.* 160. *Phot. & Hegeſipp. loc. cit.* Tzemach David, *part.* I. 4. *millen. ad ann.* 781. ita inqvit: אגריפס בן אריסתובלוס הנתלה בן הורדוס הראשאן המלך הרביעי לבית הורדוס וגו׳: *Agrippa filii Ariſtobuli ſuſpenſi, filii Herodis Primi, fuit qvartus è ſtirpe Herodis.* Poſt mortem ejus, regnum fuit in provinciam redactum. *Ant.* XIX. *c.* VII. *Bell.* II. *c.* XI. Ut errent Euſebius, *Chronic. loc. cit.* & Hegeſippus, *Excid.* II. *c* V. cùm Agrippæ dicunt, filium ſubſtitutum. Sed & Tacitus, *Annal.* XII. XXIII. 2. qvi regnum, Syriæ adjectum ſcribit: *Ituræi*, inqvit, *& Judæi, defunctis Regibus Sohemô atqve Agrippâ provinciæ Syriæ additi ſunt.* Niſi intelligit ἐπιτρόπους eò miſſos, *Syriæ Præfectis* ſubditos, iiſqve paruiſſe. Error gravior eſt, qvòd ea pòſt *c.* V. I. referat in Conſulatum *C. Pompeji & Q. Veranii*, id eſt: *annum Claudii* IX. cùm conſtet

Agrippam deceſſiſſe paullò poſt annum Claudii III. *Joſeph. Ant.* XIX. *c.* VII. Redeo ad Agrippam: cui mobile vulgus *Cæſareenſium* & *Sebàſtenorum*, malam indignámqve gratiam rependit: dum non ſolùm ſuper morte ejus tanqvàm in re feſta exultaverit; ſed & mortuum inceſſens conviciis, *filiarum ejus ſtatuas* in lupanaribus fœdè indignéqve exercuerit. *Ant. loc. cit.* Qvò magis devitandus Photius, *Biblioth. cod.* 238. *p. m.* 975. qvi pro *ſtatuis*, *filias* ſupponit. *Poſt mortem ejus*, inqvit, *Sebaſteni tres ejus filias vi in lupanaria abſtraxerunt, & omnem in illas injuriam, fandam atqve infandam, exercuerunt.* (πᾶσαν αὐταῖς ὕβριν, ῥητὴν καὶ ἄρρητον ἐπεδείξαντο.)

Ceterùm, in hac tota Hiſtoria, maximè illud grave eſt & memorabile, qvòd *Agrippa* qvondam ſimili fuerit ſcommate exceptus, qvô Judæi ante qvinqvennium, vero æternóqve Regi, *Jeſu Chriſto* illuſiſſent. Nam in ejus ad regnum venientis ludibrium, *Alexandrini* qvemdam *Carabam*, (pro qvo Alii, ut *Math.* XXVII. 16. 17. *Marc.* XV. 7. 11. *Luc.* XXIII. 18. *Joh.* XIIX. 40. legunt *Barabbam.*) protractum in publicum, & Regiô more, coronâ ex papyro, ſceptrô ex arundine, paludamentô ex ſtorea, hiſtrionicè ornatum, (prorſus ſicut Judæi Chriſtum,) cum riſu & ſannis ſcurriliter tractabant, & *Marin*, id eſt: *Dominum*, adpellabant. Philo *in Flaccum, p. m.* 751. inqvit: ἦν τις μεμηνὼς ὄνομα Καραβᾶς, οὐ τὴν ἀγρίαν καὶ θηριώδη μανίαν· ἄσκηπτος γὰρ αὕτη γε, καὶ τοῖς ἔχουσι, καὶ τοῖς πλησιάζουσιν: ἀλλὰ τὴν ἀνειμένην καὶ μαλακωτέραν. οὗτος διημέρευε καὶ διενυκτέρευε γυμνὸς ἐν ταῖς ὁδοῖς, οὔτε θάλπος οὔτε κρυμὸν ἐκτρεπόμενος, ἄθυρμα νηπίων καὶ μειρακίων σχολαζόντων. συνελάσαντες τὸν ἄθλιον ἄχρι τοῦ γυμνασίου, καὶ στήσαντες

τες μετέωρον, ἵνα καθορῷτο πρὸς πάντων, βύβλον μὲν εὐρύναντες ἀντὶ διαδήματος ἐπιτιθέασιν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ, χαμαιστρώτῳ δὲ τὸ ἄλλο σῶμα περιβάλλουσιν ἀντὶ χλαμύδος, ἀντὶ δὲ σκήπτρου βραχύ τι παπύρου τμῆμα τοῦ ἐγχωρίου καθ' ὁδὸν ἐρριμμένον ἰδών τις ἀναδίδωσιν. Ἐπεὶ δὲ ὡς ἐν θεατρικοῖς μίμοις τὰ παράσημα τῆς βασιλείας ἀνειλήφει, καὶ διεκεκόσμητο εἰς βασιλέα, νεανίαι ῥάβδους ἐπὶ τῶν ὤμων φέροντες ἀντὶ λογχοφόρων ἑκατέρωθεν εἱστήκεσαν, μιμούμενοι δορυφόρους· εἶθ' ἕτεροι προσῄεσαν, οἱ μὲν ὡς ἀσπασόμενοι, οἱ δὲ ὡς δικασόμενοι, οἱ δ' ὡς ἐντευξόμενοι περὶ κοινῶν πραγμάτων· εἶτ' ἐκ περιεστῶτος ἐν κύκλῳ πλήθους ἐξήχει βοή τις ἄτοπος Μάρειν ἀποκαλούντων: οὕτως δέ φασιν τὸν κύριον ὀνομάζεσθαι παρὰ Σύροις. ᾔδεσαν γὰρ Ἀγρίππαν καὶ γένει Σύρον, καὶ Συρίας μεγάλην ἀποτομὴν ἔχοντα, ἧς ἐβασίλευε. Hæc *Philo*. Sed qvid sibi volet Epiphanius, *adv. vers. hæres. lib.* I. *n.* 2. *p. m.* 48. ὀκτωκαιδεκάτῳ δὲ, inqvit, ἡρώδου τοῦ ἐπικληθέντος Ἀγρίππου, τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς τοῦ κηρύγματος &c. An ergo Christus prædicavit sub *Agrippa*, aut hic annos præfuit XIIX? Minimè gentium. Debet ergo pro Ἀγρίππου, legi Ἀντίπου. Nam hunc in animo fuisse *Epiphanio*, constat inde, qvòd, cùm suprà dixisset, *Annum Christi* XIII. *esse Herodis Agrippæ* I. infrà subdat Christum passum *annò ætatis* XXXIII. ἐν τῷ εἰκοστῷ ἔτει τοῦ ἡρώδου τοῦ τετράρχου καλουμένου. Qvòd si ergò XX. Herodis Tetrarchæ anni, addantur annis Christi XIII. fient pro ætate Christi, *anni tres & triginta*; qvorum XIII. erit, non *Agrippæ*; sed *Antipæ*, I. Et sic etiam sub *Antipa* Christus prædicaverit. Locum hunc ita legit Montacutius, *Appar.*

par. v. *Num* 74. *p. m.* 191. *In crucem agitur Servator ad annum Tiberii Cæsaris* XVIII. *Erat ille annus vicesimus Agrippæ, vocati Magni; Herodis Junioris filii Archelai.* Sed nihil tale in *Petavii* editione. Qvamqvàm *Petavio* rectè tamen dixit Montacutius: *qvòd locum non sanaverit, uti nec alia sexcenta, magnô conatu nihil magnum præstans in Epiphanium &c.* Sphalma certè manu eguit. Neqve Doctor Temporum *Petavius*, aliqvid monuit ad *Chronologiam*: qvæ & illa certè falsa est. Nam cum Christus, XV. *Tiberii* cœpit ministrare, juxtà *Lucam*: utiqve malè supponit Epiphanius, *Antipam Tiberiô* anteriorem saltem in *triennio.*

Porrò: ex suprà dictis intelligitur, qvàm malè, non modò *Agrippa* dicitur Herodis M. spurius: *Schott. in indic. ad Phot. voc. Agrip.* aut Antipæ filius: *Galatin. in arcan. Cathol. verit. lib.* III. *c.* VI. Sed & Casaubonus, *Exercit.* I. *p. m.* 22. neget Agrippam Judæorum κυρίως λεγομένων fuisse Regem. Nam qvi κυριολέκτως possunt dici *Judæi*, qvàm qvi in *Judæa* habitabant? Qvibus certè *Agrippam* imperâsse manifestum est. Alias, *vox Judæus*, triplicem habet significationem. *Primò*: Pro eo qvi origine talis est, & inde deficit. Uti Apostatæ, Tiberius Alexander, *Ant.* XX. *c.* III. & alii, *Ant.* XII. *c.* VII. *Secundò*: Pro Proselyto, qvi religione tantùm & non ortu est Judæus. *Proselytô* inqvam, tam *Justitiæ*, qvi ad circumcisionem & totam Legem tenebatur; qvàm fortassis etiam *Inqvilinô*, qvi non admissus Hierosolymam nisi in anno Jubilæo, obligabatur saltem ad Sacrificium & Præcepta filiorum Noæ. Gen. IX. 3. 4. 5. 6. *Majemanid. tract. de Regib. & in Jebumve Chalitsah. ex Isure biah. c.* XIV. ita Idumæi ab Hircani tempore *Judæi* dicti. *Ant.* XIII. *c.* XVII. &

sic etiam Herodes Ascalonita, ἐπιχώριος. *Strab. Geogr.* XVI. qvin τὸ γένος Ἰουδαῖος. *Ant.* XX. *c.* VI. *Hegesipp. Excid.* II. *c.* VIII. Dixi *fortassis*, id est: dubiè de *Proselytis inqvilinis*. Invenio enim responsum de *Samaritanis*, qvòd non essent *Judæi*. *Ant.* XI. *c.* VIII. Nempe, qvòd plenè *cultus Judaicos* non fuerint professi. Homines enim omnium horarum ita fluctuaverant, ut simul & *Deum* & *idola* venerati sint. 2 *Reg.* XVII. 32. 33. Gentilium adhæc matrimonia amplexi sint: Et Judæis cùm esset benè, pro Judæis; cùm malè autem, pro Persarum cognatis & colonis sese declaraverint: *Templum* suum *Garizimitanum* impudenter in *Templum Jovis Ethnici* transformantes. *Ant.* XI. *c.* IV. VIII. & XII. *c.* VII. Sunt qvi dicunt, eos *solam Legem*, (*Prophetis* & *Hagiographis* repudiatis) agnovisse. *Cunæ. Rep. Hebr. lib.* II. *c.* XVI. *Morin. in Exerc. eccles. L'Empereur in annot. ad Remp. Judaic. p. m.* 434. *Scalig. passim.* Insimulatos etiam cultus columbæ in monte repertæ. R. Azarias *in meor Enajim f.* 90. inqvit: ובגלל כל הדברים האלה
קרוב בעיני להאמין שהכותיים אשר הושיב מלך אשור ובבל
בשומרון לאות ולעד על הכנעם באהבה אל מלכם הוא
אשר אות דגלו יונה חבבו אותה והקימוה ליראתם בראש
הר גריזים אשר עם שכם ראש ממלכת שומרון בימים ההם: Et *propter hæc omnia*, inqvit, *videtur mihi credendum, Cuthæos, qvos Rex Assyriæ & Babyloniæ collocavit in Samaria, in signum & testimonium qvod ex amore se submitterent isti regi suo, cujus tesseræ insigne erat columba, eam dilexisse, atqve in venerationem constituisse in cacumine montis Gerizim, qvi Scichemo adjacet, metropoli in regno Samaritano illis diebus.* Hæc ille. Qvâ culpâ si *Samaritæ* non fuerint *Judæi*, nescio etiam & dubito de *inqvilinis*. *Tertiò*, sumitur *Judæus* pro eo, qvi & origine & religione talis est. Idqve tum *angu-*

gustiùs: prout tres tribus, Judæ, Levi, & Benjamin primò dicti Judæi, *Ant.* XI. *c.* V. I. (denominatione ortâ à validori:) tum *latissimè*, pro omnibus aliis super totum Orbem. φέρεϛ γὰρ ἡ ἐπίκλησις καὶ ἐπὶ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, ὅσοι τὰ νόμιμα αὐτῶν καίπερ ἀλλοεθνεῖς ὄντες, ζηλοῦσι. *Gerunt & alii homines nomen id, qvi secundum eorum statuta vivunt, qvamqvàm alienigenæ. Dio, Hist. Rom.* XXXVII. *p.* 37. B. Juvat hæc meminisse contra *Scaligerum* & *Cunæum*. Qværitur enim *an Herodes Idumæus, fuerit ἀλλόφυλος?* Affirmant cum Eusebio, *Hist. Eccles* I. *c.* VI *& in Chron.* plurimi. *Epiphan lib.* I. *adv. hæres. Tom.* II. *p. m.* 118. *Augustin. lib.* XVIII. *de civit. Dei, c.* XLV. *extr. Phot. Biblioth. codic.* 238. *&c.* Scaliger, *animadv. p.* 148. 159. 259. *& Casaubon. Exercit.* I. post *Torniellum*, negant. Ratio ipsis præcipua est: qvòd Herodes Patre natus proselytô; & qvòd *Idumæi* jam inde ab Hircani tempore pro *Judæis* fuerint habiti. Unde sic argumentatur *Scaliger*: *Nulli Judæi erant alenigenæ: Idumæi ab annis* XC. *sive ab Hircano, erant* Judai; (per *Ant.* XIII. *c.* XVII.) *Ergò.* Sed hæc hasta, stipula est. Nam *Idumæi* non erant *propriè Judæi*; sed tales, qvi vel ἐπιχώριοι seu nati in Judæa, erant *alienigenæ*. *Propriè* enim *Judæi* nonnisi qvi tales *origine*, id est: *Jacobitæ* essent. Unde in argumento Scaligeri, *Major* procedit de *Judæis primæ* & *tertiæ significationis*, non *secundæ*. Certè si Herodes *propriè* fuisset *Judæus*, non opus habuisset *Libros Genealogicos* incendere. *Euseb. Hist.* I. *c.* VII. *Hieron. lib.* III. *in Luc.* (Neqve enim hoc opus trahere in dubium: qvasi absqve tabulis Genealogicis descriptio Qviriniana, *Luc.* II. I. *s.* juxta genus singulorum non potuisset fieri. *Alting. in Schil. lib.* IV. *c.* II. *p. m.* 212. Nam potuit sufficere *singulorum professio*: atqve ideò ἀπογραφή, xqvè

æqvè peragi in Juda ſine *accuratis Genealogiis*, ac fuit peracta in populo Romano; cujus cenſus ter actus, *Sveton. in Auguſt. c.* XXVII ac in Italia. *Dio*, *Hiſt. Hiſt.* LII. LIII. LV. LVI. Syriâ. *Joſeph. Ant.* XVII. *c.* XV. imò ſuper totum Orbem. *Luc.* II. I.) Nimis tamen acris eſt Montacutius, *Appar.* V. *Num.* 32. cum ad crimen monitum *Scaligeri* ſic commovetur: *Vir* inqvit, *ſummæ & multiplicis eruditionis Joſephus Scaliger, in animadverſionibus Euſebianis, alienigenam negat &c. qvod ipſi ſolemne eſt, ut antiqvos qvoſvis Patres & Scriptores petulanter inceſſat & protervè; & contumeliosè jactet* τὸν τοῦ παμφίλου. *Sed fruatur ille geniô & ingeniô ſuô, nimis ubiqve luxuriante.* Hæc ille. Qvô non multùm æqvior *Grotius*, qvamqvàm aliunde: *Duo* inqvit, *Scaligeri, multa ſcripſerunt docta, pauca moderata.* Qværitur deinde: *An judæi extra Palæſtinam aut trans-euphratenſes, poſt captivitatem nonniſi Iſraëlitæ dicti ſunt? aut ſi Judæi, an nomen à reliqvis in Judæa acceperunt?* Cunæus, *de rep. Hebr. lib.* I. *c.* 2. *p. m.* 69. 70. (al. 62. 63.) negat. Qvippe, *Iſraëlitas per Colchos, Parthos, Indos, atqve Æthiopes, diſperſos, in republica Judæorum eſſe, aut nominis honorem ab illis accipere non potuiſſe, qvi cum Judæis nullum uſum, nullámqve conſvetudinem habebant: procul diverſo orbe ſiti, & aliud cælum, alia intuentes Sydera. Erráſſe enim Euſebium, dum lib.* VIII. *demonſtr. Euang.* I. *unam tribum Judæ, ſcribit toti genti nomen impertiiſſe &c.* Atqvi verò inqvam Ego: ut certiſſimum, *Tribum Juda*, qvæ cum *Levi* & *Benjamin*, prima in patriam rediit ſub Cyro, *Ant.* XI. *c.* I. nomen tum dediſſe *Palæſtinæ*: [ἐκλήθησαν δὲ τὸ ὄνομα ἐξ ἧς ἡμέρας ἀνέβησαν ἐκ Βαβυλῶνος, ἀπὸ τῆς Ἰούδα φυλῆς, ἧς πρώτης ἐλθούσης εἰς ἐκείνους τοὺς τόπους, αὐτοί τε καὶ ἡ χώρα τῆς προσηγορίας αὐτῆς μετέλαβον. Id eſt: Judæorum *adpellatio tùm primùm illis*

illis & regioni est indita, qvando à Babyloniâ sunt reversi, qvia Judæ tribus jam olim ea loca occupaverat: Joseph. Ant. XI. *c.* V. circa fin.] ita paullatim & *reliqvos Hebræos*, cujuscúmqve essent cæli aut climatis, nomen inde accepisse planum est. Fuerunt enim certè & *Trans-euphratenses*, dicti *Judæi*. Ananelus Pontifex, οὐκ ἐπιχώριος, ἀλλὰ τῶν ὑπὲρ Εὐφράτην ἀπῳκισμένων Ἰουδαίων. Id est; *peregrini generis, utpote natus è Judæis olim ultra Euphratem traductis. Ant.* XV. *c.* III. princip. ita & *Zamaris* Babylonius, *Judæus*: etsi *Euphrate* trajectô venerat. Prout & alii, qvi religionis caussâ *Babylone* accedebant Hierosolymam. *Ant.* XVII. *c.* II. imò *Hebræi*, super totam Asiam, *Judæi* adpellantur. *Ant.* XVI. *c.* V. Qvòd si ergo dicti *Judæi*, unde qvæso nomen acceperunt, si non ab iis, qvi hoc habuerunt, nempe *Israëlitis in Judæa*? maximè postqvàm *Judæi* qvotidiè tot ubiqve mitterent *colonias*; qvæ haud dubiè *ultra Euphratem* nomen secum ex Judæa tulerant. *Agrippa*, in literis ad Cajum, *apud Philon. in legat. p. m.* 799. post enarratas Judæorum missas colonias in *Ægyptum*, *Syriam*, *Græciam &c.* etiam dicit de *Trans-Euphratensibus*: οὐ μόνον αἱ ἄπειροι μεσταὶ τῶν Ἰουδαϊκῶν ἀποικιῶν εἰσιν, ἀλλὰ καὶ νήσων αἱ δοκιμώταται, Εὔβοια, Κύπρος, Κρήτη· καὶ σιωπῶ τὰς πέραν Εὐφράτου. πᾶσαι γὰρ ἔξω μέρους βραχέος Βαβυλῶνος καὶ τῶν ἄλλων σατραπειῶν, αἱ ἀρετῶσαν ἔχουσι τὴν ἐν κύκλῳ γῆν Ἰουδαίους ἔχουσιν οἰκήτορας. Et hæc contra *Cunæum*. Agrippa *Jacobum* gladiô sustulit: *Act.* XII. 2. qvod paucis explicandum. In Ecclesia primitiva, multi fuerunt *Jacobi*. [πολλοὶ Ἰάκωβοι ἐκαλοῦντο.] *Euseb. Hist. Eccles.* II. *c.* XXII. *Hegesipp. apud Hieron. in Catal. Script. in Jacob. Qvatuor* tamen ex Scriptura demonstrari possunt: nempe [1.] Jacobus Jo-

sephi, Frater Domini de qvo plura *Num.* 70. [2.] Jacobus Alphæi, *Math.* x. 3. *Marc.* III. 18. *Luc.* VI. 14. *Act.* I. 13. autor Epistolæ catholicæ Jacobi, & frater Judæ. *Luc.* VI. 14. *Act.* I. 13. *Jud.* v. 1. [3.] Jacobus *Zebedæi.* & [4.] Jacobus *Cleophæ*, seu parvus, cui mater *Maria*, soror Mariæ Deiparæ, & frater Jose. *Marc.* XV. 40. *Math.* XXVII 46. *collat. cum Joh.* XIX. 25. Ex his solus *ultimus*, obscurus; (fortassis tamen fuit ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα. *Luc.* X. 1. *conf.* 1. *Cor.* XV. 6.) *Primus*, Episcopus: & *duo medii*, Apostoli. Hujus autem instituti est saltem ille *Jacobus*, qvem *Agrippa* interfecit; hoc est, *Zebedæi.* Et illi qvidem mater, Salome. *Marc.* XV. 40. *collat. cum Math.* XXVII. 56. Soror Josephi nutritii Salvatoris; ut jam olim creditum: & Frater; *Johannes. Marc.* III. 17. & v. 37. *Act.* XII. 2. Qvos fratres, Piscatores, & cum patre *Zebedæo* sarcientes retia Christus transiens assumpsit in Apostolos. *Marc.* I. 19. 20. noménqve iis *Boanergæ*, (tonitrui filiorum) indidit. *Marc.* III. 17. Adparet, Christum hos *fratres Zebedæos*, juxta cum *Petro*, singulariter dilexisse, qvòd eos præ aliis in rebus maximè seriis adsciverit, velut ad transformationem in monte. *Math.* XVII. 1. *Marc.* IX. 2. *Luc.* IX. 28. ad mortuæ resuscitationem. *Marc.* V. 37. imò, in ipso mortis agone. *Math.* XXVI. 37. *Marc.* XIV. 33. ut *Johannes* etiam in pectus Christi sub cœna receptus, dictúsqve præ aliis Discipulus ὃν ἠγάπα. *Joh.* XXI. 24. *collat. cum Joh.* XIII. 23. & XXI. 20. Ex qvibus & aliis tam certi & teneri amoris indiciis, *mater Zebedæorum* haud dubiè cepit fiduciam postulandi, ut filii Christo à dextris & sinistris essent. *Math.* XX. 20. *seq.* Marcus, *c.* X. *v.* 35. *s.* narrat hoc de *ipsis Zebedæis.* Qvomodò *Jacobus* ductus ad supplicium, κατήγορον

suum

suum ad fidem converterit, narrat Suidas, *Lexic. in Herod.* τὸν δὲ Ἰάκωβον, inqvit, *ἰδὼν ἀπαγόμενον εἰς θάνατον ὁ κατήγορος αὐτοῦ, καὶ μεταμεληθεὶς προσέπεσε τοῖς ποσὶ τοῦ Ἀποστόλου λέγων. συγχώρησόν μοι ἄνθρωπε τοῦ θεοῦ, ὅτι μεταμεμέλημαι ἐφ' οἷς ἐλάλησα κατὰ σοῦ. ὁ δὲ μακάριος παραυτίκα αὐτὸν καταφιλήσας εἶπεν αὐτῷ, εἰρήνη σοι τέκνον, εἰρήνη σοι, καὶ συγχώρησις τοῦ πταίσματος. ὁ δὲ μετὰ φωνῆς μεγάλης εὐθέως χριστιανὸν ἑαυτὸν ἐπὶ πάντων ἀνηγόρευσεν, ὡς καὶ τὸ τοῦ μαρτυρίου βραβεῖον ἀπενέγκασθαι.* Acris controversia est : An Jacobus *prædicârit in Hispania* ? Qvam contentiosè defendit Sanctius, *Disput. de Prædicat. S. Jacob. in Hisp. tract.* I. & 2. (pro qvo etiam contra Lorinum, *in Act.* XII. 20. ex parte disputat *Cornelius à Lapid. in Act.* XII.) crevítqve in tantum illa superstitio, ut *Episcopus Compostellanus*, in Gallicia, à jurisdictione *Archipræsulis Toletani* se retraxerit, *qvòd in sua Ecclesia Jacobus primò prædicaverit Euangelium, & Jacobi corpus reqviescat &c.* At *Jacobum Compostellæ reqviescere* falsum est, ut qvi vitam clausit Hierosolymis: *Prædicâsse* autem *in Hispania*, incertum. Nam Testimonia qvæ pro illo *Sanctius* adducit, *supposititia*, *suspecta*, *aliena*, *aut recentia* sunt. *Supposititia* sunt testimonia producta ex Hippolito, *Opusc. de* XII. *Apost.* ostendente *Rivetô*, *Critic. lib* II. *c.* XI. aut Turpino Rhemensi : uti probat Possevin. *in Apparat. p.* 497. aut officio Mosarabico: Nam officia hæc seu Liturgias, additionibus auctas vel ex ipsis probat Pontificiis *Rivetus*, *Critic. lib.* I. *c.* III. *Suspecta* sunt testimonia, Isidori *de vit. Sanct. c.* VII. Juliani Toletani, Lucii Dextri &c. Scriptorum Hispanorum; qvi in caussa propria testari neqveunt: præterqvàm qvod recen-

cen-

centiores sint. *Aliena* sunt testimonia *Hieronymi*, *Anastasii*, *Venantii*, *&* *Laminarum*. Nam Hieronymus, *in Esa.* XXXIV. inqvit: *Spiritus S. divisit Apostolos, ut aliqvi ad Indos, aliqvi ad Hispaniam, aliqvi ad illyricum, aliqvi ad Græciam pergerent.* Ubi nihil de *Jacobo*. Anastasius Antiochenus, *de Essent. Dei & Eccles. stat.* perhibetur dicere: Jacobum in occidentem profectum, & in civitate Andeath, miraculis editis, multos convertisse. At num ideo *Andeath* Hispania, aut urbs Hispaniæ? Hispania Arabibus dici solet *Andalus*. Deinde: fragmentum illud *Anastasii* adhuc latet: & verba ex Arabico translata tantùm allegantur. Nam *Bartholomæus Laurentius*, & *Stephanus*, qvi se Librum Romæ vidisse gloriantur, Hispani & suspecti sunt. Venantius de *Jacobo* dicit: *Gentiles docet hic, Judæos increpat idem.* Sed *Gentiles* illi non statim sunt *Hispani*? Laminæ Granatenses, plumbeæ, inventæ ut ferunt, Ann. 1595. in valle paradisi, memorant: *latere in monte Corpora qvædam combusta Sanctorum, qvi Jacobi fuerant discipuli &c.* Sed an qvò venerunt *discipuli Jacobi*, eo mox venerat *Jacobus ipse*? *Recentia* sunt testimonia *Bedæ*, & *aliorum ex seculo* VIII. aut Pontificum post hoc: ut *Calixti* II. *Innocent.* II. *Pii* V. *& Clem.* VIII. qvæ in re tam Antiqva nihil habent ponderis. Somnia & apparitiones studiô prætermittimus. Certè cùm *Rodericus Ximenius*, in Concilio Lateranensi, ex manuscripto qvodam Bibliothecæ Toletanæ, ita intercederet: *Ego tantùm legi Jacobo datam fuisse potestatem prædicandi in Hispania; sed interim dum per Judæam & Samariam divinam legem seminat, sub Herode Hierosolymis exhalavit animam, & domino reddidit &c. Compostellanus* obmutuisse dicitur.

In nomine autem *Agrippæ* si qvis volet deliciari, oritur illud ab *ægritudine*, & *pedibus*. Gellius, *Noct.*

Noct. Atticar. XVI. *c.* XVI. inqvit: *Qvorum in nascendo, non caput, sed pedes primi exstiterant, (qvi partus difficilimus ægerrimúsqve habetur) Agrippæ appellati ab ægritudine & pedibus.* Plinius, *Hist nat.* VII. *c.* VIII. *In pedes*, inqvit, *procedere nascentem contra naturam est: qvô argumentô eos adpellavêre Agrippas, ut ægrè partos &c.* Similia habent *Nonius c.* IX. * *Festus, Marcell Qvintil. lib.* XIX. *Carolus Sigon. de Nomin. Roman. &c.* Nomen habuit Rex *Agrippa*, à *M. Agrippa*, Herodi amicissimo. *Ant.* XV. *c.* XIII. *Bell.* I. *c.* XV. *Philo, in Legat ad Caj. p. m.* 799. Qvi fuit *Augusti* gener, & infelix. Ut inversô partu nihil ipsi boni designatum, teste Pliniô, *loc. cit Multas*, inqvit, *corporis animíqve ægritudines habuit. Nam fuit adversâ pedum valetudine, miserâ juventâ, exercitô ævô inter arma mortésqve, ad noxia successu, infelici terris stirpe omni: Sed per utrasqve Agrippinas maximè: Harum enim una genuit C. Caligulam Cæsarem: altera Neronem, totidem faces generis humani. Præterea, brevitate ævi,* LI *raptus annô, in tormentis adulteriorum conjugis, Soceríqve prægravi servitiô, luisse augurium præposteri natalis existimatur.* Confer *Sveton. in August. c.* LXIII. LXIV. LXV.

64. HERODIAS.) Hanc, filiam non *Aretæ* Regis Arabum, ut fabulatur Hieronymus *in Math.* XIV. sed Aristobuli: Herodes Tetrarcha visam apud fratrem *Herodem*, cùm ad eum in itinere versus Romam, divertisset, contra Leges toro junxit: maritô legitimô adhuc vivô, (frustra negante Augustinô, *Tom.* IV. *Oper. lib. de fid. & Oper.*) raptam.

* p. m. 270. edit. Paris. M. D. XXCIII. in 8t. *Agrippæ*, inqvit, *qvi cum labore matris eduntur, h. e. per pedes contra naturam, non per caput, qvasi ab ægro partu.*

ptam. *Joseph. Ant.* XIIX. *c.* VII. *Euseb. Hist. Eccles.* I. *c.* II. *Hegesipp. Excid.* II. *c.* V. XI. Interjectô aliqvô tempore, cùm Antipas *Johannem* in aulam advocâsset, eum qvidem *adulter Herodes* in aliis audivit, eíqve obseqvutus fuit: sed cùm *Herodiadis* etiam fecisset mentionem; monens fratris uxorem haud esse licitam, qvin & audientibus omnibus *Herodem* sententiâ pronunciatâ condemnâsset; *teste Chrysost. apud Magdeb. cent.* I. *lib.* I. *c.* III. offensa *Herodias* incitat maritum, * ut *Johannem* carcere coërceret, qvin & interficeret. Et ad prius qvidem *Herodes* consensit, exoratus ab Uxore: ad ultimum autem adhuc qvidem non potuit induci: *partim* suâ in virum reverentiâ, *partim* etiam metu populi, qvi mortem illius tamqvàm viri sancti & Prophetæ inultam haud passurus videbatur. Itaqve *Herodias* presśô ad tempus odiô, majorem opportunitatem præstolatur: qvæ ei tandem in *Natalitiis Herodis* exoptata obtigit per *Filiam. Marc.* VI. 17. *s. Math.* XIV. 3. *s. Hegesipp.* II. *c.* V. Hieronymus, *in Rufin. apolog.* auctor est: Herodiadem præciso capiti Johannis insultâsse, & lingvam ejus acu perfodisse. Additqve Nicephorus, *Hist. Eccles.* I. *c.* XIX. qvòd scelerum qvasi conscientiâ exstimulata, Johannem etiam mortuum timuerit, & ausa non fuerit caput ejus cum trunco conjungere; sed caput clam in abstrusiore aulæ parte defoderit, truncum autem aliò abjecerit; qvem Discipuli ejus furtim sublatum in loco qvodam celebri sepeliverunt. Ἐκείνη, inqvit, τοὺς ἐλέγχους ὡσανεὶ καὶ μετὰ τὴν σφαγὴν ὑποειδομένη τοῦ Ἰωάννου, συνάπτειν μὲν ταύτην, καὶ αὖθις τῷ λοιπῷ σώματι ἐδεδίει: παρ᾽ ἑαυτῇ δὲ κατορύττειν ἀτύλως ἔν τινι παραβύστῳ τόπῳ τῶν βασιλείων ἔκρινε δεῖν· τὸ δὲ λοιπὸν σῶμα ἔξω που ἐῤῥίπτειν διεκελεύετο. ὃ δὴ καὶ οἱ μαθηταὶ μόνον κλοπῇ περιστείλαντες, σεμνῶς

* Vide suprà p. 396. 397. 398. s. hoc in Fasce.

μνῶς ὑπό ἐκείνοις ἐπισήμῳ τόπῳ κατέθετο Hactenus *Nicephorus.* Qvi cùm dicit de τόπῳ ἐπισήμῳ, Hieronymus, *Epist.* XXVII. ait fuisse *Samariam*: prout illic etiam *sepulchrum* ejus apertum posteà, refert *Theodoretus.* Erat enim *Samaria*, (Herodi *Sebaste*, *Ant.* XIII. *c.* XVIII. *& lib.* XV. *c.* XI.) non modò extrà *Herodiadis* imperium; sed & genti Judæorum infensissima. οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι σαμαρείταις. *Joh.* IV. 9. confer *Joh.* VIII. 48. *Luc.* IX. 52. 53. *Jos. Ant.* XI. *c.* IV. VIII. *& lib.* XIII. *c.* VI. Ut ibi aliqva spes esse potuisset, viri sancti manes non turbatum iri. Qvamqvàm seculis aliqvot posteà sub *Juliano*, ossa ejus à Paganis violata, & cineres abjectos dispersósqve constet. ἐν σεβάστῃ, inqvit Theodoretus, *Hist. Eccles.* III. *c.* VI. ἡ καὶ αὕτη εἰς προειρημένον ἔθνος τελεῖ, Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ τὴν θήκην ἀνέωξαν. πυρί τε παρέδοσαν τὰ ὀστᾶ, καὶ τὴν κόνιν ἐσκέδασαν. Sed *Herodiadis* fœda & atrocia facinora, Divinæ nemesis pœna mox seqvuta fuit. Nam cùm ad *Cajum* cum marito profecta esset, ut *fratrem Agrippam*, super cujus fortuna καιρίαν πληγὴν ex invidia acceperat, *Phot. Bibliothec. cod.* 238.) judiciô postulatum gradu dejiceret, *Cajus* Agrippæ & æqvitati faventior, *Herodem* qvidem misit in exilium; *Herodiadi* autem, (in gratiam *Agrippæ*, cujus eam Sororem esse intelligeret,) bona ejus obtulit. Qvæ cùm illa temerè contemneret, addens non esse æqvum, ut maritum cui in prosperis adhæserat, desereret in adversis; offensus *Cajus*, ire & eam jussit in exilium. *Ant.* XIIX. *c.* IX. *Phot. loc. cit.* Ut tandem in *Hispania* decesserit. *Bell. jud.* XI. *c.* VIII. *Hegesipp. Excid.* II. *c.* V. Nicephorus, *Hist. Eccles.* I. *c.* XX. dicit eam longiùs vixisse, & tandem post filiæ saltatricis fata, & ipsam exstinctam, futuri seculi judiciis reservatam: ἡ μαινὰς μὲν οὖν, inqvit, καὶ μοιχαλὶς ἐκείνη, καὶ τὸ δοκοῦν μὲν ἡρώδου, φιλίππου δὲ τοῦ ἀλη-

ἀληθείας γυνὴ, μήκιστον μὲν βίου διηνηκυῖα, πικρῷ δὲ μόρῳ τὴν θυγατέρα καὶ ὀρχηστρίδα τὸν βίον καταλύσασαν πρότερον καλιδοῦσα, εἶτα καὶ αὐτὴ κατέρρηξε τὴν ζωὴν, τοῖς ἐκεῖσε δικαιωτηρίοις ταμιευομένη. ἄκρατον ὅσον πιομένη τὴν τῆς ὀργῆς κυρίου τρυγίαν, καὶ τὸ κόνδυ τοῦ ἀστεάτου ἐκείνου θυμοῦ. Reliqva hujus loci qvæ possent esse præripuit *Numer.* 34. & 37. Ad qvem Lector velit remitti. Nam eamdem & sæpiùs coctam crambem piget apponere. Unum tamen lubet adjicere de *Capite Johannis*: qvod seorsim à trunco repertum sub *Valente*, & portandum hujus jussu *Constantinopolin*, cùm ad *vicum Chalcedonis Colaum* pervenisset, mulis stantibus non potuit promoveri, priusqvàm illud *Theodosius Imperator* purpurâ suâ tandem transferret, & *Templum* ei proprium dicaret. Narrat Sozomenus, *Histor. Eccles.* VII. c. XXI. ὑπὸ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον, inqvit, διεκομίσθη εἰς κωνσταντίνου πόλιν ἡ Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ κεφαλὴ, ἣν ἡρωδιὰς ᾐτήσατο παρὰ ἡρώδου τοῦ Τετράρχου. λέγεται δὲ εὑρεθῆναι παρὰ ἀνδράσι μοναχοῖς τῆς Μακεδονίου αἱρέσεως, οἳ τὰ μὲν πρῶτα ἐν Ἱεροσολύμοις διέτριβον. ὕστερον δὲ εἰς κιλικίαν μετῳκίσθησαν. ἐπὶ δὲ τῆς πρὸ ταύτης ἡγεμονίας μαρδονίου μηνύσαντος, ὃς τῆς βασιλικῆς οἰκίας μείζων ἦν εὐνοῦχος, προσέταξεν οὐάλης εἰς κωνσταντίνου πόλιν αὐτὴν κομισθῆναι. καὶ οἱ μὲν ἐπὶ τοῦτο ἀποσταλέντες, ἐπιθέντες ὀχήματι δημοσίῳ, ἦγον. ὡς δὲ εἰς τὸ παντείχιον ἧκον, χωρίον δὲ τοῦτο χαλκηδόνος, οὐκέτι προσωτέρω βαδίζειν ἠνείχοντο αἱ τὸ ὄχημα καθέλκουσαι ἡμίονοι, καὶ ταῦτα τῶν ἱπποκόμων ἐπαπειλούντων, καὶ τοῦ ἡνιόχου χαλεπῶς τῇ μάστιγι κεντοῦντος. ὡς δὲ οὐδὲν ἤνυον, ἐδόκει δὲ πᾶσι καὶ αὐτῷ τῷ βασιλεῖ παράδοξον εἶναι καὶ θεῖον τὸ πρᾶγμα, ἀπέθεντο ταύτην τὴν ἱερὰν κεφαλὴν ἐν τῇ κωλάου κώμῃ. ἔτυχε γὰρ ἐκ γειτόνων οὖσα,

καὶ

ϗ μαρδονίυ τύτου κτῆμα. περὶ δὲ τῦτον τὸν χρόνον, ἢ τῦ θεῦ, ἢ αὐτῦ τῦ προφήτυ κινῦντος, ἧκεν εἰς τὴν δὲ τὴν κώμην θεοδόσιος ὁ βασιλεὺς, βυλομένῳ τε τῦ βαπτιςῦ τὸ λείψανον λαβεῖν, μόνην φασὶν ἀντειπεῖν ματρώναν, ἡ παρθένος μὲν ἦν ἱερά. εἵπετο δὲ αὐτῇ διάκονος ϗ φύλαξ. ἀνθισαμένυ δὲ παντὶ σθένει βιάσασθαι ὐκ ἡγήσαντο δεῖν. ἀντιβολῶν δὲ ἐδεῖτο συγχωρεῖν. ἐπεὶ δὲ μόλις εἶξεν ἀνήνυτον εἶναι νομίσασα τῷ κρατῦντι τὴν ἐπιχείρησιν κατὰ τὸ συμβὰν ἐπὶ τῦ ὑπαλέντος χρόνων, περιλαβὼν τῇ ἁλυργίδι τὴν θήκην ἐν ᾗ ἔκειτο ἔχων ἐπανῆλθε, ϗ πρὸς τῦ ἄςεος κωνςαντινυπόλεως ἔθετο ἐν τῷ καλυμένῳ ἑβδόμῳ, μέγισον ϗ περικαλλέςατον τῷ θεῷ ἐνθάδε ναὸν ἐγείρας. Hæc *Sozomenus* Teſtimonia *Rabbinorum* ſuper morte *Johannis*, antè N. 37. producta ſunt. Ubi tamen nemo debet admirari, qvod Johannes *Sacerdos Magnus*, (כהן גדול) dictus ſit. Nam nomen illud uni homini proprium non fuit; ſed pluribus commune: nomenclaturâ ἀρχιερέων, novi fœderis, ſatis hoc probante. Etenim ſicut patiente Chriſtô, unus tantùm eſſet ἀρχιερεὺς τῦ ἐνιαυτῦ ἐκείνου. *Joh.* XI. 49. 51. Ita plures ſimul cum eo ἀρχιερεῖς in eodem ſederant Synedrio. *Joh.* XI. 47. nempe eôdem titulô gaudentibus, *tum* qvi geſſerunt, geſturívè erant Pontificatum, (velut Annas, *Joh.* XIIX. 13. 19. 22. 24. *Act.* IV. 6.) *tum* capita claſſium XXIV. Sacerdotalium. (velut qvi *Math.* II. 4. 2. *Chron.* XXXVI. 14. & *Sceva*, *Act* XIX. 14.) Qvæ poſterior ratio hîc prævalet: cum appellatio *Summi Sacerdotis*, Johanni, Zachariæ ἐφημερίας Abiæ, *Luc.* I. 5. 8. forſitan Capitis, adeóqve ἀρχιερέως, filio, fuit attributa. Ità ferè Altingius, *in Schil. lib.* IV. *c.* XXII.

 65. SA-

65. SALOME.] Josephus, *Ant.* XIIX. *c.* XI. eam dicit prognatam ex *Herode Mariammes Simonis*, atqve *Herodiade*. Ut oporteat illam ipsam fuisse, de qva exstat, *Math.* XIV. 6. *s. Marc.* VI. 22. *s.* Scilicet, qvòd in *natalatiis Antipæ*, (de qvibus Persius, *Satyr.* V. *v.* 179. *s.*

- - - - - - At cùm
Herodis venêre dies, unctâqve fenestrâ
Dispositæ pingvem nebulam vomuêre lucernæ
Portantes violas &c)

ingressa in convivium, saltando sic placuerit, ut *Herodes* ei optionem detulerit qvidvis petendi vel ad regni dimidium. Cùm illa tamen promissis factis turpiter abusa fuit. Nam instructa à matre, (qvæ diu huc contenderat,) *caput* tantùm *Johannis* petiit. Cui temerario & iniqvo postulato *Herodes*, qvi fidem publicè dederat, assentiri est coactus: missis in carcerem qvi *Johannem* cæderent, & caput in disco *Saltatrici* traderent. *Math.* & *Marc. loc. supr. Euseb. Hist.* I. *c.* VI. *Ruffin c.* XIII. Nicephorus, *Hist. Eccles.* I. *c.* XIX addit: caput adhuc cruore fuisse tabidum. (τῷ λύθρῳ περιῤῥαινόμενον.) Apophoretô tristi, & fermè sine exemplo: nisi qvòd *Flaminius*, similiter unum [sed ex sontibus] capite diminuerit, in gratiam meretriculæ. *Liv. Hist. Rom.* XXXIX. *c.* XLII. extr. *Senec. lib.* IV. *controv.* XXV. Nam qvòd *Marius*, vindictæ civilis præcipitantiâ, desectum *Antonii* Consularis viri caput impiè inter epulas tractaverit, *Plut. in Mar. Valer. M. lib.* IX. *c.* II. *ex* 2. *Flor. Hist.* III. *c.* XXI. 14. hanc non æqvat rabiem. Qvò magis *Agrippæ* clara natalitia sunt. Qvi cùm *ἐν ἡμέρᾳ γενεθλίῳ* recordaretur, qvòd *Silas* qvidam carcere detineretur, actutùm misit, qvi ad epulas eum advo-

advocarent. Et fuit is tamen contumax & sceleratus. *Joseph. Ant.* XIX. *c.* VII. Cùm in *Herodis* geniali festo, bonus civis etiam occideretur: culpâ tamen *Saltatricis* minimâ. Nam non malè Estius, *in Marc.* VI. 20. *p. m.* 517. *Si qværitur*, inqvit, *qvis horum trium graviùs peccaverit in Johannis interfectione, Herodes, Herodias, an hujus filia? videtur dicendum qvòd Herodes graviùs peccaverit: qvia peccato odii adversus Johannem, qvod gerebat in pectore, addidit hypocrisin, simulans, se eum libenter audire, & venerari, & observare. Herodias autem apertè oderat. Minimè verò inter tres, puellam peccâsse constat, qvia qvod fecit, tantùm fecit instructa & jussa à matre.* Ceterùm, qvis *Salomes* fuit ex hac vita exitus, refert Nicephorus, *Hist. Eccles.* I. *c.* XX. *ὁ δὲ*, inqvit, *τῆς θυγατρὸς αὐτῆς, (Ἡρωδιάδος) θάνατος, ἄξιον γὰρ αὐτὸν διηγήσασθαι, τοῖος δέ τις ἦν. ἐπί τινα τόπον ταύτῃ δεῆσον, ὥρᾳ χειμῶνος πορεύεσθαι, καὶ ποταμὸν διαβαίνειν. ἐπείπερ ἐκεῖνος κεκρυστάλλωτο καὶ πεπηγὼς ἦν, ὑπὲρ νώτου αὐτῇ διήει πεζεύουσα. περιρραγέντος δὲ τοῦ κρυστάλλου, οὐκ ἀθεεὶ δὲ πάντως τὸ συμβὰν ἦν, κατερρύη μὲν εὐθὺς, καὶ αὐτὴ ἄχρι δή που καὶ κεφαλῆς. καὶ ὑπωρχεῖτο σπαργῶσα, καὶ ὑγρῶς. λιγυζομένη οὐκ ἐν γῇ, ἀλλ' ἐν ὕδατι. ἡ δὲ κεφαλὴ τῷ κρύει παγεῖσα, εἶτα καὶ διαθερισθεῖσα, καὶ τοῦ λοιποῦ διαιρεθεῖσα σώματος, οὐ ξίφει ἀλλὰ κρυστάλλῳ, ὑπὲρ τῶν πάγων ὠρχεῖτο καὶ αὐτὴ τὴν ἐπιθανάσιον ὄρχησιν: καὶ ὑπ' ὄψιν ἔκειτο πᾶσιν ἡ μιαρὰ κεφαλὴ εἰς ὑπόμνησιν ὧν ἔδρασε, τοῖς θεωμένοις ἀνάγουσα.* *Filiæ ejus*, inqvit, *dignus enim est qvi memoriæ commendetur, talis fuit obitus. Eundum ipsi qvôdam brumali tempore erat, & fluvius trajiciendus. Qvi cùm glacie constrictus*

coagmentatúsqve esset, pedes eum transibat. Glacie autem ruptâ, ídqve non sine Dei Numine, mergitur illa statim capite tenus: & inferioribus corporis partibus lasciviens, molliusqve se movens, saltat, non in terra, sed in undis. Caput verò scelestum, frigore & glacie concretum, deinde etiam convulneratum, & à reliqvo corpore non ferrô sed glaciei crustis resectum, in glacie exitialem saltationem instituit: spectaculôqve illo omnibus præbitô, memoriam qvæ fecerat, exhibet spectantibus. Hactenus Nicephorus: sed mirum unde? Nam ante illum, certè per XII *Secula*, nemo ea, (qvantum scio,) retulit. Adhæc: cùm paullò ante *hunc textum* narrat, Herodiadem καλὲσαν τὴν θυγατέρα ϗ ὀρχηςρίδα τ̃ βιόν καταλύσασαν &c. est hoc certè inexcusabile. Nam cùm *Salome*, filia, non antè decessit, qvàm *Philippo* conjugata esset: imò, post ejus mortem *ex alio*, tres filios sustulisset, *Ant.* XIIX. *c.* VII. oportet *Herodiadem* illic tum fuisse, (nempe ultra Alpes exulem, aut mortuam,) ubi qvæ *in Judæa* fiebant, *filiæ* scilicet *extrema* neutiqvàm videre potuit.

Hîc iterum Baronius, *Annal. ad ann. Chr.* 31. *num.* 48. Josephus, ait, *insigniter errat, cùm dicit filiam Herodiadis ex Herode qvodam incognito susceptam, nuptui traditam Philippo Tetrarchæ. Nulla siqvidem alia legitur Herodiadis filia, nisi puella saltatrix.* Sed parciùs ista viris, *Baroni.* An enim qvæ *Euangelistis* dicitur *puella*, & *saltatrix*, non post id tempus potuit nubere, & sic *Josepho* uxor, qvin & mater dici? Qvàm *Herodes*, *Herodiadis maritus*, non sit incognitus, suprà ostensum, *Num* 34.

66. TIGRANES, *Rex.*] Diu apud *Urbem* obses fuit, incertum an *Archelai Cappadocis*, [Num. 29] vel alterius: & ad servilem usqve patientiam demissus.

missus. *Tacit. Annal.* XIV. XXVI. 2. Ut à Parthis, per contemptum, mancipium, aut *inter mancipia habitus*, appellatus fuerit. *Tacit. Annal.* XV. I. 3. At repentè eum fortuna inter summa & præcipitia medium reduxit, & ex servo Regem fecit. Nam cùm *Vologeses Parthus*, Rege Armeniæ *Rhadamnastô* pulsô, fratrem suum *Tiridatem* intrusisset, *Nero* ad diminutionem Imperii, & injuriam suam hoc pertinere ratus *Tigranem hunc*, tanqvàm Cappadocum ex nobilitate, & cui memoria *Archelai* proavi, Regis qvondam *Cappadociæ* & *Armeniæ*, [*Dio*, *Histor. Rom.* LIV.] illic loci prodesse posset, *Armeniæ* designat *Regem*: & exsecutionem mandat *Corbuloni*. *Corbulo* rerum usu clarus, brevi tempore pellit *Tiridatem*, & expugnatis urbibus, *Artaxatâ* & *Tigranocertâ*, vi *Tigranem* in possessionem introducit. *Tacit. Annal.* XIV. *c.* XXIII. XXIV. XXV. XXVI. Flavius, *Ant.* XIIX. *c.* VII. breviter, eum *Armeniis* Regem datum asserit. Sed haud solidum *Tigrani* illud gaudium evenit. Nam cum temerè expeditionem sumpsisset in *Adiabenos*, & eâ iterum *Parthos* provocâsset, *Tacit. Annal.* XV. *c.* I. II. III. repentè ab iis, *Tigranocertis* circumsessus fuit: & res tandem pactis *Corbulonis* huc deducta, ut Exercitibus partium, utrimqve abductis, ipse etiam *Tigranes* excederet, dum *Parthus* Romam mitteret Legatos, & *de Pace* Cæsarem interrogaret. *Tacit. Annal.* XV. *c.* IV. V. VI. Postqvàm autem ignaviâ *Pæti*, qvi *Corbuloni* successor missus fuerat, Romani à *Parthis* cladem accepissent, & *Tiridates ipse* Romam venisset supplex pro regno, *Nero*, non ampliùs cunctandum ratus, *Armeniæ regnum*, [qvod jam antè *Tiridates* habuit, & qvod è manu eripi non potuit,] pompâ exqvisitâ ei *Romæ* detulit. *Tacit. Annal.* XV. *c.* XXIX. XXX *& lib.* XVI. *c.* XXIII. *Sveton. in Neron c.* XIII. *Plin. Hist. Nat.*

 lib. XXX.

*lib.*xxx. *c.* 11. *Xiphilin. Epit. Dion. in Neron.* Et ita *Armeniam* Arſacidis permiſit Qvâ qvidem ratione *Tigranes* excluſus, & ad priſtinæ ſortis compedes repulſus fuit. Nec ab eo die, qvisqvam *ex ejus familia* regnô fuerat potitus: ut qvod penes *Parthos* manſit. Hâc ratione patet, qvàm tenuis illa fuit gloriatio, qvòd *poſteri Alexandri* in *Armenia Majori* dicti ſint regnâſſe. (Flavius *Bell.* 11. *c.* x. inqvit: Ἀριστόβουλος καὶ Ἀλέξανδρος ἐκ Μαριάμμης Ἡρώδῃ γεγόνεισαν, οὓς ὁ πατὴρ ἀνεῖλεν ἡ δὲ ἀλεξάνδρου γενεὰ τῆς μεγάλης Ἀρμενίας ἐβασίλευσε.) Nam ea fortuna *duobus* tantùm *Tigranis* obtigit: *huic* ſcilicet, & *Patruo*, de qvo *Num.* 58. Qvippe Ariſtobulus, *Num.* 68. huc non pertinet: ut qvi non fuit Rex *Armeniæ Majoris*, ſed Minoris. *Ant.* xx. *c.* v. & deinde, ἐκ γενεᾶς *Ariſtobuli*, & non *Alexandri*, *Ant.* xiix. *c.* vii.

Ceterùm, *Tacitus*, qvi *Annal.* xiv. xxvi. 2. ſcribit: *Tigranem Archelai* (Cappadocum Regis) *fuiſſe nepotem*, corrigendus eſt. Nam eum *pronepotem* fuiſſe, præter Joſephum, *Ant.* xiix. *c.* vii. ipſa rerum ſeries oſtendit. Qvô pactô enim *Tigranes*, *nepos*, circa tempus medium *Auguſti* natus, (Pater non multò poſt *victoriam ad Actium* ab *Herode* interfectus,) ſub *Nerone* agere aut pati potuit? Qvô profectò tempore, natura eum *aut* morte, *aut* ſeniô ita multaverat, ut rebus gerendis aptus tum haud eſſe potuerit: nedum ita arduis & perturbatis.

67. Alexander, *Rex.*] *Leſidis* ſcilicet, urbis Ciliciæ ſub Veſpaſiano. Uxor fuit *Jotape*, filia *Antiochi* Comagenorum Regis. *Ant.* xiix. *c.* vii. Reperiuntur autem *tres Antiochi Comageni* circa hæc tempora. *Primus* ſub Auguſto: accuſatus publicè capitis, & damnatus, qvòd legatum fratris, cum qvo habuit inimicitias, Romam miſſum, perfidè in-

interfeciſſet. *Dio*, *Hiſtor. Rom. LII. Secundus*, ni fallor prioris filius, mortuus ſub Tiberio. *Ant.* XIIX. *c.* III. *Tacit. Annal.* II. XLII. 8. *Tertius*, qvi & *Jocchus*, prioribus literis compendiô omiſſis. *Tacit. Annal.* XIII. VII. 2. hujus filius, ſub Cajo, Claudio, Nerone, & Veſpaſiano. *Cajus* ei ut aſſentatori & τυραννοδιδασκάλῳ ſuo, *Dio*, *Hiſt.* LIX. *vide Num.* 63. Commagenen, paternum regnum, adjectis *Ciliciæ maritimis* dedit & mox abſtulit: reddidit *Claudius.* Dio, *Hiſtor.* LX. μετὰ τοῦτο, inqvit, τῷ τε Ἀντιόχῳ τὴν Κομμαγηνὴν ἀπέδωκε, (ſcilicet *Claudius*,) ὁ γὰρ Γάϊος καίπερ αὐτὸς οἱ δοὺς αὐτὴν ἀφῄρητο &c. Addit Flavius, *Ant.* XIX. *c.* IV. Ἀντίοχον ἣν εἶχεν βασιλείαν ἀφελόμενος, Κιλικίας μέρει τινὶ, καὶ Κομμαγηνῇ δωρεῖται. Hinc Tacito, *Annal.* XII. LV. 4. dictus *Rex Ciliciæ.* Cui etiam *Nero* contra Parthos qvædam tribuit *Armeniæ. Tacit. Annal.* XIV. XXVI. extr. Romanorum in ſocietate, arma junxit contra Parthos, *Tacit. Annal.* XIII. VII. 2. ac Judæos. *Joſeph. Bell.* III. *c.* II. *& lib.* VI. *c.* XII. & Veſpaſianum nitentem ad imperium promovit: vetuſtis opibus ingens, & Regum (Romanis) inſervientium ditiſſimus. *Tacit. Hiſtor.* II. LXXXI. 1. *&* V. I. 4. Fuitqve ei totâ vitâ clarum nomen, & magna felicitas, præterqvàm in ſenectute. Nam accuſatus à *Peto*, qvòd cum *Parthis* conſpiráſſet, *qvartô annô Veſpaſiani* regnô fuit abductus, & translatus *Lacedæmonem.* Ubi, & *Romæ*, honorificè habitus, vitæ reliqvuum poſteà tranſegit. *Bell. jud.* VII. *c.* XXVII. De qva cataſtrophe graviter Flavius, ἁλώς. VI. *c.* XII. εὐδαιμονῆσαι, inqvit, μάλιστα τῶν ὑπὸ Ῥωμαίοις βασιλέων τὸν Κομμαγηνὸν συνέβη, πρὶν γεύσασθαι μεταβολῆς. ἀπέφηνε δὲ κἀκεῖνος ἐπὶ γήρως, ὡς οὐδένα χρὴ λέγειν πρὸ θανάτου μακάριον. *Omnium Regum qvi Romanis parebant, feliciſſimum fieri Comagenum contigit, priuſqvàm fortuna mutaretur. Oſtendit autem*

ille

ille qvoqve in affecta ætate, nullum ante mortem beatum dici oportere. Hæc ille. Videtur & partem *Phœnices* tenuisse: nisi fefellit *Liber Echa Rabati, super Threnos Jerem. c. I. 5.* זה טיטוס הרשע בנו : שלש שנים ומחצה הקיף אספסיאנוס את ירושלם והיו עמו ארבעה דוכסין דוכוס דערביא דוכוס דפניקי דוכוס דאלכסנדריא דוכוס דפלסטיני : *Iste est Titus, neqvam filius ejus,* (scilicet Vespasiani.) *Tribus annis & dimidiô obsedit Vespasianus Hierosolymam: erántqve cum eo qvatuor Duces. Dux Phœniciæ,* (aliàs דאפריקא de Africa,) *Dux Alexandriæ, & Dux Palæstinæ.* Qvos qvidem IV. auxiliares Duces, alios non invenio, qvàm *Agrippam* Juniorem, *Sohemum* Emesum, *Antiochum* Comagenum, & *Malchum* Arabem. Flavius, ἁλώς. III. c. III. inqvit: συχνὸν καὶ παρὰ τῶν βασιλέων συνήχθη συμμαχικὸν, ἀντιόχου μὲν, καὶ ἀγρίππα, καὶ σοέμου, παρασχομένων ἀνὰ δισχιλίους πεζοὺς τοξότας, καὶ χιλίους ἱππεῖς. Τοῦ δὲ ἄραβος μάλχου, χιλίους πέμψαντος ἱππεῖς &c. Id est: *Satis auxiliorum etiam à Regibus congregatum est. Antiochus enim & Agrippa & Sohemus bina millia peditum, & sagittarios eqvites mille præbuerunt. Cúm Arabiæ qvoqve Rex Malchus eqvites mille misisset.* Cum qvo Tacitus, *Histor.* V. I. 4 *Comitabantur*, inqvit, *viginti sociæ cohortes, octo eqvitum alæ: simul Agrippa, Sohemúsqve Reges, & auxilia Regis Antiochi, validáqve & solitô inter accolas odiô infensa Judæis Arabum manus.* *Antiochus* ergò, aut si mavis *Sohemus*, erit *Dux Phœniciæ.* Sed qvis *Alexandriæ*, aut *Africæ*? Putâssem fuisse *Tiberium Alexandrum*; nisi hic, cùm exercitum Titi duceret, *Bell. Jud* VI. *c.* I. & VII. *c.* IX. jam tum *Ægyptum* abdicâsset. *Bell. jud.* VI. *c.* I. & sic neqve *Dux ejus* commodè tum dici posset. Cùm qværitur verò de *Patre Jotapes*, fuit ille *Antiochus Tertius*. Frater autem *Antiochus Epiphanes*, qvi juveniliter audax cum

suis

ſuis Macedonibus, impetum fecit in *muros Hieroſolymorum*, ſic ut ipſe cum paucis vix evaſerit. ἁλώς. VI. c. XII. Confer ſis *Num.* 79.

Ceterùm *Alexandri Mariammæi* poſteritas, ut primùm pullulavit, contulit ſe ad gentes, & à *cultu Majorum*, ad *paganos* tranſiit. *Ant.* XIIX. c. VII.

68. ARISTOBULUS, *Rex.*) *Nero* eum *Armeniæ minoris* Regem fecit. *Ant.* XX. c. V. *Bell. jud.* II. c. XII. Etenim cùm Armeniæ *Parthi* cupidiſſimè inhiarent, tanqvàm qvæ potentiæ ipſorum tertius gradus eſſet; *Tacit. Annal.* XV. II. I. Imperator Provinciæ retinendæ cauſsâ, *duo valida conſilia* agitavit: *alterum*, ut Regem domeſticum, ſimúlqve fidum, inveniret. *alterum*, ut huncipſum tanqvàm procul diſſitum & barbaris cinctum, proximis firmaret. Sic in Regem delectus *Tigranes Cappadox*, *Num.* 66. qvem ipſi *Armenii* popularem ſuum agnoſcebant. *Tacit. Annal.* XIV. XXIV. 4. Et *Armenia minor*, cognato Tigranis *Ariſtobulo* demandata: parte etiam conceſsâ *Antiocho* Romanorum Socio. Tacitus, *Annal.* XIII. VII. 2. inqvit: *Minorem Armeniam Ariſtobulo, regionem Sophenen Sohemo cum inſignibus Regiis mandat.* Et Annal. XIV. XXVI. 4. *Qvò faciliùs novum regnum tueretur* (Tigranes) *pars Armeniæ ut cuiqve finitima, Thraſcypolíqve, & Ariſtobulo, atqve Antiocho parere juſſæ ſunt.* Videtur *Ariſtobulus* paternum etiam *Chalcidis* regnum tenuiſſe ſub *Veſpaſiano.* per ἁλώς. VII. c. XXVII. Poſtqvàm illud *Agrippa Junior* amiſiſſet. *Ant.* XX. c. V. qvamqvàm fortè non ipſius urbis *Chalcidis.* Neqve enim *Joſephus* dicit Regem *Chalcidis*, ſed *Chalcidiæ.* συνεμάχουν, inqvit, ϗ βασιλεῖς αὐτῷ, τῆς μὲν χαλκιδιστῆς λεγομένης ἀριστόβουλος, τῆς ἑτέρας ἢ &c. At χαλκιδικὴν à *Chalcide* diſtingvit Strabo, *Geogr.* XVI, χαλκίδα qvidem Marſyæ ἀκρόπο-

πολιν, χαλκιδικὴν autem regionem descendentem à Marsya, appellans. Ipse *Flavius*; dum *Chalcis* aderat, regnum semper adpellavit *Chalcidis*: (sicut *Ant.* XIX. *c.* IV. VII. *& lib.* XX. *c.* III. V. *Bell. jud.* II. *c.* X.) Hîc, seu *Bell.* VII. *c.* XXVII. primò vocat χαλκιδικὴν. Qvod nî fallor, haud fit sine caussa. Uxor *Aristobuli* fuit *Salome*: filia Herodiadis ex Herode: & vidua *Philippi* Tetrarchæ Trachonitidis &c. *Ant.* XIIX. *c.* VII. De qva lite & alia adiri possunt, *Num.* 34 65.

Errat ergò Baronius, cùm *Annal. ad Ann. Chr.* 31. *n.* 48. hunc confundit cum *Herode*, *Patre.* Errat & Orleans, *ad Tacit. Annal.* XIV. *p. m.* 739. cùm dicit simul etiam *Judæam* rexisse. Qvam in provinciam redactam, & per *Præfectos* Romanorum tum curatam, constat.

69. JOTAPE:] Nullâ re aliâ, qvàm vitiô corporis, & surditate memorabilis. *Ant.* XIIX. *c.* VII.

70. AGRIPPA MINOR, REX.) Decimô septimô annô ætatis, cùm esset in educatione apud *Claudium*, Patre Cæsareæ orbatus fuit. Volebat qvidem *Claudius* eum statim in regnum Patris substituere; sed dissvaserunt liberti & amici Claudii, dicentes ad regnum nutans & seditiosum virô justæ ætatis opus esse. Qvare *Claudius*, *Fadum* tum qvidem ablegat cum imperio in *Agrippæ* regnum. *Ant.* XIX. *c.* VII. *Bell.* II. *c.* X. Sed cùm *qvintô annô* pòst, è vita excederet *Herodes Rex Chalcidis*; Claudius *Agrippæ*, illius tanqvàm Patrui regnum statim tribuit. *Ant.* XX. *c.* III. & post *qvatuor annos* eum adhuc auget liberaliùs, dum locô *regni Chalcidis* ei confert *Trachonitidem*, *Gaulanitidem*, *& Bathanæam*: additâ etiam *Abilâ Lysaniæ*, *& Eparchiâ Vari.* *Ant.* XX. *c.* V. *Bell.* II. *c.* II. Qvibus posteà *Nero* urbes IV. addidit: *Tarichæas* qvidem, & *Tiberiada*, in Galilæa; *Juliadem* autem cum

cum vicis XIV. (non X. ut habet Photius, *Biblioth. codic.* 238. *p. m.* 978.) & *Abilam*, in Peræa. *Ant.* XX. *c.* V. *Bell. lib.* II. *c.* XII. Ex qvo facile fuerit judicare, qvantùm *Agrippa* patre minor fuit. Ut inter Reges *Tacito, Hist.* V. IX. 6. 7. ad modicum redactos computari possit. Nam ex *Judæa*, *majori Galilææ parte*, & *Samaria*, (qvibus præerant *Præfecti Romanorum*,) nihil habuit præter *jus in Templum*. *Ant.* XX. *c.* VIII. Qvô qvidem ita strenuè fuit usus, ut brevi tempore *qvatuor Summos Pontifices* dejecerit, *sex* statuerit. *Ant.* XX. *c.* VI. VII. VIII. Et laudandum hoc eqvidem de *Anano* abrogato: cùm is non solùm *decimas Sacerdotum* vi corriperet; sed & *Jacobum fratrem Domini*, & alios pios lapidatione interficeret, *Ant.* XX. *c.* VIII. Ab eo tempore, *Agrippa* bis pro Romanis arma sumpsit. Primò, contra *Parthos*, qvi Armeniam raptaverant: *Duos veteres Reges*, inqvit Tacitus, Annal. XIII. VII. 2. *Agrippam & Jocchum, expedire* jussit *copias*, *qveîs Parthorum fines ultrò intrarent*. Alterâ vice, contra gentem suam. Nam *decimô septimô regni Agrippæ annô*, *duodecimô* Neronis, bellum illud lamentabile exortum est, ad qvod meritò Orbis expavescit. Utpote in qvo florentissima qvondam *Gens Judaica*, clade miserabili aut eversa aut dispersa fuit: terris vastatis, urbibus excisis, Templô etiam incomparabili combustô. Cujus qvidem atrocis incendii fax & tuba fuit *Florus*. *Tacit. Hist.* V. X. I. Præfectorum gentis omnium iniqvissimus: qvi inauditâ suâ tyrannide & avaritiâ, gentem ad deficiendum impulit. *Ant.* XX. *c.* IX. *Bell.* II. *c.* XIII. XIV. XV. XVI. *Hegesipp. Excid.* II. *c.* VIII. XIII. *Hujus*, inqvit Photius Biblioth. codic. 76. p. m. 169. *impotentem dominatum crudelitatémqve*, *Judæorum natio non ferens, tumultuari cœpit, melius esse rata simul & in libertate,*

qvàm

qvàm lentè & paulatim & in servitute perimi, Agrippa qvidem, popularium suorum miseratus sortem, multa fecit pro salute populi; & tam per sese, ἀλώς. II. c. XVI. qvàm per alios, ἀλώς. II. c. XXIV. strenuè seditionem dehortatus fuit: Sed ita erant omnium animi *Flori* injuriis efferati & exacerbati, ut *Agrippam* utilia cum lacrumis svadentem saxis appetitum urbe moverint. ἀλώς. II. c. XVI. *Hegesipp. Excid.* II. c. IX. & Legatorum ejus alterum morti dederint; alterum saucium in fugam egerint. ἀλώς. II. c. XXIV. *Hegesipp. Excid.* II. c. XV. Palatiis ejus, Sororísqve, incensis: & bonis raptis. ἀλώς. II. c. XVII. XXVI. & *in Vit. Joseph. p. Gelen.* 1008. *Hegesipp. lib.* II. c. X. & *lib.* III. c. III. Præsidiô etiam, qvod in urbem ad malos compescendos miserat, hostiliter habitô, circumsessô, pulsô. *Bell. jud.* c. XVII. *Hegesipp. lib.* II. c. X. Qvare *Agrippa*, insanabilem videns hominum sævitiam, aliâ viâ insistendum duxit: & junctis castris cum Romanis exercitibus, vi & ille agere cœpit, *Bell. jud.* III. c. I. III. Ut etiam in obsidione *Gamalæ* vulnus *dextrô cubitô* acceperit. *Bell. jud.* IV. c. I. *Hegesipp.* IV. c. I. Inter illas turbas *Nero* interficitur. Qvô tempore *Vespasianus*, qvem *Nero* ad bellum Judaicum delegerat cum tribus legionibus, *Tacit. Hist.* I. X. 5. filium statuit mittere ad *Galbam*, partim ad gratulandum: *Tacit. loc. cit. Sveton.* VIII. c. V. partim ad ejus super bello voluntatem exqvirendam. ἀλώς. V. c. VI. Tacitus, *Hist.* II. I. 2. inqvit: *Caussam profectionis, officium erga Principem, & maturam petendis honoribus juventam ferebat. Sed vulgus fingendi avidum disperserat, accitum in adoptionem.* Hâc occasione *Agrippa* itineris socium se præbuit, & (*Titô* qvamqvàm *cædis Galbæ* famâ exterritô & Syriam se referente, *Tacit. loc. cit.*) Romam adiit. *Bell. jud.* V. c.

y. c. VI. *Hegesipp. Excid.* IV. c. XXI. Unde Baronius, *Annal. ad Ann. Chr.* 73. *num.* 8. fingit eum non reversum: *A qvo tempore*, inqvit, *Agrippa navigavit Romam ad Galbam non amplius reversus est in Judæam: nec post eum aliqvis suffectus est in locum ipsius Rex Judæorum, Romanis tantummodò Judææ dominantibus.* Cùm tamen *eôdem annô* mox redierit. Nam cùm audiret occultè agi de *Vespasiano* eligendo ad imperium, citô gradu domum se mox contulit. Tacitus, *Histor.* II. LXXXI. 2. inqvit: *Mox per occultos suorum nuncios excitus ab Urbe Agrippa, ignarô adhuc Vitelliô, celeri navigatione*, (scilicet ut se cum aliis illic loci Regibus, Vespasiano jungeret, ejúsqve juvaret partes) *properaverat.* Et qvomodò non rediisset, qvi in Titi auxiliis fuit contra Hierosolymam? *Tacit. Hist.* V. I. 4. Patre Titi jam rerum potiente? Et bellô confectô Romæ iterum adfuit cum *Sorore*, ibíqve honores prætorios suscepit? *Xiphilin. epit. Dion. in Vespasian.* Non dicam; Qvòd, cùm *Soror* domum missa à *Tito* sit; teste *Aurel. epit. Hist. in Tit.* (domum autem aliam non habuit, qvàm in regno fratris:) non videatur, qvomodò frater eam tum non comitatus fuerit. Nam certè *Agrippa*, qvi à *Sorore* aliàs vix potuit divelli, minùs videtur eam dolore repudii oppressam deserturus aut ab ea recessurus. Omitto etiam, qvòd cum *Agrippa* LXII. Epistolas Romam scripserit ad *Flavium*; qvibus *ejus libros* comprobârit; *Vit. Joseph. Gelen. p.* 1026. *Euseb. Hist. Eccles.* III. c. IX. alibi qvàm in regno eum tum fuisse aut scripsisse, non sit consentaneum. Nam qvô alio extra Romam & Cæsaris aulam locô tam diu desideret, ut tot epistolis rogaretur atqve responderet? Satis ergò docetur *Baronius*, qvòd *Agrippa* à qvo ad *Galbam* navigaverat, rediit in regnum, *& vel aliqvoties*. Sunt qvi *bellô* seorsim valent, sunt qvi *pace*: *Agrippa* utrimqve fuit præstantissimus. *Munificentiâ in subdi-*

tos, *Pietate in patriam*, *Mansvetudine*, *Sapientiâ*, *æqvitate clarus*. Ut si aliqva non accessissent, de qvibus *Num.* 72. non suorum, sed Principum laudatissimus audire posset. *Cæsareæ Philippi* auxit pomæria. *Berutum* extulit & exornavit ad invidiam: omni artis cultu decoratum. cùm præter externam urbis elegantiam, cives ipsos coleret egregiè, spectacula annua publicè constituendo, & magnam vim olei frumentíqve iis erogando. *Ant.* XX. *c.* VIII. Exstat ejus Oratio ad rebelles Hierosolymitanos, *Bell. jud.* II. *c.* XVI. *Hegesipp. Excid.* II. *c.* IX. ex qva studium in patriam, an dicentis moderatio magìs luceat, haud facilè qvis judicaverit. Plena certè est apparatu omni Sapientiæ, & autore verè digna suô: ut qvi non modò inter ἄνδρας παιδείας ἑλληνικῆς μετεσχηκότας, *lib.* I. *contra Apion. p. Gelen.* 1037. aut ἐπὶ πλεῖστοι ἱκόντας, *Vit. Joseph. p. Gelen.* 1026. fuit numeratus; sed & ob *rerum Divinarum* scientiam laude publicâ ornatus ab Apostolo. *Act.* XXVI. 3. 23. Nam hic ille *Agrippa* est, coram qvo & *Festô* Paulus caussam dixit, & qvem ita orando *Paulus* subiit, ut publicè coram conventu testatus sit: *parum abesse qvin Paulus sibi persvaserit. Act.* XXVI. 28. *Phot. Biblioth. cod.* 238. *p. m.* 978. *Niceph. Hist.* II. *c.* XXX. Saltem totâ actione liqvet amor & studium *æqvitatis* in *Agrippa*. Nam cur Paulum aliàs audire sic desideraret? *Act.* XXV. 22. Cur eum, ut pro se responderet, animaret? *Act.* XXVI. I. Qvin imò: super innocentia ejus testaretur, diceretqve eum potuisse dimitti, nisi forum Præsidis declinâsset, & ad Cæsarem ultrâ adpellâsset? *Act.* XXVI. 32. Obiit tandem penè septuagenarius, annô regni LI. annô Imperii Trajani III. Et in eo regnum *Herodiadum* exaruit. Photius, *Biblioth. codic.* 33. *de Justo Tiberiensi*: ἄρχεται, inqvit, τῆς ἱστορίας ἀπὸ Μωϋσέως, καταλήγει δὲ ἕως τελευτῆς Ἀγρίππα, τοῦ ἑβδόμου μὲν τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡρώδου, ὑστάτου δὲ ἐν τοῖς Ἰουδαίων βασιλεῦσιν:

ὃς παρέλαβε μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ Κλαυδίου, ηὐξήθη δ' ἐπὶ Νέρωνος, καὶ ἔτι μᾶλλον ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ, τελευτᾷ δ' ἔτει τρίτῳ Τραϊανοῦ; οὗ καὶ ἡ ἱστορία κατέληξεν.

Qvæ cum ita ſint, non audiendus *Gorionides*, & qvi *Agrippam* ajunt a *Veſpaſiano* occiſum *qvarto annô* ante finem Hieroſolymorum. Tzemach David, *part.* I. *millen.* 4. *an ann.* 804. inqvit : גם את אגריפס המלך ובני סונבז הוליך אספסיאנוס עמו כאשר עלה מירושלם לרומי להתקסר שם באמרו אולי ינטו אחרי אחיהם היהודים וימרדו בירה לימים אחרים אחרי התקסר אספסיאנוס ויקצוף על אגריפס מלך היהודים כי הלשינו עליו לאמור שחשב לבגוד בו וכי שלח לירושלים מכתב על ככה רימת אותו ואת מונבז בנו לפי חרב : *Agrippam qvoqve Regem, & Monebazum filium ejus ſecum deduxit Veſpaſianus, cùm Hieroſolymâ diſcederet Romam, ut ibi Imperator crearetur, dicens: fortè deficerent ad fratres ſuos Judæos. Poſt aliqvot autem dies, ipſi rebellârunt adverſus ipſum jam Imperatorem factum. Succenſuit Veſpaſianus Agrippæ, Regi Judæorum: calumniati enim ſunt ei apud ipſum, qvod cogitâſſet eum decipere, & miſiſſet certam Epiſtolam Hieroſolymam. Ideòqve interfecit eum gladiô, & filium ejus Monebazum.* Et R. Azaria, *in libr. Menor enajim Imre binah. c.* LI. צא ובדוק בכל שלשלת מלכי בית שני וכהניה הנכתבים מאת כל יודעי העתים כי לא תמצא זכר הילני ומונבז. רק מונבז בן אגריפס האחרון אשר מזרע הורודוס שנהרג הוא והמלך אביו בהרבן הביה : *Scrutare & percurre univerſam ſeriem Regum domus ſecundæ, & Sacerdotum ejus, prout deſcripti ſunt apud omnes Chronologos: nullam invenies fieri mentionem Helenæ & Monbazi, niſi filii Agrippæ ultimi è ſtirpe Herodis, qvi cum Rege Patre ſuo interfectus eſt in excidio Templi.* At qvid juvat Agrippæ *filium* tribuere, qvem nunqvàm, uti nec *Uxorem* habuit? Qvid ſibi vult eum dicere occiſum, ante captam Hieroſolymam, qvi poſt bellum adhuc imperavit? Qvid attinet eum à *Ve-*

spasiano interfectum, qvi *Vespasiano* & *omni stirpi ejus* supervixit? [mortuus scilicet primùm sub *Trajano*:] & qvi ab eo in honore fuit habitus? Nam non solùm eum *Vespasianus* magni fecit in *Judæa*: (dum Cæsareæ apud eum XX. dies substitit: Tiberiada & Tarichæas expugnatas ei reddidit. *Bell. jud.* III. *c.* XVI. XVII. XVIII. XIX. *Hegesipp. Excid.* III. *c.* XXII. XXIII. XXV. XXVI. & defensum contra Tyrios, ῥωμαίοις φίλον adpellavit. *Vit. Joseph. p. Gelen.* 1030.) sed & *Romæ*: ubi ei honores prætorios contulit. *Xiphilin. supr.* Ut sub Vespasianis θαυμαστότατος dici, & libros *Flavii* censere potuerit. *Joseph. lib.* I. *contra Apion p. Gelen.* 1037. & *in Vit. p.* 1026. 1027. Imò: sub *Vespasiano* magìs fuerit auctus, qvàm sub *Nerone*. Teste *Justô Tiberiens. apud Phot. supr.* Qvamqvàm enim *hunc Tiberiensem*, Flavius, *in Vit. loc. cit.* arguat mendacii: tamen hoc non intelligit nisi de *Belli Historia*, cui non interfuit. Qvod autem de *Agrippæ regno & annis* simul fuerit mentitus, ità non movet suspicionem *Flavius*, ut etiam ejus adstruat contrarium: dum testatur eum *Beruti apud Agrippam* vixisse, & apud eum in parte servitii fuisse, vel cum capitis periculo. *Vit. Joseph. p:* 1026. Ut qvin *Tempus dominationis Domini*, rectè sciverit, haud sit dubitandum. Scaliger, *animadv. p.* 176. inqvit: *Iste Junior Agrippa obiit tertiò annô Trajani; ut testis erat Justus Tiberiadensis, qvi ipsi Regi Agrippæ Chronologica sua obtulit.* Qvod eqvidem non intelligo. Nam cùm *Justus* ille Historiam suam primùm edidit *Agrippâ mortuô*; qvemadmodùm ea *Agrippæ finis* meminit, & hoc ei *Flavius* exprobravit, *Vit. Joseph. loc. cit.* fuitne illa verò oblata *Agrippæ mortuo*? Sed hæc ἐν παρόδῳ. Mitior paulò est error Eusebii, qvô in *Chronic. p.* 160. Agrippam dicit regnâsse tantùm *annos* XXVI. Qvasi cum gente Judæo-

duorum desiisset. Qvia enim *Eusebius* illud deprehendit intervallum, inter gentis funus & Agrippæ initium; putavit etiam regnum ejus cum *Judæis* terminatum. Qvod falsissimum. Nam cùm regnum Agrippa non habuit in *Judæa*, sicut supra: utiqve neqve *in Judæa* illud potuit amittere. Nisi qvis malit comminisci cum Carolo Stephani, *Lexic. Histor. voc. Agripp.* qvòd *Agrippa hic totum Herodis Magni regnum habuisset*, * *præter Hierosolymam & munimenta qvædam Archelai.* Qvod est somniare vigilando. Nam nè pagum qvidem *tractus Archelai* habuit: nec ex tota *Antipæ Tetrarchia* præter IV. *Urbes*, duas in Galilæa, & totidem in Peræa. Cappellus, *Hist. Apost. & Judaic. p. m.* 85. magnum monstrum alit, cùm sic de *Agrippa* scribit: *Annos regnavit* XIII. *menses* VIII. *dies* XX. *Neroni regnum suum reliqvit testamentô. Duxit uxorem Mariammen Olympiadis & Josephi filiam; Herodis Chalcidis Regis, ante conjugem.* Fabulæ! Nam hâc ratione *Agrippa* decessisset ante belli initium: ut qvod *decimô septimô ejus annô* cœpit. Qvæ de *Uxore* scribit, & illa portentosa sunt. Ut mirum undè somnia hæc surrepserint. Qvibus paria habet Serarius, *Opusc. de Herod. c.* XX. *p. m.* 242. cùm sic dicit de Agrippa: *Druso ejusqve Uxori Antoniæ fuit gratissimus: Primò Rex factus Tetrarchiæ Philippi, hinc Rex Chalcidis, post Herodis patrui mortem.* Qvot sententiæ, tot sphalmata! *Agrippæ hujus* tempore nullus *Drusus* fuit. Patri *Agrippæ Majori*, *Drusus* qvi fuit familiaris, non erat *maritus Antoniæ*; *Claudius Drusus*: (scilicet qvi jam ante *sub Augusto* citra Rhenum decesserat. *Tacit. Annal.* I. III. 7. *Dio*, *Hist.*

* Hæc verba non inveni in editione Oxoniensi clↄ. Iↄc. LXXXVI. in fol. fortè deleta à Nicol. Lloydio.

Hist. Rom. LV) sed *hujus Nepos* ex fratre *Tiberio* ; fraude *Sejani* antè sublatus, qvàm vel *Major Agrippa* venerat ad regnum. *Ant.* XIIX. *c.* VIII. *Tacit. Annal.* IV. *c.* VIII. Nihil igitur hæc ad *Agrippam Juniorem.* Qvi etiam certè prius accepit *regnum Chalcidis*, qvàm *Philippi Tetrarchiæ.* Sicut antè fuit demonstratum. Errat & Photius, *Biblioth. cod* 238. cùm patre mortuo ; Agrippam *Romam* navigasse tradit. Neqve enim habuit opus : qvi tum certè *Romæ* fuit. Flavius, *Ant.* XIX. *c.* VII. inqvit : ὁ δὲ τεθνεῶτος υἱὸς Ἀγρίππας, ἐπὶ Ῥώμης ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ τρεφόμενος παρὰ Κλαυδίῳ Καίσαρι. Nonnulli cum Carolo Stephani, *in Lexic. Histor. voc. Agripp.* Agrippæ regnum extendunt ad *annos* LVI. Qvorum fallit calculus. Nam regnum *Agrippæ* nullum fuit ante *Chalcidis* : qvod *octavô annô Claudii* delatum, *Ant.* XX. *c.* III. & inde protentum ad *Trajani tertium*, illam minimè acqviret summam.

Memorabile est, qvod & *Agrippa* Junior fuit dictus *Herodes.* Nam *in Tract. Sanhedr. capit. Chelech* : בר כוזבא מלך תלתא שנין ופלגאי אמר להן לרבנן אנא משיח פרשי״ עם מלכות הורודוס היה : *Bar Cozba regnavit tribus annis & dimidiô : Dixit autem Rabbinis, Ego sum Messias.* Glossa R. Salomonis : *cum regno Herodis fuit.* Herodes illic est *Agrippa Junior* : cujus scilicet tempore ille *Bar-Cozba*, (aliis *Ben-Cozeba*, vel *Ben-Coziba*, filius mendacii & falsitatis) dum *Titus* obsideret urbem, interfectus est. Iterum Talmud, *in Sanhedr. eod. cap.* בר כוזבא מלך תלתא שנים ופלגא אמר לחם לרבנן אנא משיח אמרו ליה במשיח בתיב דמימח ודאין נחזי בך אי מריח ודאין כיון דחזיאו דלא מריח ודאין קטלוהו : *Bar-Cozba regnavit tribus annis & dimidio. Dixit enim ad Magistros : Ego sum Messias. Dixerunt ei : de Messia scribitur* (*Esa.* XI. 3.) *quòd odorans erit & judicare* [odorandô sciens qvis

qvis reus & qvis innocens] *videbimus ergo num tu odorandô valeas judicare. Cúmqve vidissent qvòd non esset odorans, & judicans, occiderunt eum*: Differentia aliqva est in Gemara, *Sanhedr. c.* XI. *fol.* 93. 2. בר כוזיבא מלך תרתין שנין ופלגא אמר להון לרבנן אנא משיח אמרו ליה במשיח כתיב דמורח ודאין ניחזי אנן אי מרח ודאין כיוון דחזייה דלא מריח ודאין קטלוה׃ *Bar Çoziba regnavit duos annos & medium: Dixit autem Rabbinis, Ego sum Messias. Dixerunt ipsi, de Messia scriptum est, qvòd odoretur certissimè*, (solo odore discernat sontem ab insonte, sic exponit R. Salomo) *videbimus igitur num odoreris certissimè. Postqvàm viderunt eum non odorari certissimè, occiderunt eum.* Et hæc hactenus, *Bar Cozeba* autem sub *Hadriano*, prius dictus *Ben-cocheba*, alius impostor fuit: nempe occisus non à Judæis; sed ab *Hadriano*. † Sicut *Num.* 76. Ut cùm alter horum fuerit sub *Herode*, & alter sub *Hadriano*; confundi ab Altingio, *in Schil.* IV. *c.* XI. non debuerint.

Deniqve: etiam qvædam apponenda sunt de *Jacobo* suprà ab *Anano* lapidatô. Nominatur ille sim-

† At Maimonides occisum refert, atqve hinc deprehensam ejus imposturam; de Regibus cap. 11. med. ר׳ עקיבה חכם גרול מחכמי משנה היה והוא נושא כלין של בן כוזיבא המלך והוא היה אומר עליו שהוא המלך המשיח ודמה הוא וכל חכמי דורו שהוא המלך המשיח עד שנהרג בעונותיו כיון שנהרג נודע שאינו ולא שאלו ממני חכמים לא אות ולא מופת? *R. Akiba magnus sapiens fuit inter sapientes Mischnæ, & armiger Ben Cozibæ regis. Ipse verò dixit de hoc, qvòd esset rex Messias: & cogitavit tam ipse, qvàm omnes suæ ætatis sapientes istum esse regem Messiam, donec occisus fuit propter iniqvitates suas. Postqvàm occisus fuit, innotuit, non fuisse; Non autem postulârunt ab eo sapientes signum vel prodigium.*

ſimpliciter Jacobus *Act.* xv. 13. & xxi. 18. *Gal.* ii. 9. vel cum addito ; frater domini. *Gal.* i. 19. *Joſeph. Ant.* xx. *c.* viii. *confer Math.* xiii. 55. *Marc.* vi. 3. Patribus dicitur cognomentô *Juſtus. Hegeſipp. Hypommen.* vide *Euſeb. Hiſt. Eccleſ.* ii. *c.* xxiii. *Hieron. ad Gal.* i. ſino, δικαιότατος· δι' ἀκρότητα τῆς μετ' ἀρετῆς κατὰ τὸν βίον, φιλοσοφίας τε καὶ θεοσεβείας &c. *Clem. apud Euſeb. loc. cit.* Erat enim vir tantæ ſanctitatis & amoris in populo, ut fimbriam veſtimenti ejus omnes certatim niſi ſint attingere: *Hieron. loc. cit.* Natales qvod attinet: Pater ei fuit *Joſephus*, Salvatoris nutritius ; qvi eum & *Joſen*, *Judam*, *Simeonem*, ſed & *aliqvot filias*, (*Math.* & *Marc. loc. ſupr*) ex uxore ante *Mariam*, ſuſtulit. Epiphanius, *lib.* ii. *adv. Hæreſ. Tom.* ii. *p. m.* 636. inqvit: παρῆλθεν Ἰάκωβος ὁ πρῶτος ἐπισκοπεύσας ἐν ἱεροσολύμοις, ὁ ἀδελφὸς ἐπικληθεὶς τοῦ Κυρίου, παῖς ὢν τοῦ Ἰωσὴφ ἀπὸ τῆς ἰδίας αὐτοῦ γυναικὸς γεννηθεὶς, σὺν τοῖς λοιποῖς αὐτοῦ ἀδελφοῖς, οἷς συνανατραφεὶς ὁ Κύριος Ἰησοῦς χριστὸς, ὁ ἀπὸ Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου κατὰ σάρκα γεννηθεὶς, ἐν τάξει ἀδελφῶν ἔσχε, τοῦ καλεῖσθαι αὐτῶν ἀδελφὸς &c. Unde & *Judas*, frater Jacobi, *Math.* xiii. 55. *Marc.* vi. 3. Hegeſippo, *apud Euſeb. Hiſt.* iii. *c.* xv. ſtatuitur ὁ ἀδελφὸς κυρίου λεγόμενος κατὰ σάρκα. *Patria* fuit villa *Sechania* : niſi fallunt Talmudici. Midraſch Kohelet, & Aboda Zarah, *c.* ii. inqvit: ר' אליעזר בן דמה נשכו נחש ובא יעקב איש כפר סכניא לרפאותו בשום פלוני ולא הנוה ר' ישמעאל אל' אין אתה רשאי בן דמה: *R. Eleazarum filium Damah momordit Serpens: venitqve Jacobus vir de villa Secania, ad curandum eum in nomine talis. Et non permiſit ei R. Iſmael, ſed dixit ei: non licet tibi fili Damah.* Et Gloſſa *En Miſchpath* : ובא יעקב איש כפר שכניא אמו לרפואותו

בשם

:בשם רבו ישו *Acceſſit Jacobus de villa Schechania, ut ſanaret eum in nomine Magiſtri ſui Jeſu.* Hæc illi. *Jacobum*, cùm adoleviſſet, *Hieroſolymorum Epiſcopum* fuiſſe, tota penè concinit Antiqvitas. *Cyrill. Hieroſol. Catecheſ.* IV. *Auguſtin. expoſit. Epiſt. ad Galat. Epiphan. loc. ſupr. Hieronym. in Catal. Script. Haym. Hiſt. Eccl.* I. *c.* XXVI. *Niceph. Hiſt.* II. *c.* XXXVIII: inſtitutum ſcilicet, vel ab ipſo Servatore: *Chryſoſt. homil.* XXXVIII. *in* I *Cor.* XV. vel, (qvod magis veriſimile;) ab Apoſtolis. ὣ πρὸς τῶν ἀποστόλων, inqvit Clemens *apud Euſeb. loc. cit.* τῆς ἐπισκοπῆς τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐγκεχείριστο θρόνος. Et ſimilia habet Euſebius, *Hiſt. Eccleſ.* II. *c.* XXI. Διαδέχεται, inqvit, τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου Ἰάκωβος, ὁ ὀνομασθεὶς ὑπὸ πάντων δίκαιος *&c.* Ut mirum non ſit, cur cùm plures eſſent *fratres Domini*, *Math.* XIII. 55. 56. *Marc.* III. 31. 32. I *Cor.* IX. 5. Jacobus tamen ſolus aut præcipuè, ob officii & rerum aliarum claritatem, *frater Domini* ſalutatus fuerit. Nam ſtupenda de ipſo memorat Antiqvitas. Hegeſippus, *Hypomn. cit. Euſeb. loc. ſup.* inqvit: *Hic ab utero matris ſuæ ſanctus fuit, vinum & ſiceram non bibit, animalium abſtinuit carnibus, novaculâ caput nunqvàm raſum fuit, corpus oleô non unctum, aut ablutum balneô. Huic uni licebat in Sancta Sanctorum ingredi, veſtibus utebatur non laneis ſed lineis,* (Sindone juxta *Haymon.*) *Solus in templum intrare ſolitus fuit, & ibi genibus poſitis veniam populi pro peccatis poſtulare: ut genua ipſi, qvòd tam crebrò adoraverit, cameli inſtar tuberculis obduruerint. Qvi propter ſingularem juſtitiæ præſtantiam, Juſti &* Obliæ, (*qvod populi præſidium & Juſtitia dici poſſet*) *nomen, ſicut Prophetæ memorant, invenit.* Eadem habet Haymo, *Hiſt. Ec-*

clef. loc. cit. Epiphanius autem, (qvem Nicephor. *Hist Ecclef.* II. *c.* XXXIX. XL. feqvitur) præterea adjicit, *Hæref.* LXXVIII qvòd in *perpetua virginitate vixerit, adolefcens fuerit qvi captô Chriftô linteum dimiſit, qvòd Johannem & Jacobum vitæ focios habuerit, bracteum geftaverit, aliqvando in ficcitate pluvias impetraverit, calceamenta non induerit, & deniqve annô ætatis XCVI, poft Chriftum affumptum circiter vigefimô qvartô, à Fullone lignô percuffus in caput, poftqvàm illæfus è Templi pinnis effet dejectus, animam depofuerit.* In qvo *mortis* genere *Alii* confentiunt: fed diverfis circumftantiis. Clemens & Haymo, *loc. alleg.* referunt, qvòd Judæi videntes Paulum elapfum, *Act.* XXVII. I. vim deinceps in *Jacobum* verterint: & dum ille rogatus, ut Chriftum abnegaret, tantò magìs publicè eum commendaverit, ejectum eum de Templi πτερυγίοις, dum genibus pofitis oraret vel pro hoftibus, fullonis vecte cæfum interemerint. Hegefippus autem *loc. cit.* culpam maximè rejicit in *Pharifæos.* Hos enim & Scribas, ad *Jacobum* acceffiffe, ut pro auctoritate fua, plebem avidè fe Chrifto dantem, feftô Pafchatos publicè dehortaretur. Cùm ille tamen pro officii fanctitate, totis viribus egerit contrarium: & Chriftum federe à dextris potentiæ & virtutis Dei, indéqve in cæli nubibus adfuturum. Itáqve Scribas & Pharifæos concitatos, furfum ad eum in pinnacula convolâffe, & indè eum detrufiffe. Qvô præcipitiô cùm non ftatim moreretur, dum in genua exceptus ad precandum fe componeret, *fullonem* fuperveniffe, qvi vecte caput fregerit. Hactenus *Patres*: Sed decepti hinc inde, (ut arbitror) ab *Apocryphis.* Neqve enim *Jofephus*, qvi αὐτόπτης rei effe potuit, *Jacobum* dicit *vecte* occifum; fed *lapidibus* interfectum. Ὁ ἄναξ, inqvit *Ant.*

Ant. XX. *c.* VIII. νομίσας ἔχειν καιρὸν ἐπιτήδειον, διὰ τὸ τεθνᾶναι μὲν Φῆστον, Ἀλβῖνον δ' ἔτι κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπάρχειν, καθίζει συνέδριον κριτῶν. καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἑτέρους, ὡς παρανομισάντων κατηγορίαν ποιησάμενος, παρέδωκε λευσθησομένους. Adhæc: Templi πτερύγια acutis verubus fuerunt consita, ut nè aves qvidem insistere potuerint. *Joseph. Bell. Jud.* VI. *c.* VI. multò minùs homines. Et cum Templi altitudo *centum* æqvâsset *cubitos*, *Joseph. Ant* XV. *c.* XIV. *Bell.* VI. *c.* VI mirum qvomodò inde aliqvis audiri potuit. *Bracteam* gestavit non *Jacobus*; sed *Johannes*. Uti asserit *Eusebius*, ex Epistola *Polycarpi*. Ingressus *Jacobi* in Sancta Sanctorum nimis qvàm prodigiosus est. Nam qvod soli licuit *generi Sacerdotali*, imò ex hoc, soli Pontifici, *Hebr.* IX. 7. *Joseph.* ἀλώς. *loc. cit* qvomodò licuisset homini, non dicam non *Pontifici*, aut *capaci Sacerdotii*. (orto scilicet ex *tribu Juda*) sed & habito pro *hæretico*? Deniqve: Si *Jacobus* martyr coronatus *annô ætatis* XCVI. Christi autem ascendentis *vigesimô quartò*, erit is Adolescens, qvi desertô fugit linteô; *Adolescens major vel septuagenariò*. Qvæ & alia pronum est hic deprehendere. Ut Baronius; *ad ann. Chr.* 68. his tam credulus esse non debuerit. Sed an *Jacobus hic* idem qvi *Alphæi*, & *Apostolus*? Affirmant plurimi, sed absqve ratione. Nam (1) ἐπίκλησις *fratris domini*, hoc non patitur. Etiamsi enim *Scripturæ* λέξει cognati interdum solent dici *fratres*: tamen nemo hoc probabit ex *Josepho*; aut qvòd illi *frater* sic accipiatur. Deniqve: *frater* κατὰ σάρκα, obstat. Finge tamen *fratrem* fuisse, hoc est: *cognatum*, an dabis rationem, ob qvam hic magis

gis *frater Domini* dici debuerit, qvàm *alii similes Christi* ἀνεψιοί. *Euseb.* III. c. x. aut ob qvam ille honoris justam habuit prærogativam: qvâ & primus sententiam ferre in concilio. *Act.* xv. 13. 19. & Petro ac aliis στύλοις Ecclesiæ *Gal.* II. 9. potuerit anteponi. (2) Jacobus Hierosolymis tanqvàm Episcopus semper hæsit. *loc. supr.* & *Act.* xv. 13. & xxi. 18. *Gal.* I. 19. & II. 9. At *Alphæo*, aut alicui ex Apostolis minimè sic licuit esse sedentario: jussis scilicet in mundum universum ire &c. *Marc.* xvi. 15. *Math.* xxviii. 19. *Act.* I 8. Unde hoc nostrum argumentum contra Pontificios: *Petrus fuit Apostolus, ergò non Romæ Episcopus.* Et conversim. (3) Fratres Domini clare distingvuntur ab Apostolis. Nam post adoptatos à Christo xii *Apostolos*, & inter eos τ̃ Ἀλφαίου, qvi cum ipso essent, foris veniunt *mater* & *fratres*, & mittunt de colloqvio. *Marc.* III 14 18. 31. 32. *Math.* x. 2. 5. *collat. cum Math* xii. 46. Adhæc: fratres Christi in eum non crediderant. *Joh* vii. 3. 5. An verò *Apostoli* in Christum non crediderant, aut opus habuerant foris stantes admissionem ad ipsum petere per internuncios? Novi, veteresqve, in sententiam contrariam, ex loco, *Gal.* I. 18. sunt inducti: qvasi *Paulus* dicens, ἕτερον τ̃ ἀποστόλων οὐκ εἶδον εἰ μὴ ἰάκωβον τ̃ ἀδελφὸν τ̃ Κυρίου, necessariò *fratrem Domini* appellâsset *Apostolum*: Cùm tamen particula εἰ μὴ sæpè sumitur pro ἀλλά.* velut *Luc.* IV. 26. 27. & ἐὰν μὴ. *Gal.* II. 16. & non semper *excipit*.

Possevinus, *Bibl. tom.* I. *lib.* II. c. LXI. & *tom.*

* Vide Nostrum Nold. in p. m. 92. Concordant. Particular.

tom. II. *lib.* XVI. *c.* XIV. *Josepho* facit injuriam, dum contendit eum, *caussam excidii Hierosolymitani potiùs Jacobi neci, qvàm morti Domino Jesu illatæ tribuere; & errare.* At nunqvàm & nuspiam *Josephus* ita statuit. Eusebius qvidem, *Hist Eccles.* II. c. XXIII. hoc de eo refert, ὁ γοῦν, inqvit, Ἰώσηπος, οὐκ ἀπώκνησε καὶ τοῦτ᾽ ἐγγεγράφως ἐπιμαρτύρεσθαι, δι᾽ ὧν φησὶ λέξεων: ταῦτα δὲ συμβέβηκεν ἰουδαίοις κατ᾽ ἐκδίκησιν Ἰακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου χριστοῦ. ἐπειδήπερ δικαιότατον αὐτὸν ὄντα οἱ Ἰουδαῖοι ἀπέκτειναν &c. Sed memoriâ lapsus est, aut ille, aut qvem seqvitur. Nam *Jonathanem* aut *Ananum*, *Pontifices* à sicariis interfectos, de qvibus similia narrat Josephus, *Ant.* XX. *c.* VI. *Bell. Jud.* IV. *c.* VII. per errorem pro *Jacobo* sumpsit. Aut hæc hausta ex *Apocrypho.* In *Josepho* certè altum est silentium. Imò, si *Josephus* diceret, an ideò hallucinatus esset? nego eqvidem: *Disparatorum unum, alterum non evertit.* Qvamqvàm nemo non mallet à *Josepho*, qvàm Maimonide, *tract. de Regib. c.* XI. dici: וזה גרם לאבד ישראל בחרב ולפזר שאריתם ולהשפילם ולהחליף התורה: *Et ille*, (Jesus Nazarenus) *caussam dedit ut perderetur Iischraël gladiô, & dispergerentur reliqviæ ipsorum, & humiliarentur ipsi, & mutaretur Lex &c.*

71. DRUSUS.) In pubertate mortuus. *Ant.* XIIX. *c.* VII.

72. BERNICE.) Qvasi βάρος νίκης: vel Macedonicè, pro φερενίκη. Ad eum modum, qvô βίλιππος pro φίλιππος. Teste Plutarchô, *Quæst. Græc.* XCI. Græcis ferè *Bernice*: ut Latinis, *Berenice.* vulgò *Veronica.* βασιλὶς & *Regina* dicta *Bell. jud.* II. *c.* XV. *Tacit.* & *Sveton. infrà.* Decimum sextum annum ætatis agebat, cùm *Pater* moreretur: nupta tum

He-

Herodi patruo. *Ant* XIX *c.* IV VII. Post cujus excessum, *Ant.* XX. *c.* III. fratri adhærere cœpit: non sine probro vulgaris famæ. Creditum enim fratri per incestum mixtam. *Ant.* XX. *c.* V. Unde Chrysostomo, *apud Cornel. à Lap in Act* XXV. 13. uxor Agrippæ dicta. In cujus qvasi arrham spurcitiæ, anulum illum pretiosum acceperat; de qvo Juvenalis, *Satyrâ* VI. *v.* 156.

- - - Deinde adamas notissimus, & Berenices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa Sorori:
Observant ubi festa merô pede sabbata Reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Ubi, cùm *Poëta* loqvitur de Regibus, qvi *merô*, id est; nudô *pede* festa celebrant: & *porcis senibus indulgent*, id est; parcunt, alludit mentione *Berenices*, ad ritus Judaicos: qvatenus *Judæi* lege majorum vota nudipedes pro salute nuncupabant. *Bell. jud.* II. *c.* XV. & suillæ carnis esu abstinebant. *Levit.* XI. 7. *Tacit. Histor.* V. *c.* IV. Etsi malè addat *Tacitus*, cum *Justino*, *Histor. lib.* XXXVI. *c.* II. qvasi id fieret cladis memoriâ, qvòd ipsos qvondam scabies turpaverat, cui illud animal obnoxium. Hierosolymis *Bernice* cùm esset propter *votum*, magnum vitæ adiit periculum. Nam cùm ea, in populi seditione contra *Florum*, nudis pedibus veniret ad tribunal, & *Florum*, civibus ut parceret, deprecaretur, *Florus* non modò ei non assensus fuit; sed & milites ita efferati, ut obvium qvemqve tantô magis ejus sub conspectu trucidaverint. ausuri etiam aliqvid in *Bernicen*, nisi ea in aulam se proripuisset, & eam armatis probè munivisset. *Bell. jud. loc. cit.* Bellô autem à Judæis excitatô, cùm *ipsius*, & *fratris* lacrymis populus non posset retineri. *Bell. jud.* II. *c.* XVI. *Hegesipp.* II. *c.* IX. Ber-

nice

nice ad Romanos transiit. Ibi clarior ei fama orta: cùm paulatim *Vespasianos* Duces, *Flavium* qvidem donis & munificentiâ; *Titum* autem corporis obseqviô, magnâ arte sibi devinciret: Brevi in eam elata potentiam, ut etiam *Vespasiano Patri*, usui esse ad imperium potuerit. De qvo Tacitus, *Histor.* II. *c.* LXXXI. 3. *Nec minore*, inqvit, *animô Regina Berenice juvabat partes*, [Vespasiani scilicet, nitentis ad imperium:) *florens ætate famâqve, & seni qvoqve Vespasiano magnificentiâ munerum grata. Titum* certè ità occupaverat, ut cùm is in urbem ad *Galbam* missus esset, & *Corinthum* jam venisset, desideriô ejus vertisse iter, & in Judæam reversus creditus fuerit. *Tacit. Hist.* II. *c.* II. 2. Qvi etiam tanqvàm pro comperto addit: *Juvenilem Titi animum à Berenice non abhorruisse.* Judæâ & urbe Hierosolymâ subactis, *Bernice* cum *fratre* Romam venit. Ibi qvomodò habita fuit, ipso lubet ex *Autore* discere: Βερενίκη (inqvit *Xiphilin. in Vespasian. p.* 223. A. ἰσχυρῶς τε ἤνθει, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ἐς τὴν ῥώμην μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Ἀγρίππα ἦλθε. καὶ ὁ μὲν στρατηγικῶν τιμῶν ἠξιώθη, ἡ δὲ ἐν τῷ παλατίῳ ᾤκησε, καὶ τῷ Τίτῳ συνεγίγνετο. προσεδόκα δὲ γαμηθήσεσθαι αὐτῷ, καὶ πάντα ἤδη ὡς καὶ γυνὴ αὐτοῦ οὖσα, ἐποίει. ὥστ᾽ ἐκεῖνον δυσχεραίνοντας τοὺς ῥωμαίους ἐπὶ τούτοις ᾐσθημένον, ἀποπέμψασθαι αὐτὴν &c. *Per id tempus Berenice maximè florebat, & ob eámqve caussam cum Agrippa fratre Romam venit. Ille Prætoriis honoribus auctus fuit: Hæc habitavit in palatio, cœpitqve cum Tito consvescere. Sperat eam Tito nuptum iri: Jam enim omnia, ac si fuisset uxor, administrabat. Sed Titus, cùm intelligeret Populum Romanum id molestè ferre, eam repudiavit: præsertim qvòd de iis magni rumores jam exorti essent.* Hæc ille. Et de *amore* qvidem, & *repudio Berenices*, passim alii. Svetonius VIII. *in Tit. c.* VII. inqvit: *Præter sævitiam, suspecta in*

Tito etiam luxuria erat: qvòd ad mediam noctem commissationes cum profusissimo qvoqve familiarium extenderet. Nec minùs libido, propter exoletorum & spadonum greges, proptérqve insignem Reginæ Berenices amorem: cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. Et paullò pòst: *At illi ea fama pro bono cessit, conversáqve est in maximas laudes &c. Berenicen statim ab urbe dimisit, invitus invitam.* Sext. Aurelius, *Epit. histor. in Tit. c.* XXI. inqvit: *ut subiit pondus Regium, Berenicen nuptias suas sperantem, regredi domum præcepit.* Atqve etiam addit: *c.* XX. extr. *Cæcinam, Consularem adhibitum cœnæ, & vixdum tricliniò egressum, ob suspicionem stupratæ Berenices interfectum.* Qvamqvàm apud Svetonium, *lib.* VIII. *c.* VI. invenies: *cum necatum* urgente discrimine. *Qvòd deprehensum chirographum, qvò continebatur præparata ejus apud milites conjuratio.* Uter autem ex his verum dixerit, seu an dixerit uterqve, non tam certò fortean perspicies, ac qvòd erraverit seu *Dio*, seu *Xiphilinus*; qvi Berenices repudium narrant sub rebus *Flavii Vespasiani*: qvæ tamen primùm dimissa à *Tito*, cùm hic pondus Regium subiisset, *per Aurel. suprà.* id est: postqvàm *Titus* jam esset Imperator factus, Patre mortuô. Verba *Xiphilini in rebus Vespasiani* sunt: ὥστ᾽ ἐκεῖνον δυσχεραίνοντας τοὺς ῥωμαίους ἐπὶ τούτοις ᾐσθημένον, ἀποπέμψασθαι αὐτήν. *Ut etiam* Titus, *sentiens Populum Romanum ægrè ferre, eam* [hoc est, Berenicen] *repudiaverit.* Fuit igitur dimissa Berenice: & qvidem *ab Urbe*; & qvidem *domum. Per Autorem suprà.* Qvæ domus ei alia nulla esse potuit, qvàm in fratris regno. Sicut illìc vici ejus. *Vit. Joseph. p. Gelen.* 1007. Ut saltem obliqvè refutentur, qvi negant *Regnum Agrippæ ad hoc tempus duravisse.* Ceterùm, *Berenice*, qvæ invita non

modò

modò ipsa; sed & *Titô* invitô fuerat abdicata, amoris impatientiâ, & fortè etiam sperans qvòd *Titus* iteratò capi posset, *Romam* rediit. Qvam tum qvidem spes fefellit: postqvàm *Titus*, *qvi solus tenuit imperium, nec cædes fecit, nec amoribus servivit; sed comis qvamqvàm peteretur insidiis, & continens, qvamqvàm Berenice in Urbem fuerat reversa.* Ita Xiphilinus. *Epit. Dion. in Tit.* princ. p. m. 224. A. ὅδε δὴ, inqvit, Τίτος οὐδὲν οὔτε φονικὸν, οὔτε ἐρωτικὸν μοναρχήσας ἔπραξεν· ἀλλὰ χρηστὸς καίπερ ἐπιβουλευθεὶς, καὶ σώφρων καίτοι καὶ τῆς Βερενίκης ἐς ῥώμην αὖθις ἐλθούσης, ἐγένετο. τάχα μὲν γὰρ καὶ μετεβάλετο.

Et sic artes meretriciæ elusæ sunt, & *Bernice* è summa iterum lapsa, certè depressa & ad modicum redacta, serò tandem pœnas tulit *libidinis*, *fastûs*, & *contemptûs verbi*: qvas in illa fœditates *partim* loca profana suprà adducta, *partim* sacræ literæ coarguunt. Certè cum *fratre* & *Festo* Paulum vinctum auditura, non modò advenit μετὰ πολλῆς φαντασίας, *Act.* XXV. 23. sed &, cùm *Paulus* animos subiret, & Deum graviter inciperet orare, ut omnes qvi ipsum audirent, similes seu Christiani fierent, illa qvasi indignam eam vocem rata, mox surrexit, & cum fratre se subduxit. *Act.* XXVI. 30. *Opinor*, inqvit Annalium Scriptor ad ann. Chr. 58. num. 164. *pravi dæmonis factum invidiâ, qvòd Agrippa Paulum dicentem non siverit ulteriùs progredi: nè* (qvod fecerat coram Felice, Act. XXIV. 25.) *de justitia, Castitate, & judicio futuro, qvâ Agrippam potissimùm & Berenicen perstringeret, institueret orationem; sed citiùs, qvàm oportuit, idem Rex conventum solverit. Liberos* Bernice nullos habuit, præterqvàm ex *Herode*: eósqve *Berenicianum* & *Hircanum*. *Ant.* XX. c. III. *Bell.* c. X. Cur autem τὸ ὑρκανὸν, Latini potiùs *Hircanum* pronuncient qvàm *Hyrcanum*, æstiment peritiores.

Ex qvibus ita compositis liqvet, qvàm malè Schrevelius, *in Juvenal Satyr.* VI *v.* 155. ea probet *Lubini*, qvòd *Bernice*, de qva Poëta suprà, Regina sit Judææ: & *Agrippa*, conjugis Bernices frater. Nam *Bernice* fuit Regina Judæa, non *Judææ*, qvippe *Chalcidis*: Et non *hic*; sed *Agrippa Major*, conjugis Bernices frater. Pejus rem corrupit *Scholiasta Vetus*, dum per *Agrippam* intellexit *Posthumum*: qvasi is *Juliæ* Sorori, cum qva habuisset incestum, anulum de qvo *Juvenalis*, obtulisset. Nam *Juliam* qvidem ob stupra ejectam notat Historia, [*Vellej lib.* II. *Tacit. Annal.* IV. *c.* LXXI. *Dio, Hist.* LV. *Zonar. Tom.* II. *Annal in August. conf. Macrob.* II. *Saturn. c.* V.) ut & *Agrippam* ob morum feritatem: *Tacit. Annal.* I. *c.* III. IV. *Dio, loc. cit.* sed neutrum *ob incestum.*

Patet etiam qvàm ineptè Baronius, *in Annal. ad Ann. Chr.* 58. *num.* 64. *Juvenalem* suprà à nobis productum explicat *ex Plinio*: *Ejusdem*, inqvit, *meminit Juvenalis occasione pretiosissimi adamantis his versibus. Deinde adamas notissimus* &c. *qvi qvidem alludere videtur pretioso lapidi illi, qvem priùs dedit Ptolemæus Ægypti Rex, uxori simul & matri. Verùm Plinius, Hist. Nat.* XXXVII. *c.* VIII. *tradit fuisse topazion.* At *Plinii* verba sunt: *Egregia etiamnum Topazio gloria est, suò virenti genere* &c. *juba Topazon insulam in rubro mari sitam* &c. *tradit nebulosam, & ideò qvæsitam sæpè navigantibus, ex ea caussa nomen accepisse. Topazin enim Troglodytarum lingvâ significationem habere qværendi. Ex hac primùm importatam Berenicæ Reginæ, qvæ fuit mater seqventis Ptolemæi, à Philemone præfectò Regis, ac mirè placuisse: & indè factam statuam Arsinoæ Ptolemæi Philadelphi uxori,* (eidemqve Sorori) *qvatuor cubitorum, sacratam in delubro, qvod aureum cognominabatur.* Hæc ille, perqvam alienè à *Baro-*

ronio? Nam *Juvenalis* loqvitur de adamante, & in anulo: *Plinius* de topazio, & eo rudi, aut in statua. Deinde: falsò Baronius, *Ptolemæum dedisse matri.* Dedit enim *Philemon*, præfectus: & qvidem *matri Ptolemai seqventis.* Ut is *seqvens* si esset, jam non esset in imperio, & sic neqve ut *Rex* dare posset. Sed nè qvidem ex *Plinio* elici potest, qvod donârit *Arsinoæ.* Nam is statuam ei factam refert; non refert autem à qvo factam aut dicatam. Mirum itaqve *Baronio* sic videri. Nam nobis certè *Juvenalis* tamdiu *de uno* videbitur loqvutus *Agrippâ*, donec potest ostendi alius, qvi *incestæ sorori adamantem dederit*: ad qvem potuit *Poëta* alludere. Neqve enim *vox olim*, rei semper diu præteritæ est.

Sabellicus deniqve, *in paraphr. ad Sveton. Tit.* errorem geminat: cùm existimat *Berenicen Tito adamatam*, priùs *Aristobuli*, hinc *Antipatri* fuisse uxorem. Qvæ ex *Num.* 49. qvàm absurda sint, intelliges. Cum illic demonstretur, *Bernicen Aristobuli*, sub *Tiberio* fatis functam: & sic *Tito* minimè fuisse in pretio. constátqve eam secundô matrimoniô junctam non *Antipatro*, sed *Avunculo Antipatri.*

73. M. ALEXANDRI.) Rarâ fortunâ, patre, patruô, & fratre, illustrissimi. *Pater* fuit *Alexander Lysimachus*, Judæus Alexandrinus sui temporis ditissimus: qvi in ea civitate *Alabarcha*, (de qvo *Num.* 78.) & inde apud Urbem *Procurator matris Claudii* fuit. In qvo officio cùm offendisset *Cajum*, Princeps immitis in custodiam eum duci fecit. Qvâ posteà *Claudius*, cùm alia *Caji* acta rescinderet, ut amicum veterem dimisit, & restituit. *Ant.* XIX. *c.* V. Ut malè Baronius, in *Annal. ad Ann. Chr.* 48. *num.* 30. *à Tiberio* vinctum & à *Cajo* dimissum referat. Pietas ejus commendatur,

Ant. XX. *c.* III. & munificentia in Templum, *Bell. jud.* VI. *c.* VI ubi dicitur IX. ejus portas aurô & argent obduxisse. Qvod ipsum tamen pretiosâ prodigalitate posteà igne Romanorum fluxit. *Bell. jud.* VII. *c.* IX. *Hegesipp.* VII. *c.* XLII. Ex qvo constat errorem iterâsse Baronium, cùm *ad Ann. Chr.* 33. *num.* 260. donationem hanc dicit factam à patre Alexandri, *Tiberio.* Cæterùm ζητούμενον est: *an hic Alexander sedit Hierosolymis in Concilio contra Apostolos? de qvo Act.* IV. 6. Affirmant Baronius, *ad Ann. Chr.* 19. *n.*260. *& Ann. Chr.* 42. *n.* 36. Cornelius à Lapid. *in Act.* IV. 5. *p. m.* 109. Usserius, *Annal. ad Ann. Chr.* 36. *p. m.* 623. & plurimi. Nos negamus. Judices enim rerum hæreticarum habitabant Hierosolymis: *Alexander* autem vixit *Alexandriæ.* Certè non fuit Hierosolymorum incola. *Jus judicandi Pseudo prophetam* penes solum *Concilium Magnum* fuisse constat ex Libro Sanhedrin, *distinct. mamonoth.* & R. Mose Majemonid. *in Jad Chazakah. tract. Sanhedrin,* *c.* I. אין דנים לא את שבט ולא נביא הקשר ולא את כהן גדול אלא בין דין של שבעים ואהד: *Non judicabant Tribum, neqve Pseudoprophetam, neqve Sacerdotem Magnum, nisi domus judicii septuaginta unius.* Scilicet: constabat hoc Concilium ex LXX Senioribus Israëlis. *Exod.* XXIV. 1. 9. *Num.* XI. 16. 24 (lectis *senis* ex singulis tribubus, & deinde *binis*, per schedulas separatis. *Sanhedr. c.* I. *fol* 17. 1.) unde dictum γερουσία τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. *Act.* V. 21. Qvibus addebatur *Præses.* Ex illis LXX, aliqvi erant *Principes* seu *Primores populi*: (dicti ἄρχοντες, *Luc.* XXIII. 13. *&* XXIV. 20. πρεσβύτεροι; *Math.* XXVII. 12. 41. *&* XXVIII. 12. *Marc.* XIV. 53. *& xv.* I. *Luc. xx* I. ἄρχοντες καὶ πρεσβύτεροι, *Act.* IV. 5. ἄρχοντες τοῦ λαοῦ, *Act.* IV. 8. πρεσβύτεροι, vel πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, *Math. xxi.* 23. *&* XXVII.

XXVII. 1. *Luc.* XXII. 66. πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, *Luc.* XIX. 47.) qvi alii non fuerunt, qvàm capita XI politicarum tribuum, 1 *Chron.* XXVII. 1. & 2. *Chron.* V. 2. *collat. cum* 2. *Chron.* XIX. 8. Aliqvi *Principes* seu *Summi Sacerdotum* (dicti ἀρχιερεῖς, *Math* XXVI. 3. *&* XXVII. 1. 41. *Marc.* XIV. 53. *Luc.* XIX. 47. *&* XXII. 66. sicut שרי הכהנים 2 *Chron.* XXXVI. 14. seu γένος ἀρχιερατικόν. *Act.* IV. 6.) id est: capita XXIV classium Sacerdotalium. 1 *Chronic.* XXIII. 23. *&* XXIV. 4. 5. 31. & in his primus, S. Pontifex. Neqve enim ἀρχιερεῖς hi esse possunt Summus Pontifex: qvippe hic unus, *Joh.* XI. 49. *&* XIIX. 13. neqve omnes alii Sacerdotes: qvia sic *Synedri* essent plures LXXI. Aliqvi *Scribæ*, seu γραμματεῖς. *Math.* XXVI. 3. 57. *Marc.* XIV. 53. *&* XV. 1. *Luc.* XIX. 47. *&* XX. 1. 2. *&* XXII. 66. *Act.* IV. 5. Qvi & illi Sacerdotes, sed scribendæ & interpretandæ legi dediti. *Jerem.* XXXV. 6. 32. *Psalm.* XLV. 2. Unde νομοδιδάσκαλοι. *Luc.* V. 17. *collat. cum v.* 21. *&* *Math.* IX. 3. *Act.* V. 34. Ex *Scribis* itaqve legebantur in Senatum, XXXIV. *aut* XXXV. qvi cum capitibus familiarum numerum *Synedrii* complerent. *Præses* autem in Ecclesiasticis, לכל דבר יהוה erat *Summus Pontifex*: in Civilibus autem לכל דבר המלך *Princeps Judæ.* 2 *Chron.* XIX. 11. prout lites omnes ad *Sacerdotes*, & *Summum Judicem* remittuntur. *Deut.* XVII. 9. 12. Unde & Jeremias, XIX. 1. Testes jubetur assumere ex *Senioribus Populi*, *&* *Senioribus Sacerdotum.* & Codex Joma, *c.* 1. §. 5. מסרוהו זקני בית דין לזקני כהונה: *Tradunt eum Seniores Senatus juridici, Senioribus Sacerdotalibus:* Et de S. Pontifice satis constat ex praxi adversus Christum & Apostolos. *Math.* XXVI. 57. 62. 63. *Marc.* XV. 53. 60. *f.* *Luc.* XX 54. *Joh.* XI. 47. 57. *&* XIIX. 13. 19 24. *Act.* IV. 6. *&* V. 17. 21. 27. *&* VI. 15. *collat. cum* VII. 1. *&* IX. 1. 2. *&* XXII. 5. 30. *&* XXIII. 1. 2. 3. *&* XXIV. 1.

Joseph. Ant. XX. *c.* VIII. Ubi verò Synedrium dividitur in ἀρχιερεῖς & ἄρχοντας, *Luc.* XXIII. 13. & XXIV. 20. vel πρεσβυτέρους, *Matth.* XXVI. 57. 59. & XXVII. 1. 3. 12. 20. *Act.* XXIII. 14. 20. [qvamqvàm *Act.* IV. 8. dividatur etiam in ἄρχοντας τοῦ λαοῦ, & πρεσβυτέρους τοῦ Ἰσραήλ: ſicut in ſeniores & primores Iſraëlis. *Joſ.* XXIII. 2. & XXIV. 1. nam *Judices* ibi, *minores Judices ſunt. Exod.* XIIX. 21. Et *Act.* XXIV. 1. in Ἀρχιερέως καὶ πρεσβυτέρους.] includuntur *Scribæ* ſub ἀρχιερεῦσι: & ſignificat ἀρχιερεὺς, non *primarium ex Claſſibus*; ſed *omnem Sacerdotalem ſedentem in Concilio*: oppoſitè ad alios Sacerdotes, qvi non *Synedri*. Ut non ſit opus cum *Aliqvibus* exiſtimare, poſterioribus temporibus *Eccleſiaſticos fermè ſolos* conſtitutos, aut eos Synedrii poteſtatem omnem tenuiſſe. Nam ſecus toties non diſtinxiſſent *Evangeliſtæ* inter *Judicii Seniores* atqve *Sacerdotes*: ut non aliâ cauſsâ *Sacerdotes* potiſſimùm in rebus Chriſti & Apoſtolorum memorati ſint, qvàm qvòd ipſorum, & non *Politicorum*, fuerit præſidere in *Eccleſiaſticis*. Cur tamen ex *ordine Sacerdotali* plures lecti in Senatum ſunt, explicat Abrabanel *in Leg. fol.* 366. *col.* 2. ita inqviens: שרוב הסנהדרין היו מהכהנים והלויים המשרתים
את פני יי׳ והיה זה לסבות. מהן להיותם פנויים מבלי
טורה ועמל הנהלות והקרקיעות׳ כי לא היה להם חלק
ונהלה עם ישראל ולכן היו עוסקים תמיד בלמוד התורה
ומשפתית. והיה וותר מוכנים לעמוד בדבר המשפט. ומהם
כי להיותם משרתי יי׳ וכהנים לאל עליון היתה הכמתם
יתרה ויראת שמים בקרבם כפי עבודתם התמידית.
ומהם שלהיותם עובדים בבית המקדש היו נכנסים משם
ללשכה: *Qvòd plurimi in Synedrio fuerint ex Sacerdotibus & Levitis, miniſtrantibus coram facie Domini. Factúmqve illud ob rationes varias. Ex illis eſt: qvòd eſſent otioſi, citra onus & moleſtiam hæreditatum & fundorum: neqve enim fuit ipſis portio aut hæ-*

hæreditas cum Israële. Qvocirca incubuerunt jugiter studio Legis, & judiciorum ejus: fueruntqve magìs parati, qvi consisterent in negotio judicii. Ex illis etiam est, qvòd, cùm essent ministri Dei, & Sacerdotes Deo altissimo, excelluerint sapientiâ, & timore Dei in medio sui, propter perpetuum suum ministerium. Ex illis qvoqve est, qvòd cùm ministrarent in domo sanctuarii, inde statim ingrederentur in conclave. Qvamqvàm verò *hoc Concilium* per Herodem tolleretur; (*Caussam* addit Thalmud, *in Bava Bathra*: אמר מאן דריש מקרב אחיך תשים עלין מלך אסרו לו רבנן קם וקטלינהו לכלהו רבנין שייריה לבבא בן בוטא. *Dixit* Herodes Synedrio. *Qvis legit, ex medio fratrum tuorum Regem pones super te? Deuter* XVI. 15. *Dixerunt ei Magistri. Surrexit ergo & occidit omnes Magistros reservato sibi Babâ, filiô Butha &c.* Scilicet: Herodem ut alienigenam noluerunt agnoscere; ut *Gloss. ibid.*) tamen mox idem fuit restauratum, seu ex Proselytis. *Phil.* II. *de temp.* (potuisse enim vel *jure*, Proselytos admitti in Synedrium, patet ex *Madianitis &c.* זכו בני בניו של יתרו וישבו בלשכת הגזית: *Meruerunt posteri* Jethronis, *ut sederent in conclavi cæsi lapidis &c.* Sanhedr. *c.* II. *fol.* 104 I. & 106. I.) seu ex Pollionis & Sameæ asseclis: fortè τοὺς περὶ πολλίωνα καὶ σαμίαν. *Joseph. Ant.* XV *c.* XIII. *coll. cum Ant. lib.* XV. *c.* I. & *lib.* XIV. *c.* XVII.) Nam *Herodes*, cùm sæviret in reliqvos assessores, *Pollioni* huic & *Sameæ* pepercit: memoriâ beneficiorum. *Joseph loc. prox.* Videtur autem *Pollio* ille fuisse *Hillel*, (Pater Rabbinorum,) & *Sameas*, *Schammæi*. Nam ut Josephus, *loc. cit.* refert, qvòd *Sameas* fuerit *Pollionis* discipulus, & qvòd uterqve in pretio apud Herodem &c. id de *Schammai* etiam, & *Hillele*, Rabbini. שמאי תלמיד אשר להלל הזקן *Schammai, qvi fuit discipulus Hillelis Senis.* Gorion. *lib.* V. *c.* IV. Et porrò: והוא אהב

 אוה

:ושמאי ופיעתם את החכמים הלל *Ipſe* Herodes, *amavit Sapientes, Hillelem & Schammai, horumqve cœtum. Chron. Reg templ. ſecund. fol.* 54. *col.* 2. Ex qvibus Judices reſtitutos, mox patebit. Qvamqvàm adhæc XL *annos* ante Templi excidium, migrârint etiam hi reſtituti Judices è camera ſua dolata prope Templum, (Cod. Midd. *c.* v. §. 3. vocat לשכת הגזית ſeu conclave lapidis cæſi. conf. *Jerem. xxxv.* 4.) in *Hanuth* ſeu *Tabernas*: qvòd viderent ita creſcere maleficia, ut judicandis iis non putârint ſe ſufficere: *Aboda Zara, c.* 1. *fol.* 8. *diſtinct. liphne edeben. & libr. Sanhedrin, cap. hajou bodech.* (Codex Roſch haſſchana, *fol.* 31. inqvit: גלתה סנהדרין מגמרא מלשכת הגזית להונות ומהנות לירושלים ימיר״ ליבנה ומיבנה לאושה ומא לשפרעם ומשפרעם לבית שערים ומבית שערית לצפרי ומצפרי לטבריא: *Migravit Sanhedrin omnino ab exedra cæſi lapidis ad tabernam, à tabernis* (nam alii legunt הניות) *in ipſam civitatem Hieruſalem, inde Jabnam,* J*abnâ Ouſam, Ousâ Schaphream, inde Bethſchearaim, hinc Tzipparim, tandem Tiberiadem.*) tamen ויש לומר דמכל מקום כשהיו רואין צורך שעה היו הוזרין אל הלשכה ודנין שם: *dicendum eſt nihilominus, qvando videbant aliqvam neceſſitatem temporaneam, ipſos repetiiſſe Cameram, ibíqve judicâſſe.* Gloſſ. *En Miſpath.* & Synedrium continuatum, idqve *Hieroſolymis.* Ut conſtat ex *rebus Apoſtolorum*: ſuprà; etiam poſt migrationem; & ex *Flavio, Ant. xx. c.* VIII. qvi Synedrium refert convocatum paulò ante excidium, tum ab *Anano*, contra Jacobum: tum ab *Agrippa Juniore*, ſuper ſtolis Levitarum. Et clariſſimus locus eſt Abrabanel. *in Daniel. fol.* 22. *col.* 3. גם בבית שני בהיות אם מלכים מן חשמונים ומבית הורודוס תמיד היה בירושלים עם הסנהדרין נשיא מבית דוד ומהם היה הלל הזקן ושמען בנו *Etiam tempore templi ſecundi, cùm ibi eſſent Reges ex Chaſmonæis, & ex familia*

He-

Herodis, jugiter fuit Hierosolymis cum Synedrio majore, Princeps de domo Davidis: qvalis fuit Hillel Senex, & Simon filius ejus &c. Certum itaqve, qvòd duraverit hoc Concilium: idqve *Hierosolymis*.

Qvò minùs capio, qvomodò *Alexander hic*, & habitare potuit in *Ægypto* ut Alabarcha; & tamen *Prophetæ judex* esse Hierosolymis. Nam certè, qvô tempore Concilium *Act.* IV. 5 6. fuit habitum contra Apostolos, annò scilicet *Christi* XXXVI. prout ἀναμφίλογον, *Alexander hic* erat Alabarcha Alexandriæ: ubi nempe eodem annô *Agrippa* ab ipso sumpserat viaticum. *Ant.* XIIX. *c.* VIII. Dico, *eodem annô.* Nam *Agrippa* Romam venerat annô ante mortem Tiberii. *Ant.* XIIX. *c.* VII. Imperavit verò Tiberius annos XXII. cum aliqvot mensibus. *Bell jud.* II. *c.* VIII. Qvia ergò *annus XXX* Christi, est XV Tiberii, *per Luc.* III. II. 23. I. erit utiqve XXXVI Christi, XXI Tiberii, qvô Concilium habitum, & Agrippa *Alexandrum* Alexandriæ convenit: & qvidem ut illic civem atqve Alabarcham. *Ant.* XIIX. *c.* VIII. Ut membrum Synedrii Hierosolymis tum non fuerit. Qvòd Hieronymus *in Catalog.* eum agnoscat *Sacerdotalem*, nihil attinet. Neqve enim probandum, qvòd esset *Sacerdos*; sed qvòd simul ἀρχιερεὺς aut γραμματεὺς: imò, qvi sedem haberet Hierosolymis. Nam *Sacerdotes, Scribæ extra urbem*, utiqve haud σύνεδροι. Donare etiam *absens* potest. *Augustus & Conjunx* donaverunt Templo urceos, calices, phialas &c. *Bell. jud.* VI. *c.* XVI. *Phil. in Legat. ad Cajum.* & Templum refertum donariis omnium Asiæ Regum. *Ant.* XIII. *c.* VI. *confer Bell.* VI. *c.* VI. Qvorum pauci viderant Hierosolymam: nedum ut illic habitarent, aut in magistratu essent. Et hæc paulò largiùs de *Patre Marci.*

Patruus ejus fuit *Philo. Ant* XIIX. *c.* X. vir doctissimus. Cujus tanta erat apud Græcos admiratio, ut

palam dixerint: ἢ πλάτων φιλωνίζει, ἢ φίλων πλατωνίζει. *Phot Bibl. cod.* ρε'. Josepho, *loc. cit.* dicitur ἀνὴρ τὰ πάντα ἔνδοξος, καὶ φιλοσοφίας οὐκ ἄπειρος. Qvibus majora habet Eusebius, *Histor. Ecclesiast.* II. *c.* V. Cùm Alexandrini Judæis concivibus molesti essent, *Philo* ad *Cajum* Legatus missus fuit. *Joseph & Euseb. supr.* & (si fides Hieronymo, *de Script. Eccles. c.* 11.) etiam ad *Claudium* De priore legatione *ipse Philo*, sicut alia pereruditа, scripsit. Hieronymus, *loc. cit.* & *Haymon. Hist. Eccles* II. *c.* XXII. referunt, in legatione eum Romæ amicitiam cum *Petro* contraxisse: addítqve *Photius*, à Christianis eum ad Judæos defecisse. Sed meritò Baronius, *Annal. ad Ann Chr.* 42. *num.* 26. dubitat, qværítqve: *Qvô Autore Photius post annos* 890 *illud prodiderit, qvod à nullo antiqvorum patrum scitum fuit?*

Frater fuit *Tiberius Alexander*: & illa officiis rerúmqve usu præclarissimus. Eqves adhæc Romanus illustris. *Tacit. Annal.* XV. *c.* XXVIII. Claudius eum *Judææ* præfecit: & demotum hâc potestate octavô annô Claudii, *Ant.* XX. *c.* III *Bell. jud.* II, *c.* X. XI. Nero etiam Ægypto præposuit. *Bell. jud.* II. *c.* XV. Tacitus, *Histor.* I. *c.* II. inqvit: *Ægyptum copiásqve, qvibus coërceretur, jam inde à Divo Augusto Eqvites Romani obtinent locô Regum. Ita visum expedire provinciam aditu difficilem, annonæ fæcundam, superstitione ac lasciviâ discordem & mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum, domi retinere. Regebat tum Tiberius Alexander, ejusdem nationis.* Hæc ille. Paullò ante videtur *Corbuloni* bello minister datus, contra Parthos; ejusdémqve ad *Tiridatem* legatus. *Tacit. Annal* XV. *c.* XXVIII. Alexandriæ autem Judæos multos rebellantes sustulit. *Bell jud.* II. *c.* XXI. & *Vespasiano* viam fecit ad imperium, dum exstinctô Galbâ, primus Legiones in ejus verba adegit. *Bell. jud.* V. *c.* II. & VI *c.* I. *Heges. Excid.* IV. *c.*

c. XXVIII. Tacitus iterum, *Histor.* II. *c.* LXXIX *initium*, inqvit, *ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriæ cœptum, festinante Tiberio Alexandrô, qvi Kal. jul. sacramento ejus, legiones adegit. ísqve primus principatus dies in posterum celebratus.* Qvô eqvidem beneficiô *Alexander hic* posteà gratus apud *Vespasianos*, toti exercitui *Titi* contra Judæos fuit præfectus, & consultor adhibitus. *Bell. jud.* VI. *c.* I. in qvo illud benè meruit, qvod Templi excidium, cum *Tito*, dehortatus sit. *Bell. jud.* VII. *c.* IX. Nam in aliis parum sanctè se gessit, dum non modò nullâ re læsus arma tulit contrà patriam; *Bell. jud. loc. cit.* sed & prorsus ad paganos transiit. *Ant.* XX. *c.* III. Ex qvibus constat qvàm ineptè Montacutius, *apparat.* V. *num.* 49 *p. m.* 162. *Post Fadum*, inqvit, *venit Tiberius Alexander, illustris Eqves Romanus, sed Judæus Alexandrinus genere, Philonis τȣ̃ πάνυ Germanus*, (falsum: nepos ex fratre,) *qvi deinceps Alabarches Alexandriæ*, (non, Præfectus Augustalis: pater, Alabarcha,) *exstitit: & tandem sub initio Galbæ*, (imò verò sub Nerone,) *præfectus Ægypti Augustalis.* Hæc ille.

Ceterùm: *Marcus Alexander*, *Bernicæ* desponsatus, ante nuptias diem suum obiit. Unde *Bernice* in uxorem data Regi Chalcidis. *Ant.* XIX. *c.* IV.

74. 75. *Polemonis: Agrippæ.*) Cùm fama percrebresceret, *Bernicen* per incestum *fratri* corpus dare, *Bernice* volens restingvere hos rumores, agit cum Rege Cilicum *Polemone*, ut sacra Judaica amplecteretur, & seduceret. Et nuptiæ qvidem, *Polemone* captô feminæ opibus, jam tum procedebant; sed non ita diu pòst *Bernice* ab ipso ad fratrem recessit: (caussa ferebatur *Polemonis* ἀκολασία) & *Polemon* ad idola rediit. XX. *c.* V. Videtur etiam *Rex Ponti* fuisse. *Ant.* XIX. *c.* VII. Patri scilicet à *Cajo* surrogatus. *Dio, Hist. Rom.* LIX.

76. TITI VESPASIANI.) Fortè à titulis, *autore Festô*,

Festo, hoc est: militibus, qvasi tutulis, qvòd tueantur. Unde Persius, *Sat.* 1. 20.

Ingentes trepidare Titos. - - -

Fuit autem hic *Titus*, Princeps laudatissimus, & eâ morum sanctimoniâ & probitate, ut indecorum duxerit tristem aliqvem à Principe discedere. *Haym. Hist.* III. *c.* II. & cùm qvadam nocte super cœnam intelligeret, qvòd nihil boni illo fecisset die, exclamârit: *Amici! diem perdidi. Hieron. in Epist. ad Galat.* Unde, cùm *Gordianus*, (teste *Cordo*,) *Populi Romani deliciæ* fuit adpellatus, *Titus* non unius populi, sed totius *generis humani amor deliciæqve* salutatus fuerit, *Tantum*, (inqvit Svetonius, *lib* VIII. *in Tit. c.* I. *f.*) *illi ad promerendam omnium voluntatem, vel ingenii, vel artis, vel fortunæ superfuit: & qvod difficilimum est in imperio, qvando privatus atqve etiam sub Patre Principe ne odiô qvidem, nedum vituperatione publicâ caruit: ita solus Principum in melius mutatus est.* Rectissimè. Nam qvi adolescentiam egit lætam voluptatibus. *Tacit. Hist.* II. *c.* II. & privatâ vitâ, *crudelitate, luxu*, & *libidine* Infamis fuit. *Sveton. loc. cit. Aurel. Vict. in ejus vit.* qvin suspectus vel de parricidio. *Xiphil. Epit. Dion. in Vespas.* admissus ad imperium, principatum ita rexit, ut in eo scelus non ediderit. ὥστε μηδ' ἁμαρτίαν ἵνα αὐτῷ ἐγγενέσθαι.) Qvamobrem eum pleriqve ita cum *Augusto* comparant, ut negent & *illum*, si priùs decessisset, & *hunc* si vixisset diutiùs, clarum posteris nunc fuisse. Nam & *Augustum* initiô hostibus circumventum & sic asperum, longô tempore opus habuisse, ut gratiam redintegraret: *Titum* autem, cùm primùm cœpisset benefacere, raptum: ut necdum, emergens decus corumpere aut obscurare potuerit. *Xiphilin. Epit. in Tit.*

Tit. Maximè illuſtris fuit bellô in Judæos: qvô etiamſi ſub ipſius ductu, *Hieroſolyma* urbium Orientis clariſſima, *Plin. lib.* V. *Hiſt. Nat. c* XIV. & *Templum*, opus omnium, qvæ audivimus aut vidimus, maximè admirabile, *Joſeph. Bell.* VIII. *c.* X. everterentur: ipſe tamen per omne bellum miſeratus populum, qvod à ſeditioſis ageretur; & ſæpè conſultò differri paſſus urbis excidium, protractâ obſidione, ſi fortè autores belli pœniteret. *Joſeph. in prolog Bell. jud. confer Bell. jud. lib.* VII. *c.* XIII. XXIII Ut cùm Judæi eum *malum* vocent, (זה אספסיאנוס קיסר זה טיטוס הרשע בני: *Ille eſt Veſpaſianus Cæſar &c. ille eſt Titus neqvam filius ejus.* Lib. Echa Rabati, *in cap.* I. *Thren. v.* 5.) id ex ira & odio ſit: qvemadmodùm etiam Imperium Romanum, *regnum neqvam* ſolent adpellare. Aboda Zara, *cap. liphne edehen.* מאה ושמונים שנה עד שלא חרב הבית פשטה מלכות הרשעה על ישראל: *Centum & octuaginta annos ante deſtructionem domus, poteſtatem habuit regnum neqvam ſuper Iiſchraël.* Poteſtate *biennium* uſus *Titus*, cum *aliqvot menſibus*, febri, aut venenô à fratre impio propinatò, obiit; Qveſtus ſibi vitam eripi immerenti: neqve enim ullum ſuum factum pœnitendum exſtare, præter unum. *Xiphilin. in Tit. Oroſ. lib* VII *c.* VI. Illud autem, an *parricidium*, vel *inceſtus cum uxore fratris*, vel qvale demum fuerit, in incerto eſt. Id conſtat: *Domitianum*, fratrem, mortem ei impiè acceleràſſe, dum eum adhuc reſpirantem, & nondum morbô deſperatô, in arcam plenam nivibus conjiceret, qvò citiùs exſtingveretur. *Xiphilin. loc. cit.*

Qvià autem *Bellum Judaicum*, Titi geſtum auſpiciis, maximè fuit memorabile, (τὸν γὰρ ἰουδαίων πρὸς ῥωμαίους πόλεμον, μέγιστον, οὐ μόνον τῶν καθ᾽ ἡμᾶς, σχεδὸν δὲ καὶ ὧν ἀκοῇ παρειλήφαμεν, ἢ πόλεων πρὸς πόλεις, ἢ ἐθνῶν ἔθνεσι συῤῥαγέντων. *Joſeph. in Prol Bell. jud*) juvabit & illud paucis attingere; ſed præeunte *Tacitò*: qvi cùm

Hiſt.

Hist. V. *c*. IX. X. XI. XII. XIII. argutè rem immensam paucis verbis exseqvitur, dignus nobis visus est, qvi exscribatur: additâ tamen, ubi opus, explicatione. *Claudius*, inqvit, *defunctis Regibus aut ad modicum redactis, Judæam provinciam Eqvitibus Romanis aut libertis permisit. E qvibus Antonius Felix, per omnem sævitiam ac libidinem jus regium servili ingeniô exercuit &c. Duravit tamen patientia* Judæis, *usqve ad Gessium Florum, Procuratorem. Sub eo bellum ortum & comprimere cœptantem Cestium Gallum Syriæ legatum, varia prælia ac sæpius adversa excepêre.* Hìc pauca interfabimur. *Caussam* belli deducit *Tacitus* ex *Felicis* & *Flori* Præsidum, tyrannide. Non immerito. fuit enim Flori certè ea crudelitas, ut velut non ad regendam provinciam, sed ad damnatorum pœnas carnufex missus, nec rapinis nec cædibus modum fecerit. ἁλώς. II. *c*. XIII. XIV. Qvi altiùs tamen rem inspiciunt, perditissimos gentis Judæorum mores, & tyrannidem in Christum & Ecclesiam deprehendunt. Qvòd & Christus eò pœnam referat. *Math*. XXIII. 37. 38. *Luc*. XIII. 34. 35. Et ipse Scriptor Judaicus testetur, *Bell*. VI. *c*. XI. μήτε γενεὰν ἐξ αἰῶνος γεγονέναι κακίας γονιμωτέραν. *Nullam nationem post hominum memoriam malitiâ ferociorem fuisse.* Imò, *Bell. lib*. VI. *c*. XVI. & ex eo *Euseb. Hist. Eccles*. III. *c*. VI. asserat: οἶμαι ῥωμαίων βραδυνόντων ἐπὶ τοὺς ἀλιτηρίους, ἢ καταποθῆναι ἂν ὑπὸ χάσματος, ἢ κατακλυσθῆναι τὴν πόλιν, ἢ τοὺς τῆς σοδομῆς μεταλαβεῖν κεραυνούς. *Puta*, inqvit, *si Romani contra noxios venire distulissent, aut hiatu terræ absorbendam fuisse civitatem, aut fulminum Sodomæ incendia excepturam.* Bellum primò erupit *Cæsareæ*, annô Imperii Neronis XII. regni autem Agrippæ XVII. mense Majô. *Bell. jud*. II. *c*. XIII. atqve inde instar fulguris prorupit super totam gentem: incolis passim arma capientibus, tributa negantibus, & hostias, qvæ pro salute Cæsaris à longo tempore offerri solebant, seditiosè abrogan-

gantibus. *Bell. jud* II. *c.* XVI. XVII. aucta iis fiducia postqvam VIII. *Novembr.* Romanum exercitum Duce *Cestiô* profligâssent. *Bell. jud. lib.* II. *c.* XXIV. & qvòd ex sacris literis didicissent, qvòd circa id temporis qvidam ex Palæstina Orbis imperiô potirentur. Hoc enim, non de Vespasiano eqvidem, ut *ἀλώς. lib.* VII. *c.* XII. & *Tacit. infr.* sed æterno cæli terræqve Rege circa hæc tempora missô, intellectum, Judæi ad se temerè transferebant: qvasi sibi satis ea destinata essent. Post qvem excursum, reduci debet *Tacitus*, qvi sic *lib.* V. *Hist. c.* X. inqvit: *Qvi* (Cestius) *ubi fatô aut tædiô occidit, missu Neronis, Vespasianus*, (qvem solum *Nero* invenit tantis parem necessitatibus: virum à puero armis exercitum, & rebus jam antè in Occidente & Britannia gestis clarum. Joseph. *Bell jud lib.* III. *c.* I.) *fortunâ, famâqve, & egregiis ministris, intra duas æstates, cuncta camporum, omnesqve præter Hierosolyma*, (& castella, Herodion, Machærunta, & Masadam. *ἀλώς. lib.* V. *c.* VIII. *& lib.* VII *c.* XXV. XXVIII.) *urbes victore exercitu tenebat. Proximus annus civili bello* (inter Galbam, Othonem, & Vitellium. *ἀλώς.* V. *c.* VI. VIII. XII.) *intentus; qvantum ad Judæos, per otium transiit. Pace per Italiam partâ*, (Vespasianô in Imperatorem delectô) *& externæ curæ rediêre. Augebat iras, qvòd soli Judæi non cessissent. Simul manere apud exercitus Titum*, (qvem pater Vespasianus, Romam properans, Ducem contra Hierosolymam reliqvit; *Bell. jud.* V. *c.* XIV.) *ad omnes principatus novi eventus, casúsve utilius videbatur. Igitur castris, uti diximus, ante mœnia Hierosolymorum positis, instructas legiones ostentavit c.* XI. *Judæi sub ipsos muros struxêre aciem: rebus secundis longiùs ausuri, & si pellerentur, paratô perfugiô. Missus in eos eqves cum expeditis cohortibus*, (numerô sexcentorum, *Joseph. ἀλώς.* VI. *c.* II.) *ambiguè certavit* (imò in fugam actus: Titô ipsô ab hostibus penè seclusô & captô, nisi viam gladiô aperuisset,

ruisset. *Joseph. loc. cit.*) *Mox cessêre hostes, & seqventibus diebus crebra pro portis prælia serebant: donec assiduis damnis intra mænia pellerentur. Romani ad oppugnandum versi &c. Sed urbem arduam situ,* (in collibus) *opera molésqve firmaverant, qvis vel plana satis munirentur. Nam duos colles immensum editos,* (super qvibus urbs constructa. Nam erant præter hos *duo alii*: unus in qvo templum cum Antonia; & alter *Bezetha*, in qvo nova civitas. ἁλώς. VI. c. VI.) *claudebant muri* (ordine terni. *Joseph. supr.*) *per artem obliqvi, aut introrsus sinuati: ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis* (utriusqve) *abrupta*: (& profunditate vallium inaccessa,) *& turres, ubi mons juvisset, in sexaginta pedes: inter devexa, in centenos vicenosqve attollebantur, mirâ specie, ac procul intuentibus pares.* (Discrepat Josephus, *loc. cit.* Nam turres *vulgares* CLXIV, *nonaginta* scilicet in tertio muro; *qvatuordecim* in medio, & *sexaginta* in muro intimo seu antiqvo, XX cubitis muros cubitorum XXV superabant: *Præstantissimarum* autem *qvatuor*, *Psephina* erat LXX cubitorum: *Hippicos*, LXXXV: *Phasaëlus*, circiter XC: & *Mariamme*, LV. qvam altitudinem vertex montis juvit ad summum XXX cubitis.] *Alia intus mænia, Regiæ circumjecta*, [cujus illa fuit magnificentia, anteqvàm fuit *à latronibus* incensa, ut neget *Flavius* se posse describere] *conspicuôqve fastigiô turris Antonia, in honorem M. Antonii ab Herode adpellata.* [in angulo duarum porticuum templi splendidè exstructa, altitudine XL cubitorum, colle editô ad qvinqvaginta cubitos. *Turris* dicta, qvòd eam præ se ferret speciem, qvatuor aliis turribus stipata: cùm usu & ambitu *arx* vel *civitas* dici potuisset. Nam ut *Templum* qvasi civitatis fuit castrum; ita Templo, *Antonia*. Unde hîc semper stata præsidia, si qvid populus in Templo novare vellet. *Joseph. loc. cit. & Ant.* XV. c. XIV.]

Tem-

Templum † *in modum arcis, propriiqve muri*, [terni qvidem primò circà collem; & simplex insuper circa Sanctum Sanctorum] *labore & opere ante alios. Ipsæ porticus* [duæ numerô, à columnis marmoreis pretiosissimè sustentatæ,] *qvis templum ambiebatur, egregium propugnaculum* [aliqvamdiu enim Templum defenderant. *Bell jud.* IV. *c.* V. *&* VII. *c.* IX.] *Fons perennis aqvæ, cavati sub terra montes: & piscinæ cisternæqve servandis imbribus. Prævidderant Conditores, ex diversitate morum, crebra bella. Inde cuncta, qvamvis adversus longum obsidium: & à Pompejo expugnatis metus atqve usus pleraqve monstravêre. Atqve per avaritiam Claudianorum temporum, emptô jure muniendi*, [imò interdictô, *Joseph. Ant.* XIX. *c.* VII. *Bell.* VI. *c.* VI.] *struxêre muros in pace, tamqvàm ad bellum: magnâ colluvie, & ceterarum urbium*, [maximè Galilææ, qvam primò in potestatem Vespasianus redegit] *clade aucti: nam pervicacissimus qvisqve illuc perfugerat*, [latrones scilicet plurimi, adventantibus Romanis, uno agmine irruperant: qvibus aucti *Zelotæ*, Idumæorum insuper XX millia attraxerant. *Bell. jud.* IV. *c.* V. VI. VII.] *eóqve seditiosiùs agebant. Tres Duces, totidem exercitus. Extrema & latissima mænium, Simon*: [filius Gioræ, Tyrannus immanissimus. Ex præside latro, ex latrone dux exercitus factus, Idumæam subegit. *Bell.* V. *c.* VII. Inde auctus movet Hierosolymam, & *Zelotas* illic sævientes pellit, & in templo obsidet. *Bell.* V. *c* IX. *&* VI. *c.* I. IV. Mox Romanis accedentibus fortiter se opponit: donec cum urbe in manus veniret, & in triumfo tandem Romæ interficeretur. *Bell.* VII. *c.* XVII. XIX. XXIV] *Mediam urbem Johannes*: [Leviæ filius; patriâ Giscalæus: homo callidus, neqvam, & perjurus. *Bell.* III. *c.* XXVI. desperatâ patriæ defensione contra Titum, noctu Hierosolymam aufugit: ubi à *Zelotis*, cum qvibus proditô *Ananô* consilia agitave-

† pergit Tacit. V. Hist. XII.

 rat;

rat, pro Duce receptus, primò Templum, *Bell. Jud.* IV. c. IV. V. & dehinc Idumæorum ope, totam urbem subigit, donec à partium aliarum ductoribus, *Simone* & *Eleazaro* potentia ejus coarctaretur. *Bell.* IV. *c.* VII. *&* V. *c.* I. III. IX. *&* VI. *c.* I. IV. Urbe captâ, ex cloacis, ad qvas confugerat, extractus, & à Tito ad carceres perpetuos damnatus fuit. *Bell.* VII. *c.* XVII.] *qvem & Bargioram vocant:* [imò verò *Simon* fuit Bargioræ, non Johannes.] *Templum Eleazarus* [qvi à Johanne secedens, templum occupavit, & ex amico ejus hostis factus fuit. *Bell.* VI. *c.* I.] *firmaverat. Multitudine & armis Johannes, ac Simon: Eleazarus locô* [templô in edito collocatô] *pollebat. Sed prælia, dolus, incendia, inter ipsos, & magna vis frumenti ambusta.* [granariis publicis in cineres redactis. *Bell.* VI. *c.* I. *Mox Johannes, missis per speciem sacrificandi,* [in festo Azymorum, armis sub vestibus occultatis. *Bell.* VI. *c* IV.] *qvi Eleazarum, manúmqve ejus obtruncarent, templô potitur. Ita in duas factiones civitas discessit, donec propinqvantibus Romanis, bellum externum concordiam pareret. c.* XIII. *Evenerant prodigia &c. visæ per cælum concurrere acies, rutilantia arma, & subitô nubium igne collucere templum. Expassæ repente delubri fores,* [Josephus, *Bell.* VII. *c.* XII. hoc asserit de porta templi ænea orientali, per se aperta, cùm vix à viris viginti claudi posset] *& audita major humanâ vox, excedere Deos.* [at erat: migremus hinc. *Joseph. loc. cit.*] *Simul ingens motus excedentium.* [Josephus *cit. loc.* addit: cometem instar gladii per annum visum: bovem, cùm pro hostia duceretur, in fani medio agnum peperisse: Jesum qvemdam per annos septem & qvinqve menses *væ væ* qvotidiè super urbem proclamâsse &c.] *Qvæ pauci in metum trahebant: Pluribus persvasio inerat, antiqvis sacerdotum literis contineri, eô ipsô tempore fore, ut valesceret oriens, profectíqve Judæâ, rerum potirentur. Qvæ ambages*

Ve-

Vespasianum ac Titum prædixerant. Sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, nè adversis qvidem ad vera mutabantur. Multitudinem obsessorum omnis ætatis, virile ac muliebre sexus, sexcenca millia fuisse accepimus. [At falsô. Nam tempore obsidionis, *undecies centena millia* hominum, ferrô, peste, aut fame absumpta sunt: *nonaginta septem millia*, capta. *Bell.* VII. *c.* XXVII. Eusebius, *Hist. Eccles.* III. *c.* V. tricies centena millia numerat: qvi ex omnibus Orbis finibus eò ad festum convenerant, ac Romanis supervenientibus illic ut in carcere conclusi sunt. Gorionidem numerantem *millena millia & centum millia*, habemus suspectum.] *Arma cunctis, qvi ferre possent: & plures, qvàm pro numero, audebant. obstinatio viris feminisqve par: ac si transferre sedes cogerentur, major vitæ metus, qvàm mortis. Hanc adversus urbem gentémqve Cæsar Titus, qvando impetus & subita belli locus* (muris & vallibus inaccessus) *abnueret, aggeribus vineisqve certare statuit. Dividuntur legionibus munia* (totus exercitus tripartitò dividitur ad aggerem erigendum. *Bell.* VI. *c.* VII. XI.) *& qvies præliorum fuit:* [obsessis per aggeres excurrere prohibitis. Id qvod maximè contigit, postqvàm Titus, priori aggere ab hostibus incensô, murum non ampliùs triduô urbi undiqvaqve circumduxit. *Bell.* VI. *c.* XII. XIII. XIV. Qvod jam ante falsis lacrumis prædictum. *Luc.* XIX. 43.) *donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres, aut novis ingeniis, struerentur.*

Hic desinit *Tacitus*. Qvem ex *Aliis* supplebimus. Cùm obsessorum Hierosolymis tanta esset pertinacia, ut nec metu, nec adhortatione, *Bell.* VI. *c.* VII. XI. XV. & VII. *c.* IV. nec fame, (qvâ ad esum fimorum & stercorum, qvin humanæ carnis fuit ventum, *Bell. jud.* VI. *c.* XVI. & VII. *c.* VII.

VIII. XIV.) ad deditionem compelli possent, *Titus* urbem oppugnandam statuit. Itaqve aggeribus, ut dictum, excitatis, urbis muros arietibus aggreditur, & dejectos ordine in potestatem redigit. *Bell.* VI. *c.* VIII. IX. X. XI. Dehinc vineas ducit in *Antoniam*: Qvâ sine, *Templum*, [ut sine hoc, *oppidum*] capi vix potuit. Qvam & illam miles unum & alterum post assultum occupat. *Bell jud.* VII. *c.* II. Et jam Titus ad *Templum* perruperat, Judæíqve ipsi in furorem versi *porticus* incenderant, *Bell jud.* VII. *c.* V. cùm ex Romanis qvidam à socio sublatus, ignem in fenestram injicit: qvi mirum dictu, & fatis urgentibus proxima sic corripuit, ut intra paucas horas Templum augustissimum, Titô non minùs qvàm Judæis ipsis incendio frustrà occurrente conflagraverit. Incidit hæc calamitas, qvod mirari liceat, in *decimum Augusti*, & eumdem diem, qvô primum Templum anteà exustum fuit. *Bell. jud.* VII. *c.* IX. X. Seder Olam inqvit:
היה ר׳ יוסי אומר מגלגלין זכות ליום זכות וחובה ליום חובה
שכמצאת אומר בשחרב הבית בראשונה אותו היום מוצאי
שבת היה ומוצאי שביעי היתה ומשמרתו של יהויריב היתה
ותשעה באב היה וכן שניה ובזה הלוים עומדים
על דוכנן ואומרים שירה וישב עליהם את אונם: *Rabbi Jose dixit: Qvemadmodùm meriti remuneratio, etiam post longum tempus recidit ac revolvitur in eumdem diem, ita & peccati. Atqve id experimentô compertum est. Nam cùm anteà vastaretur templum,* (à Babyloniis) *erat extremum subbathi: & rursus extremum septimi anni erat. Prætereà erat septimana stationis* Joarib, *& nonus dies mensis Ab. Et ita qvoqve fuêre hæc omnia in secundo excidio. In utroqve autem Levitæ stabant in cathedra, recitabántqve oden hanc: retribuet illis iniqvitatem suam.*† Ita momentô corruunt vel splendidissima, & natura qvæ ad origines rerum parcè progreditur, ad ruinam toto impe-

† Ps. XCIV. 12.

impetu se effundit. Nec *Divini Vatis* flebile præsagium frustrà aut falsum esse potuit: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς ὐ μὴ καταλυθήσεται. *Matth*. XXIV. 2. *Octavô* qvi seqvebatur *Septembris*, superior civitas, in qvam *Simon* & *Johannes*, Duces rebellium cum reliqviis se receperant, & illa expugnatur: & sic finis obsidioni additus, annô imperii Vespasiani altero. *Bell. Jud* VII. c. XVI. XVII. Urbs tota excisa, bona rapta, & incolæ miserabiliter aut consumpti aut distracti. Si fides Rabbinis, tanta urbis fuit opulentia, ut vel *tres ex civibus* omnes incolas alere potuerint. Meminit *Talmud, in Gittin. c.* V. *fol.* 56. I. אספסיינים קיסר אתא צר עליה תלת שני היו בה הנהו תלתא עתירי נקדימון בן גורין : *Et mox* ובן כלבא שבוע ובן ציצית הכסת :חד אמר להו אנא זיינא להו בחיטי ושערי וחד אמר להו בדחמרא ובדמלחא ומשחא וחד אמר להו ובדציבי : *Vespasianus Cæsar venit, obsidens eam* (Hierosolymam) *tribus annis. Erant in ea tres isti divites: Nicodemus filius Gorionis, & Ben Calba Schabua, & Ben Zizith Hacheseth* Paullò post: *Unus horum dixit ipsis*, (Hierosolymitanis:) *Ego alam eos triticò & hordeô: & unus dixit eis, vinô, & sale, & oleô: & unus dixit eis, lignis.* Ad qvem locum *Glossa* addit: *Habuerunt hi tres divites, triticum, hordeum, vinum, & ligna, ad alendos omnes incolas urbis, annos & viginti.* Stetit autem *Hierosolyma*, à qvo sub Davide primùm venerat in potestatem, annos mille centum & septuaginta novem: ut nec antiqvitas, nec divitiæ, nec per totum orbem diffusa fama, aut religionis gloria, qvidqvam juverint, qvò minùs clade tam atroci lapsa sit. *Bell. jud.* VII. *c.* XVIII. Post cujus excidium, qvæ restabant arces, *Herodion* scilicet, *Machærus*, & *Masada*, etiam illæ à Romanis subjugatæ sunt: Et Cæsaris jussu terra vendita, præsidium-

diúmqve impositum octingentorum militum; qvibus *urbs Emaus* (nam omnia alia oppida perierant) ad sedem & ad habitandum data fuit. *Bell. jud.* VII. *c.* XXV. XXVI. XXVIII.

Hunc finem habuit seditio Judæorum. Cui alia æqvè lamentabilis paulò post successit sub *Adriano*:* qvum

* Magnam sanè rebus Judæorum cladem attulit Imperator Hadrianus; neqve enim ita Vespasiani vincere Judæos potuerunt, qvamvis maximis attritos calamitatibus, qvin sub Trajano majores spiritus caperent, aut rabie potiùs corriperentur. Qvi enim Ægyptum & Cyrenaicam incolebant, auctore Andreâ qvôdam Romanos pariter, atqve Græcos concidunt, & qvod nulla gens barbara fecerat, τὰς σάρκας ἐσιτοῦντο, *vescuntur eorum carnibus, edúntqve viscera, & sangvine se oblinunt.* Libya tum *interfectis cultoribus desolata est*, ut, nisi Adrianus colonos eodem deduxisset posteà, *penitus abrasô habitatore* (cum Orosio, hujus tragœdiæ scriptore, lib. VII. c. XII. extr. loqvor.) vacua illa penitus mansisset. Non minus in *Cypro* sævitum fuit, qvæ una insula CCXL. hominum millia, Xiphilinô notante, p. m. 255. A. edit. opt. Henr. Steph. M. IↃ. XCII. in fol. amisit. Graves Trajano pœnas Judæi dabant: exstingvi verò motus neqvaqvàm poterant, sed in dies serpebant latiùs, donec Trajanô mortuô regem sibi Judæi præficerent *Ben-Cochba*, qvasi *stellæ filium*, immani crudelitate in Christianos atqve Romanos sævientem. Periculi novitate motus Adrianus, Trajani successor, robustissimas legiones in Judæam misit, qvibus fregit illorum impetum captis L. munitissimis castellis, & cæsis hominum DLXXX millibus. Tandem omne bellum circa Be Thar (*Bitterem*) Judææ urbem maritimam collatum, nec finitum est priùs, qvàm munitissima urbs post diuturnam obsidionem fame ad sui deditionem compelleretur. *Euseb. IV. Hist. Eccl. c. VI.* Et ne putes fingi hæc à Christianis scriptoribus; ipsi Judæi vel æqvalem, vel majorem calamitatem confitentur: nec negant,

qvùm Judæi iterum ſub novo *Bar-Cozba*, (*Pug. Fid. p. m.* 258. 261.] tumultuari & arma ſumere cœperunt. Audiamus ipſos confitentes reos. Ganſius, † *ad Ann.* 3880. inqvit. בן בוזיבא

gant, Bar Cochba pro Meſſia à ſuis habitum eſſe. In Sepher Juchaſin (*p.* 35. *B. edit. Cracov.*) ex Maimonide recenſent de R. Akiba, כי היה נושא כליו של בן כוזיבא מלך בישר קשתב שהוא משיח *qvòd fuerit armiger Ben Cozbæ* (ita ab eventu qvaſi *mendacii filium* nominant) *regis Be Thar, qvi ſe pro Meſſia venditaverat.* Licèt verò negent ibidem armigerum fuiſſe, hoc tamen largiuntur, multis ſignis perſvaſum Akibam initio crediſiſſe, שהוא משיח *Ben Cozbam Meſſiam eſſe.* Et in libro Schalſcheleth. (*p.* 108. *A. edit. Venet.* בימי ר׳ עקיבא היה חרבן ביתר ע״י אדריאנוס הקיסר והפליג להרע לישראל יותר מהשכי חרבנות והרג מהם כפלים מיוצאי משרים ויתר הנאשר הגלה לספרד *Tempore R. Akibæ everſa eſt Be Thar ab Adriano Cæſare, qvi Iſraëlitis plus damni intulit, qvàm prioribus excidiis perpeſſi erant. Occidit enim illorum duplò plures, qvàm ex Ægypto egreſſi fuerant: reliqvos captivos abduxit in Hiſpaniam.*

† *Chronologicô librô R. Ganz*, ſcribit Clariſſ. & bonis de litteris optimè meritus vir Dn. Chriſtoph. Cellarius in p. 49. Programm. IX. *qvem* Zemach David *vocat, deſtitutus perſeqvi materiam illam* de Bar Cozba *prohibebar nuper, p.* 46. *Multum enim ſpei habebam me inventurum in illa chronologia eſſe, qvod alii Judæi negârint: ſiqvidem Rabbi ille interdum candidus eſt & ingenuus, qvod vel ex ſola* CHRISTI *noſtri patria apparet, qvam alii invidiâ celant, ipſe verò parte* II *ad annum millenarii qvarti* DCCLXI *his verbis declarat*, ישוע נוכרי נולד בבית להם יהודה פרשה ומחצה מירושלים בשנת ג׳ אלפים ותש׳ כא ליצירה והיא שנת מ׳ב אגוסטי *id eſt*: Jeſchua Nazarenus natus eſt in Bethlehem Jehuda, ſesqvimilliariô ab Jeruſalem, annô MMMDCCLXI. ab orbe condito: qvi fuit annus XLII.

צוזיבא הנקרא בר כוכבא מרד ברומיים ויעשה את עצמו משיח. וע״כ נקרא בר כוכבא מפני שדרש ואמר שעלין נאמר דרך

Cæſaris Auguſti. *Etiam illud nobis gratum eſt, qvòd hic Judæus ferè ſolus Chriſtianorum Meſſiam* ישעוי Jeſchua *cum littera* ע *ſcribit, atqve ſic* Salvatorem *adpellat, cùm ceteri omnes, elementô* ע *demtô*, ישו Jeſchu *vel* Jiſchu *& ſcribant & pronuncient. Rationem myſterii impii R. Elias in Tiſchbi pag.* 42. *hanc revelat*, לפי שהיהודים אינם מודים שהוא היה המושיע לפיכך אינם רוצים לקראו ישוע והפילו תעין וקורין לו ישו qvia Judæi non concedunt, qvòd ille fuerit ſalvator, ideo nolunt ipſum vocare Jeſchua, ſed abjectô Ain, Jeſchu. *In hoc itaqve libro Zemach David, qvem diu deſideratum, nunc demum à Judæo accepi, parte I. pag.*41. *utramqve calamitatem, & qvam rebelles Judæi Romanis, & qvam Romani ultores Judæis attulerunt, non minùs graphicè, qvàm in Xiphilini aut Euſebii monumentis, deſcriptam invenio. In Africa enim, inprimis Alexandriæ, Ægyptia metropoli, occiſum à Judæis tradit* עם גדול ורב כחול אשר על שפת הים אשר לא יספר populum tantæ multitudinis, qvantæ eſt arena in litore maris, qvæ numerari neqveat. *Nec ſuorum cladem, ut multi faciunt, ſubticet hic Judæus, ſed genti ſuæ plus damni ait adlatum à* Trajano *Adrianóqve, qvàm à Nebuſar Adon, aut Tito Cæſare, Hieroſolymorum everſoribus. Nam circa ſolam regiam BarCozbæ urbem, Bittera*, ארבע מאות רבוי qvadringentas myriades, *vel decies centena millia Judæorum cæſa eſſe Talmudiſtarum ſuffragiô comprobat, nec deeſſe dicit, qvi maximum hunc numerum incredibili acceſſione auctum eant, ex qvo cladis magnitudo abundantiſſimè intelligi poteſt. Si cauſſam qværis calamitatis tantæ, tergiverſantur plerumqve Apellæ, nec fateri facilè ſolent, ſuô ſe jumentô tantum malorum funeſtámqve cladem advexiſſe. Fabulas enim & nugas adferunt Talmudiſtæ, indignas, qvæ huc transferantur. Expreſſit illas & Latinitate donavit* JOANNES LIGHTFOOT, *Anglorum facilè doctiſſimus, in Chorographia Matthæi c,* LII. *qvò cupidos fabu-*

דרך כוכב מיעקב וגו' ור' עקיבה עצמו כאשר ראהו אמר עליו היינו מלכא משיחא' והיהודים אשר בביתר משחוהו וכהרוהו עליהם למלך' ופרקו את עול הרומיים מעל' צוארם וגו עד שקיסר טריאנוס שלח עליהם את שר צבאו בן אחותו אדרינוס ויעשה בהם חרג רב אשר לא נשמעה ולא נראתה לא בימי נבוזר ארן ולא בימי טיטוס / וגו' חורבן ביתר לפחות נ ב שנה אחר חורבן טיטוס בן אספסינוס : *Ben Coziba, qvi dictus fuit Barcocheba, rebellavit contra Romanos, fecítqve semet ipsum Messiam. Propterea verò dictus fuit Barcocheba, qvia exponendo dixit de se loqvi textum* [Num. XXIV. 17.) *procedit stella ex Jacob &c. Et*

Vv 5 *ipse*

fabularum & nugamentorum ablegatos volumus. Plus candoris iterum auctor Zemach David præ se tulit, veram belli caussam hanc recensens, בן כוזיבא הנקרא בר כוכבא מרד ברומיים ועשה עצמו משיח Ben Coziba, qvi etiam Bar Cochba dicitur, rebellavit contra Romanos, & fecit se ipsum Messiam. *Tantâ verò clade adfecti ab impuro nebulone turpissiméqve elusi à* mendacii filio, *tamen honorificam ejus mentionem faciunt, & hôc ipsô significant, se pessimos etiam homines non parvi facere, à qvibus in libertatem restitui posse confidunt. R. Lipman Mülhusinus, in Nizzachon, num, 132. ut probet, non ita sceptrum à Juda ablatum fuisse Messiæ nostri seu Nazareni tempore, qvin subinde redierit ad illam gentem; hunc ipsum Bar Coziba allegat, qvi* לאחר הקרבן מלך בביתר post devastationem Titi regnaverit in Be Thar *seu* Bittere, *neqve hic solus, sed etiam, si diis placet,* בנו ובן בנו filius ejus, atqve nepos, *per successionem. Illud etiam, qvòd ipsi Judæi eventu edocti hunc impostorem pro* Stellæ filio, *communi suffragiô* בר כוזיבא *vel* בר כוזבא mendacii filium *adpellârunt, malè qvosdam superiore tempore habuit, ex qvibus auctor libri Juchasin, p. 35. B. contendit, cognomentum hoc non mali eventus significationem, sed* שם מדינה nomen provinciæ *esse, & patriam Ben Cochbæ declarare, qvasi verò Ebræi gentilitia nomina per* בן *vel* בר, *& provinciæ vocabulum describere in usu habeant. Vides sic, qvò mala caussa impudentissimos homines deduxerit.*

ipse R. Akiba, cùm vidisset eum, de ipso dixit: Hic est Rex Messias. Judæi autem qvi in Bitter, [Bethoron] *erant, unxerunt eum, & coronârunt eum Regem super se: & abstulerunt jugum Romanorum è collo suo &c. Donec Cæsar Trajanus,* [imò post hujus mortem hæc gesta] *misit contra eos Imperatorem sui exercitus, filium sororis suæ Adrianum, edidítqve inter eos stragem magnam, qvalis nec audita nec visa fuit Nebuzaradanis vel Titi tempore &c. Vastatio urbis Bitter secuta est ad minimum annos* LII. *vastationem Titi filii Vespasiani.* Pleniùs autem & per partes hæc narrat Liber Echa Rabati, *super Thren.* II. 2.

אר׳ יוחנן ר״ היה דורש דרך כוכב מיעקוב אל תקרי כוכב
אלא כוזב : ר׳ עקיבא כד הוה חמי ליה להדין בן כוזבא הוה
אומר היינו מלכא משיחא : ומה היה עושה בר כוזבא
היה מקבל אבני בליסטא באחת מארכובותיו וזורקן והורג
מהם כמה נפשות וקל זה אמר ר׳ עקיבא כך שלש שנים
ומחצה הקיף אדריאנוס לבתת וכו׳ ונלכדה ביתר ונהרג בר
כוזבא ואיתיו רישיה לגביה אדריאנוס ואמר מאן קתיל לדין
אמר לו חד גונתאי אנא קטליה לדין אמר לו אזיל איתי
לי פטומיה אזל ואיתיה ואשכח נכינא כריכא על צואריו אמר
להון אלו לא אלהיה קטליה דין מאן הוה יכיל ליה וקרא
עלוהי אם לא כי צורם מכרם ויהוה הסגירם והיו הורגין
בהם עד ששקע הסוס בדם על חוטמו והיה הדם מגלגל
אבנים גדולות של ארבעה לטרין והולך הדם בים עד ארבעת
מילין ואם תאמר שקרובה לים והלא רחוקה מן הים ארבעת
מילין : וכרם גדול היה לו לאדריאנוס שמונה עשר מיל
על שמונה עשר מיל כמן טבריא לציפורה והקיפו גדר
מהרוגי ביתר ולא נגזר עליהם שיקברו עד שעמד מלך אחר וגזר
עליהם שיקברו : *Dixit R. Jochanam, Rabi exposuit: & orietur stella de Jacob, non legendum Cocab stella, sed Cozab mendacium. Et qvando R. Akiba videbat Bar Cozbam, dixit: ille est Rex Messias. Et qvid erat faciens Bar-Cozba? erat suscipiens lapides machinæ in uno de genibus suis, & jaciens eos super exercitum Adriani, ac dispergens interficiebat multas animas.*

mas. Idcirco dixit R. Akiba, illum fuisse Messiam. Tribus annis & dimidiô obsedit Adrianus Bitter &c. Et capta est Bitter, occisusqve est Bar-Cozba, & abduxerunt ejus caput ad Adrianum, qvi dixit: qvis occidit eum? Dixit miles qvidam, ego occidi eum. Ait ei: vade & adfer ad me truncum ejus. Ivit & invenit serpentem involutum collo ejus, & dixit: nisi Deus ejus occidisset ipsum, qvis potuisset contra eum? Anne qvia Deus ipsorum vendidit eos, & Dominus conclusit ipsos? Fuerúntqve interficientes in iis, donec iret eqvus in sangvine usqve ad rostrum; (vulgò numerantur 580. cæsorum millia) *sangvísqve erat tantus, ut volverit lapides maximos qvatuor habentes libras, fluxerítqve donec intrârit in mare per qvatuor milliaria. Qvòd si dicas, qvòd prope mare esset: & annon Bitter distat à mari per qvatuor milliaria? Erat Adriano vinea magna, habens octodecim milliaria longitudinis & totidem latitudinis, qvantum distat Tiberia à Zipori: sepivítqve illam de occisis in Bitter. Nec permisit eos sepeliri usqve qvò regnâsset Rex alius, qvi sepeliri eos decrevit.* Hæc hactenus. Ex qvibus constat errare R. Abraham, cùm *in Cabbal. fol.* 28. *c.* II. Bar-Cozibam hunc dicit mortuum in pace: stragem autem hanc primùm evenisse Bar-Cozbæ ex filio *nepoti*, Romulo: *annô septuagesimô tertiô*, post Titi devastationem. Qvæ & *nostræ historiæ*, & *Judæorum rebus* sunt contraria.

77. MARIAMME.) Septennis erat *Patre* moriente: & ab ipso desponsa *Julio Archelao*. *Ant* XIX. *c.* VII. Qvam sponsionem posteà nuptiis consummavit *Agrippa* Junior, Sponsæ frater. *Ant*. XX. *c.* V.

78. *Archelao: Demetrio Alexandrino.*) *Archelaus* ille, prænomine *Julius*, filius fuit *Chelciæ* cujusdam: qvi *Agrippæ Majori* præfectus fuerat militiæ, & amicissimus. *Ant*. XIX. *c.* VII. Si *Julius* autem

Ar-

Archelaus is eſt, cui Libros ſuos *Flavius* vendidit, fuit eruditiſſimus. *Joſeph. lib.* I. *contr. Apion. p. Gelen.* 1037. Et ipſius Regis Agrippæ cognatus. *Vit. Joſeph. p. Gel.* 1026. *collat. cum p.* 1037. Qvô tempore autem *Bernice* ſoror deſeruit *Polemonem*, etiam *Mariamme* averſata Archelaum tranſiit ad nuptias *Demetrii Alexandri*: Judæi opibus & genere clariſſimi. Qvi & ſimul *Alabarcha* fuit Alexandriæ. *Ant.* XX. *c.* V. Non erat autem *Alabarches*, ſeu *Alabarcha*, Præfectus Arabiæ. *Farnab. in Juven. Sat.* I. *v.* 130. *p.* 13. aut ſalis. *Ruffin* * *in Hiſt. Euſeb. Baron. ad Ann.* 48. *num.* 30. aut vectigalium ex pecoribus: *Cujac. Obſervat.* VIII. *c.* XXXVII. Sed nec

* *Ruffinus qvoqve*, inqvit Lil. Greg. Gyraldus, extr. Tom. II. Oper. Dialogiſmô XXIX. col. m. 911. F. edit. Lugdun. Batav. M. DC. XCVI. in fol. *ſi modo Ruffinus [neqve enim hoc ipſe juratus adfirmârim] in III. Judaicæ Antiqvitatis volumine* Arabarchin *ſummum Hebræorum ſacerdotem vocari interpretatur, Illud tamen animadvertendum eſt, qvòd, cùm qvis Præfectum ſalis voluerit ſignificare* Halabarchen *cum adſpiratione in principio; cùm verò Arabiæ Principem ſine adſpiratione* Arabarchen *ſcribendum eſſe. Sanè ſciendum, ut* Arabarchen, *ita &* Aſiarchen *dici, id qvod cùm apud alios, tum imprimis apud Strabonem eſt legere.* In præcedentibus idem ibidem Gyraldus exponit locum Tullii, è II. Attic. Ep. XVII. (malè enim apud Grangæum in Juvenal. cit. loc. p. m. 18. b. edit. Ultraject. M. DC. LXXXV. in 4to eſt *Epiſt.* VII. & ἅλς pro ἅλς, *Præfectim* pro *Præfectum*, *Ptolomæus* pro *Ptolemæus*, & alia, oſtendentia, qvàm incorrecta ſit iſta editio) cujus explicationis miror neminem meminiſſe in Tullium; locum verò Ciceronis ipſum memorat & Janus Parrhaſius, libr. de rebus per Epiſtolam qvæſitis, Ep. XXIII. p. m. 40 extr. edit. opt. Henr. Stephan. M. D. LXVII. in 8t. Gyraldum confutat Nicol. Fullerus, lib. IV. Miſcellan. Sacror, c. XVI. p. m. 518. ſ.

nec magister literarum aut scripturæ. *Brodæ. miscell. lib.* IV. *c.* II. Josepho enim in Codicibus probatioribus semper scribitur ἀλαβάρχης. Ut ad Præfectum Arabiæ, dicendum fuisset, ἀραβάρχης; ad salis, ἁλιάρχης, ad litterarum & archivi, ἀλαβάρχης qvidem, (atramentum enim seu τὸ μέλαν ᾧ γράφομεν, ἄλαβα dicitur *Hesychio & Phavorino*) sed minus pro dignitate: cùm sic tantùm *Scripturæ magistratus* foret. Ex ἄλαβα autem vectigal è pecorum traductione cum *Cujacio* velle deducere, longum, qvin ineptum, foret. Et qvid *Arabs*, aut *salium, Jumentorúmqve* potestas, ad Judæorum *Alexandriam* habitantium magistratum? imò qvid literarum? aut cur præfectus Judæorum Alexandriæ magis versaretur circa literas & sic esset Alabarcha, qvàm præfectus civium reliqvorum Alexandriæ? nisi contemptus, cum Turnebo, *lib.* XXVII. *c.* XXV. caussa sit. Qvod tamen non videtur. Vehementer itaqve placet Fullerus, qvi *lib.* IV. *miscell. sacror. c.* XVI. Alabarham facit nomen officii apud Alexandrinos, ex חלפ *pro, vice*: & ארכון seu ארכא qvod est ἄρχων. Ut Judæorum magistratus, Antiochiæ, ἄρχων, *Belli jud.* VII. *c.* XXI. Alexandriæ etiam ἐθνάρχης dicitur. *Ant.* XIX. *c.* IV. Judæis enim *Alexandrinis*, (ut & *Antiochensibus*, *Bell. loc. cit.*) indultum qvondam à Regibus Syriæ & posteà Imperatoribus, ut pari cum aliis civibus illic jure fruerentur, & delectum haberent Præsidem ex se ipsis: exempti à jurisdictione Præsidis Regii aut Imperatorii. *Ant.* XIX. *c.* IV. sic *Füllerus*, & rectè: transeunte *literâ Cheth* τοῦ חלפ in Græcorum *Spiritum tenuem*: sicut ἀσαμωναῖος fit ex חשמונאי Qvemadmodùm autem *Alexandria*, olim vertex fuit omnium civitatum, *Ammian. Hist. lib.* XXII. *c.* XVI. aut μεγίστη μετὰ τὴν ῥώμην πόλις. *Bell. jud.* V. *c.* XIV. *conf. Bell.* II. *c.* XVI. *p.* 807. *Paul. Diac. Hist.* VII.

Tre-

Trebell. Poll. num. XXI. ita & *Alabarchæ Alexandrini* magna dignitas & ſplendor fuit: ut alicui etiam *ſtatua* Romæ qvondam inter triumfales conſecrata ſit. Cui tamen Juvenalis, *Satyr.* I. *v.* 129. *ſ.* ſic illuſit:

Atqve triumphales, inter qvas auſus habere
Neſcio qvos titulos Ægyptius atqve Alabarches,
Cujus ad effigiem tantùm non mejere fas eſt.

Cæterùm, qvis ſit ille *Ægyptius* & *Alabarches*, cujus ſtatua tanta fuit in invidia, fermè qvot interpretes, tot ſenſus ſunt. *Hieronymus*, Flav. *Joſephum* intelligit, cui certum, ſtatuam à *Veſpaſiano* poſitam. Alii cum *Alciato* oculos convertunt ad *Tiberium Alexandrum*, qvòd is Ægyptum, in qva natus, rexit. *Tacit. Hiſt.* I. *c.* II. *Farnabii* editio habet *Arabarches*: & per eum qvemdam inter *Arabes* interpretatur. Sed *hoc*, nimis ϛοχαϛικόν: *illud*, falſum. Nam nec *Joſephus*, nec *Tiberius Alexander*, Alabarchæ: & ille inſuper neqve *Ægyptius*. *Tiberius* qvidem in *Ægypto natus*, *in Ægypto* Præſes, ſed Alexandriæ fuit ἡγεμὼν *Bell. jud.* II. *c.* XXI. *&* *lib.* V. *c.* XI. non *Alabarcha*. Nobis itaqve *Poëta* viſus digitum intendere in *Alexandrum Lyſimachum*, de qvo *Num.* 73. qvi ſtatuâ Romæ à *Claudio* donatus fuit, (non in honorem fratris *Philonis*; ut *Baron. ad Ann. Chr.* 48. *num.* 30. qvare enim non eâ potiùs ipſe *Philo* fuiſſet honoratus? ſed) In compenſationem ſeu ſervitii apud matrem Claudii, ſeu veteris ſuæ cum Claudio amicitiæ. *Ant.* XIX. *c.* IV. Dictus *Ægyptius*, qvòd *Alexandriæ* natus, prout *Philo* frater, Euſeb. *Hiſtor. Eccleſ.* II. *c.* V. & ibi ſedem ac officium habue-

buerit. Nam hunc & non filium, *Alabarcham* fuisse, locis aliqvot testatur Flavius: ut *Ant.* XIIX. *c.* VIII. *& lib.* XIX. *c.* IV. *& lib.* XX. *c.* V.

Qvare autem *Ægyptii* & *Judæi* ita fastiditi, ut ad eorum statuas fas fuisset mejere? Respondeo: ob *sacra.* Ad qvæ Tacitus, *Annal.* II. LXXXV. 4. *Actum*, inqvit, *& de sacris Ægyptiis Judaicísqve pellendis: factúmqve Patrum consultum, ut qvatuor millia Libertini generis eâ superstitione infecta, qveis idonea ætas, in Insulam Sardiniam veherentur, coërcendis illic latrociniis. Et si ob gravitatem cæli interiissent, vile damnum. Ceteri cederent Italiâ, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent.* Hæc ille. Sub *Domitiano* certè Judaismus, (etsi sub eo Christianismus contentus: fortè qvòd habuit ex Judæa originem, *Tacit. Annal.* XV. XLIV. 5.) species impietatis capitalis fuit. *Xiphilin. Epit. Dion. in Domitian.* Qvò pertinet, qvòd *Augustus* Cajum nepotem ex oriente reversum collaudârit, qvòd Judæam prætervehens apud Hierosolymam non supplicâsset. *Sveton. lib.* II. *c* XCIII. Nam qvòd Templo donaverit, (vide *Num.* 73.) & sacrificium diurnum pro salute illic instituerit, *Philo in legat. ad Cajum:* qvod ad belli Judaici initia continuatum fuit, *Bell. jud.* II. *c.* XVII. non amore *religionis*; sed *Herodis* parasiti, qvi ei tot publicis structuris &c. adulator præcesserat, fecisse eum, manifestum est. Certè Josephus ipse, *Ant.* XVI. *c.* X. ἀλόγιστον gentium in Judæos odium fatetur natum ex διαφορᾷ τῶν ἐπιτηδευμάτων. Qvæ, qvàm *rituum religionis*, nulla fuit. Atqve hæc est caussa, ob qvam *Agrippa Rex Judæorum*, dictus barbarus. *Juven. Satyr.* VI. *v.* 158. & *Judæi*, non solùm aliis *despectissima pars servientium*; sed & Romanis *teterrima gens* fuerint habiti. *Tacit. Hist.* V. VIII. 34. Ut nec *Flavius*, nec *Titus*, Principes Vespasiani, a triumfis

fis dici *Judaici* voluerint. *Xiphilin. epit. Dion. in Vespasian.*

79. DRUSILLA.) Sextum ætatis annum agebat cùm pater moreretur σκωληκόβρωτος. (ἑξαέτης malè vertitur per *septennem*, à *Gelenio.*) Et is qvidem eam *Epiphani* filio Antiochi Comageni, de qvo *Num.* 67. maturè desponderat. *Ant.* XIX. *c.* VII. Sed cùm hic nollet circumcidi & Judaizare, prout virginis parentibus promiserat, *Agrippa Junior* eam dedit nuptui *Azizo. Ant.* XX. *c.* V. *Epiphanes* ille dicitur & *Antiochus*: ut *Epiphanes* cognomen sit. *Bell. jud.* VI. *c.* XII. Et à fortitudine in Romanos cum fratre *Callinicô*, simúlqve pietate in patrem commendatur. Pro cujus liberatione cùm venisset *Romam*, & juxtà cum patre, in honore illic haberetur, *Romæ* mansit: regnô Romanis invasoribus relictô. *Bell. jud.* VII. *c.* XXVII.

80. *Azizo, Regi Emesorum.*] Qvi cùm circumcisionem admitteret, *Drusillæ* torô fuit honoratus. Sed illa tamen non ita diu post eum defetuit, & *Felici* se conjunxit. *Azizus* superfuit ad annum Neronis primum: qvô exstinctus, fratrem *Sohemum*, de qvo *Num.* 61. 67. successorem habuit. *Ant.* XX. *c.* V.

81. *Felici, Præsidi Judææ.*) Liberto Claudii, *Sveton.* V. *c.* XXVIII. & fratri Pallantis, *Ant.* XX. *c.* V. *Bell. jud.* II. *c.* II. *Tacit. Annal.* XII. *c.* LIV. Flavio dicitur Claudius Felix *Ant.* XX. *c.* V. Tacito autem, Antonius Felix. *Histor.* V. IX. 7. Videtur ex *Regibus Arcadiæ* habuisse genus: qvod Scipio Cornelius in Senatu judicaverit: *Pallanti* (fratri Felicis,] *grates publicè agendas. qvòd Regibus Arcadiæ ortus, veterrimam nobilitatem usui publico postponeret; séqve inter ministros Principis haberi sineret.* Tacit. *Annal.* XII. LIII. 3. Judææ ut vide-

detur, circa annum Claudii XII. Præſes miſſus fuit. Ubi viſâ *Druſillâ*, Regis *Agrippæ M.* filiâ, ejúſqve inſigni pulchritudine obſtupefactus, cœpit cum ea per *Simonem qvemdam Magum* agere, ut relictô *Azizô* ſibi nuberet: aureos montes, & neſcio qvid non ſtipulatus. Et *Druſilla* qvidem paruit haud difficulter, ac *Felici* nupſit: ſtimulata maximè invidiâ *Bernices*, qvæ eam propter formam oderat. *Ant. loc. cit.* Ceterùm, de *Felicis* moribus arguté Tacitus, *Hiſtor.* V. IX. 6. 7 *Claudius*, inqvit, *defunctis Regibus, aut ad modicum redactis, Judæam provinciam Eqvitibus Romanis aut libertis permiſit. E qvibus Antonius Felix, per omnem ſævitiam ac libidinem jus Regium ſervili ingeniò exercuit: Druſillâ Cleopatræ & Antonii nepte in matrimonium acceptâ. Ut ejusdem Antonii, Felix progener, Claudius nepos eſſet.* Confer Joſeph. *Ant.* XX. *c.* VI. *Bell. Jud.* II. *c.* XII. & *Tacit. Annal.* XII. LIV. 6. 7. Ubi ſimiliter turpiſſimorum criminum, & neqvitiæ vecordiæqve reus traditur. Qvibus auditis, *Claudius* de ipſo & *Cumanô* Galilææ Præſide, jus ſtatuendi dederat. Sed die veniente, *Qvadratus* Syriæ Præſes, Judex, *Felicem inter judices oſtentavit, receptum in tribunal; qvò ſtudia accuſantium deterrerentur: damnatúsqve flagitiorum, qvæ duo deliqverant, Cumanus; & qvies provinciæ reddita.* Atqve ita tum qvidem *Felix* evaſit. Sed cùm ſub *Nerone* etiam pergeret in maleficiis, & non ſolùm alia crudeliter committeret, ſed & *Jonatham* Pontificem qvi pravitatis eum admonuerat, per ſicarios confoderet, ſucceſſor ei *Feſtus* miſſus fuit. *Nero* etiam de ipſo voluit ſumere ſupplicium, niſi precibus *Pallantis* exoratus eſſet. *Ant.* XX. *c.* VI. VII. Cum *Druſilla Uxore*, *Paulum* ad ſe vinctum adductum Cæſareæ audivit. Sed nullo animæ fructu aut emolumentô. Nam cùm Paulus prudenter de *Ju-*

ſtitia, *Continentia*, *&* *extremo Judicio* orationem inſtitueret, expavefactus *Felix* cum uxore abiit, dicens: Τὸ νῦν ἔχον πορεύου, καιρὸν δὲ μεταλαβὼν μετακαλέσομαί σε. *Act.* XXIV. 24. 25. Ubi etiam ſordida ejus *avaritia* notatur. Nam *Lucas* v. 26. refert, Paullum ab eo ſæpius accitum, qvòd ſperârit pro dimiſſione eum numos oblaturum. Sicut *plenô bienniô* vinctum eum tenuit, *Act.* XXIV. 27. *Druſillam* autem, *Antonii atqve Cleopatræ neptem* cùm prodat Tacitus, *Hiſt.* V. IX. 7. eſt hoc nobis etiam conſiderandum. Nam *Druſilla Felici in Judæa nupta*, non ſolùm dicitur οὖσα Ἰουδαία, *Act.* XXIV. 14. ſed & Agrippæ filia ex Cypro. *Joſeph.* *Ant.* XX. *c.* V. *collat. cum Ant.* XIIX. *c.* VII. Qvò minus fuit *neptis ex Antonio*. Conſtat itaqve *Tacitum* halucinari: ſi non in *matrimonio Druſillæ Antonianæ*; ſaltem *in matrimonii tempore*. Habuit *Felix* tres uxores. Svetonius, *lib.* V. *c.* XXVIII. inqvit: *Libertorum præcipuè ſuſpexit* (Claudius) *Poſidem ſpadonem; qvem etiam Britannicô triumfô inter militares viros haſtâ purâ donavit. Nec minùs Felicem, qvem cohortibus & alis, provinciæqve Judææ propoſuit, trium reginarum maritum.* Ex his igitur *Tribus Reginis*, una potuit fuiſſe *Druſilla neptis Antonii*: puta, ex *filiâ Cleopatra ſeu Selene*. & *Juba Rege Mauritaniæ*. [De qvibus actum *Num.* 29.] Alios enim liberos *Antonius ex Cleopatra* non ſuſtulit. qvàm *Alexandrum & Cleopatram* [ſeu *Selenen*] διδύμους; ac *Ptolemæum*. Dio, *Hiſt. Rom.* XLIX. *Plutarch. in Vit. Anton. Selene* autem nupta *Jubæ*. Habuit ergò *Felix* in matrimonio *Druſillam* aliqvam ex his neptem: ſed non qvô tempore Præſes in Judæa fuit. In qvo *Tacitus* rem pervertit. Nam in *Judæa* non poteſt oſtendi eum aliam habuiſſe *Druſillam*, qvàm qvæ filia *Agrippæ*. Hanc enim *Felix* viſam ſtatim in uxorem petiit. *Ant.* XX. *c.* V. Viderat

derat autem non diu poſtqvàm in *Judæam* venerat. Cum ea toties *ad feſta* comparebat: Et *Agrippa* frater apud Romanos frequens. *conf. Act.* XXIV. 24. 27. Ut *Felix* viduus in Judæam venerit: & *Druſillam Antonii* eò non adtulerit: qvippe qvæ jam antè exſpiraverat. *Tacitus* ſcilicet, cùm audiret *Felicem* tum cùm in Judæa ſæviret, uxorem habuiſſe *Druſillam*, (nempe *Judaicam*) per errorem putavit eſſe, qvam antè habuit, *Antonianam*. Et ea ad *Tacitum* placuit ſic reprehendere. Nam qvi volunt *Druſillam Felici in Judæa aſſumptam, neptem fuiſſe Antonii & Cleopatræ ex filiâ aliqvâ Agrippæ Magno nuptâ*, prorſus fruſtrà ſunt. Etenim, ut nihil dicam de teſtimoniis *Lucæ* & *Joſephi* ſuprà, aut qvòd *Agrippa* rituum patriæ obſervantiſſimus; *Philo in Flacc. & legat. ad Caj.* feminam externam contra leges haud ſumpſiſſet, etiam tota Hiſtoria his adverſatur. Nam *Antonius* certè aliam filiam non habuit ex *Cleopatra*, qvàm unam *Selenen* nuptam *Jubæ*. Qvam ſi poſt mortem *Jubæ*, domum Agrippa duxiſſet; non duxiſſet ante principatum *Caji*. Moriens enim *annô tertiô Claudii*, filiam reliqvit ſexennem ex Cypro. *Ant.* XIX. *c.* VII. *collat. cum Ant.* XIIX. *c.* VII. Ut *Cypros* Agrippæ uxor fuerit ad *Caji* principatum uſqve. Unde ſi *Selenen*, filiam *Antonii* poſteà duxiſſet *Agrippa*, fuiſſet ea tum major ſexagenariâ: nata ſcilicet ad minimum *ante victoriam ad Actium*, poſt qvam *Auguſtus* imperavit ferè *annos* XLIV. *Dio*, *Hiſtor. Rom.* LVI. & *Tiberius*, *plures* XXII. per *Bell jud.* II. *c.* VIII. Haud itaqve *Selene*, *plus qvàm ſexagenaria*, ex *Agrippa* potuit filiam parere, qvam duxiſſet *Felix*.

Suprà diximus de *Pallante* liberto. Is flagrantiſſimâ gratiâ apud *Claudium* agitaverat. *Tacit. Annal.* XI. *c.* XXIX. *Plin. Hiſtor. Nat.* X. *c.* LX. *Julian.*

in Cæsar. & ita creverat, ut non modò Agrippina, (cujus corpori insveverat,) per ipsum obtinuerit, ut Claudius *Neronem* filio proprio legitimo præposuerit. *Tacit. Annal.* XII. *c.* XXV. & XIII. *c.* II. sed & velut arbitrum regni sub Claudio egerit, & pangere potuerit: nè cujus facti in posterum interrogaretur, parésqve haberet rationes cum Republica. *Tacit. Ann.* XIII. XIV. 2. Opes ejus *Tacitus* æstimat in centies qvinqvagesies sestertium. *Annal.* XII. LIII. 2. Alibi autem pecuniam ejus immensam vocat. *Annal.* XIV. LXV. I. Qvam Xiphilinus, *Epit. Dion. in Neron.* ἐς μυρίας μυριάδας computat: Summam ab *Aliis* æqvatam qvadragies centenis aureorum millibus. Svetonius, *lib.* V. XXVIII. extr. inqvit: *Ante omnes* [Libertos extulit Claudius] *Narcissum ab Epistolis & Pallantem à rationibus: qvos decretô qvoqve Senatus, non præmiis modò ingentibus; sed & qvæstoriis prætoriísqve ornari libenter passus est. tantum prætereà acqvirere & rapere, ut qverente eò qvondam de fisci exiguitate non absurdè dictum sit: abundaturum si à duobus libertis in consortium reciperetur.* Qvâ potentiâ ut fit, lapsus in superbiam, infelicem finem sub *Nerone* habuit. Tacitus, *Annal.* XIII. II. 4. *Pallas,* inqvit, *tristi arrogantiâ modum liberti egressus tædium sui moverat.* Et *Annal.* XIII. XXIII. 3. In judiciô, proditionis postulatus superbè responderat: *Nihil unqvàm se domi, nisi nutu aut manu significâsse, vel si plura demonstranda essent, scriptô usum, nè vocem consociaret.* Unde eum *Nero* offensus primô demovit curâ rerum qvibus eum Claudius imposuerat. *Tacit. Annal.* XIII. XIV. I. & hinc ferrô sustulit. *Eodem annô,* [inqvit Tacitus *Annal.* XIV. LXV. I.) *Libertorum potissimos* (Neronem) *venenô interfecisse creditum est: Doryphorum qvasi adversatum nuptiis Poppææ; Pallantem, qvòd immensam pecu-*

cuniam longâ senectâ detineret. Cum qvo & Xiphilinus *Epit. Dion. in Neron.* p. m. 177. B. edit. opt. Henr. Steph. cIↃ. IↃ. XCII. Τὸν δὲ Πάλλαντα, inqvit, διεχρήσατο, ὅτι καὶ πλοῦτον πολὺν ἐκέκτητο, ὥστε καὶ ἐς μυρίας μυριάδας αὐτὸν ἀριθμεῖσθαι· καὶ δυσκολίᾳ τρόπων πολλῇ ἐχρῆτο, ὥστε μήτε τοῖς οἰκέταις, μήτε τοῖς ἐλευθέροις διαλέγεσθαί τι, ἀλλ᾽ ἐς γραμματεῖα, πάνθ᾽ ὅσα ἐβούλετο, καὶ προσέταττε σφίσιν, ἐγγράφειν. *Pallantem interfecit* [Nero] *qvòd magnas opes collegisset, ad qvater millies sestertium, & ita morosus ac difficilis esset, ut neqve cum servis, neqve cum liberis sermones conferret; sed iis omnia qvæ vellet mandarétve, in libellis scribere consvevisset.*

Ceterùm: *Simon Magus*, qvem suprà, p 685. *Drusillam Felici* conciliâsse diximus, Judæus fuit, *genere Cyprius. Joseph. Ant.* xx. c. v. Et sic alius à *Simone* illo *Mago*, * hæretico, qvi à *Philippo* baptizatus, *Act.* VIII. 9. 10. 11. 12. 13. 18. *f.* Romæ dehinc populum seduxit: ubi etiam sub *Claudio* inter pontes Tiberis statuam accepit, cui inscriptum: *Simoni Deo Sancto.* Euseb. *Histor. Eccles.* II. c. XII. Sed an *Simon ille* cùm volare vellet, Romæ à *Petro* retractus & exstinctus fuit? Sanè ita statuit *Antiqvitas.* Ex cujus fide ita Hegesippus, *Excid.* III. c. II. *Conscendit* [Simon] *statutô die montem Capitolinum, ac se de rupe dejiciens, volare cœpit. Mirari Populus, & venerari: pleriqve dicentes Dei esse potentiam non hominis, qvi cum corpore volaret. Nihil tale fecisse Christum. Tunc Petrus in medio stans, ait: Jesu Domine, ostende ei vanas esse artes suas nè*

* Vide Cl. Dn. Georg. Wonnam in Exercitatione Historico-Philolog. de Cultu Simonis Magi apud Romanos contra Baronium Jenæ habita & edita annô cIↃ IↃc. LXIII. in 4to; qvam fortè dabo in Musco nostro II.

nè hâc ſpecie populus iſte qvi crediturus eſt , decipiatur. Decidat Domine: ſic tamen, ut nihil ſe potuiſſe, vivus recognoſcat. Et ſtatim in voce Petri implicatis remigiis alarum, qvas ſumpſerat, corruit , nec exanimatus eſt; ſed fractô debilitatoqve crure , Aritiam conceſſit, atqve ibi mortuus eſt. Hæc Hegeſippus. Baronius, *in Annal. ad Ann. Chr.* 68. *num.* 21. ita de hoc facto certus eſt, ut nefas dicat de eo dubitare. Cùm nos tamen totum confictum, & vix aliud pugnantius exiſtimemus. Cyrillus Hieroſolymi. *Catech.* VI. Sulpicius Sever. *Hiſtor. lib.* II. *c.* XLI. Proſper Aqvitan. *de promiſſ. c.* XIII. non modò *Petro*, ſed & *Paulo* σύῤῥαξιν illam cum *Simone*, tribuunt. Adhæc: Arnobius, *lib.* II. *adverſ. gent.* p. m. 50. edit. opt. Lugdun. Bat. cIↃ. IↃc. LI. in 4to, refert: currum igneáſqve qvadrigas Simonis, Petri ore, nominatô Chriſtô, difflatas evanuiſſe: eum præcipitatum crura fregiſſe , & dehinc perlatum Brundam, pudoréqve & doloribus defeſſum, ex altiſſimi culminis faſtigio iterum præcipitem ſe dediſſe. Cyrillo autem *loc. cit.* Epiphanio, *lib.* I. *adv hæreſ. tom.* II. & Auguſtino, *tom.* VI. *lib. de hæreſ.* ſtatim Romæqve, Simon exſtinctus fuit. Philaſtrio, *c.* III. *de hæreſ. allegat. ab Auguſtin. Epiſt.* LXXXVI. *ad Caſulan.* memoratur Petri oratione victus , ab Angelo percuſſus eſſe. Sulpicio Severo, *loc. cit.* dicitur diſruptus. Euſebio autem, *Hiſtor. Eccleſ.* II. *c.* XIV. verbô Dei Româ tantùm profligatus. Alios *recentiores* tranſeo. Ut mirum ſit qvomodò ſuſtinere poſſit *Baronius*, auctores tantùm in minimis hìc diſcrepare: qvorum ferè tot ſententiæ, qvot capita ſint. Fabulæ *primus Auctor* videtur *Clemens ſuppoſititius*, *lib.* VI. *c.* IX. à *Patribus* non agnitus.

Qvidqvid ſit, illud ſufficit oſtendere: qvòd *hic Simon* & *Magus* ab illo, qvi Felicis fuit internuncius

cius ad Drusillam, alius sit. Natus scilicet in vico Samariæ *Githis* seu *Gitton. Epiphan. & Euseb. loc. cit.* & sic non *Cyprius*: imò, nec *Judæus*. Surrexisse autem circa ultima tempora multos in Judæa *Magos*, disco ex Josepho. *Ant.* xx. *c.* VI. *Bell.* II. *c.* XII. *confer* *Act.* XIII. 6. 8.

82. AGRIPPA.] Josephus, *Ant.* xx. *c.* V. narrat eum cum uxore ad montem *Vesuvium* conflagrâsse: postqvàm sub *Tito* hic ardere cœpit. Et addit: qvomodò id factum fuit, posteà se relaturum. Quam tamen fidem ἐν σωζομένοις, qvantum scio, nusqvàm præstitit.

83. *Herodes*: *Agrippa*: *Aristobulus.*] Qvæ nomina rebus vacua invenio: *Ant.* XIIX. *c.* VII. nisi [si non placent dicta ad *Num.* 34.] *Herodes* fuit, qvem Josephus, *lib.* I. *contr. Apion.* vocat σεμνότατον: & cui libros judicandos obtulit.

Priusqvàm finiamus, monendum de Aliqvibus ex *familia Herodiana*, qvi ob dubios natales; nusqvam certò referri possunt. Ex qvorum numero sparsim hos invenimus.

1. *Costabarum* & *Saulum*: fratres. Ex genere Regio, & *Agrippæ* cognatione: moribus sævi, factiosi, & feroces. ut qvi sceleratorum juxta se manum alerent, qveis cives spoliarent. *Ant* xx. *c.* VIII. A seditiosis Hierosolymitanis cum *Antipa* missi ad Regem Agrippam, *Bell jud* II. *c.* XVII. trium millium impetrant auxilia. *Hegesipp.* II. *c.* x. Sed mox obsessi, & hostes judicati, ægrè evadunt & ex urbe fugiunt. *Bell.* II. *c.* XXV. Post qvod tempus, eos non invenio: nisi qvòd *Saulus*, legatus pro *Cestio* iverit ad *Neronem*, consulturus eum super turbis Populi. *Bell. jud.* II. *c.* XXV. *Hegesipp. Excid.* II. *c.* XVI.

2. ANTIPAM: Et illum *Agrippæ* genere propinqvum. Thesaurorum publicorum Hierosolymis Custo-

ſtodem, & τ̀ κατ̀ τὴν πόλιν δυναστεῖαν. Evertit ipſum, qvòd in tumultu civium, cum *Coſtabaro* & *Saulo*, urbe non exceſſerit. Nam non ità diu pòſt, ſeditioſi eum in carcerem compingunt; & mox, cùm viderent eum amari à populo, & carcerem freqventari, veriti nè eriperetur, interficiunt. *Bell. jud.* IV. *c.* V.

3. *Leviam*, & *Sopham*: Hegeſippo, *Excid.* IV. *c.* VI. *Libiam* & *Phoram*. Et illos locô Regiô ortos, & per tumultum in vinculis cum *Antipa* obtruncatos. *Bell jud.* IV. *c.* V.

TANTUM EST.

Μόνῳ Θεῷ δόξα.

---

* * *

Mantiſſæ locô adjicimus ſeqvens doctiſſ. Dn. Chriſtophori Cellarii Programma L. de Joſepho & Herode agens, p. m. 356. *edit. Lipſienſ.* M. DC. LXXXIX. *in* 8*t.* Non neceſſe eſt verboſam eſſe laudem: unum verbum ſufficit, qvòd virtutem deprædicet. Qvid Hieronymus congerere in Joſephum Judæorum hiſtoricum cumulatiùs potuiſſet, qvàm cùm epiſtolâ XXII. ad Euſtochium c. XV. *Græcum* illum appellavit *Livium*. Videri poterat aliqvid erroris ſubeſſe, & *Ebræum* potiùs, qvàm Græcum Livium nominari debuiſſe, qvi Ebræus genere, Ebræorum res geſtas à condita republica ad excidium illius perſecutus fuit. Verùm ſalva res eſt, neqve tam ex rerum materia, qvæ omnino Ebraica eſt, qvàm ex Græca dictione, & profana hiſtoria, ex optimis qvibúſqve Græcorum ſcriptoribus hauſta, & Judaicæ hiſtoriæ idemtidem admiſta, glorioſum cogno-

cognomen adeptus est. Ipse sui interpres Hieronymus sit, & in epistola LXXXIV. ad Magnum, Romanum oratorem, declaret, qvid in *Græco* suo *Livio* in primis admiratus fuerit. *Josephus*, inqvit, *antiqvitatem adprobans Judaicam, duos libros scripsit contra Apionem, Alexandrinum Grammaticum, & tanta sæcularium profert testimonia, ut mihi miraculum subeat, qvomodo vir Ebræus, & ab infantia sacris litteris eruditus cunctam Græcorum bibliothecam evolverit.* Rara sanè in Ebræo homine industria, & sine exemplo gentis suæ, qvâ meruit in illustrissimis nominibus poni, & qvod summæ dignitatis est, æqvari *Tito* * *Livio.* Qvi qvantus fuerit, qvàm gravis pariter ac elegans historicus, neminem, nisi omni doctrinâ orbatum, defugere potest. Ita enim Romanam historiam numeris omnibus absolvit, ut scriptorum, qvi ante ipsum fuerant, memoriam unus propemodùm deleverit, & qvod armis sibi Romanus populus nomen adqvisiverat, ipse æqvaverit tum rerum accuratissimô ordine, tum majestate ac nitore stili Latini. Sed laudes T. Livii perscribere nostri instituti non est, nec novô ille præconiô eget, qvippe qvi priscis nostrísqve temporibus nunqvàm illaudatus fuit, ut vel solius Gaditani hominis studiô adprobari potest, qvem Plinius, lib. II. epist. III. & Hieronymus, epistolâ CIII. c. I. tradunt *Livii nomine gloriæqve commotum ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statímqve, ut viderat, abiisse.* Vossius, Bonifacius, Sigonius, & cum primis Morhofius, Kiloniensis Academiæ insigne decus, certatim congesserunt, qvæ ad tuendam tanti scriptoris famam & ornamentum faciunt: novissimus etiam à morosi censoris, Asinii Pollionis, iniqvitate fortissimè

* Vide qvæ de Livio attulimus in parte IV. Animadversion. nostrar. c. II. §. III. p. 50. s.

mè nuper defendit, & Patavini hominis Latinitatem vindicavit puriſſimam. Ex his, ut clariſſimis ſignis, elucere credo, qvantum laudis Joſepho Hieronymus contulerit, cùm *Livium* adpellavit, id eſt ſcriptorem ejusmodi, qvi, qvantum ille Romanis ſupereminet, tantum hic inter Græcos Ebræóſqve antecellat. Qvidqvid enim in ſummo ſcriptore admirandum eſt, ingenii perſpicacitas, inqvirendi induſtria, fides, candor, dictionis ea elegantia atqve gravitas, ut rebus ſcribendis propinqvè conveniat; his omnibus ita Joſephus pollere exiſtimatur, ut vix inter veteres hiſtoricos ſit, qvi ei anteferri; pauci, qvi cum illo ex æqva ratione comparari poſſint. Habuit Græcia ſua lumina: non minor tamen Joſephus eſt, præſertim magnitudine operum & universâ gentis ſuæ hiſtoriâ id adgreſſus, qvod non facilè inter Græcos aliqvem præſtitiſſe reperias, ut qvi ſingula potiùs bella, qvàm univerſas res nationis ſuæ (paucos excipio) complexi ſunt, cùm ſtilo dederunt operam. In tanta laude cùm fuerit, hodiéqve ſit Joſephus, tantáqve flagraverit induſtriâ; mirari ſubit, qvî factum, ut res † notiſſimas, & à ſanctis aut divinæ fidei viris perſcriptas non ſemel intactas præterierit. Non meis, ſed ſummi viri Joſephi Scaligeri verbis id probatum dabo. Is Adnotationibus ad Euſebii Chronicon, p. 162. cùm crudeliſſimas puerorum cædes in Herode notâſſet, *mirum eſt*, inqvit, *tam belluinæ crudelitatis exemplum à Joſepho præteritum eſſe, qvi tantâ diligentiâ reliqva ſævitiæ Herodianæ facinora proſeqvitur.* Res certiſſima, indubitata, apud exteros æqvè, qvàm noſtrates, qvippe Macrobius etiam Saturnal. II. c. IV. *Herodem Judæorum pueros*, non aliter ac divinus auctor, tradit *intra bimatum juſſiſſe interfici.* Qvæ cauſſa Joſepho tanti ſilentii? ſpes, aut gratia, aut pœnæ metus ſcri-

† Vide ſuprà, p. 504. ſ.

ſcribentibus ſæpe officiunt, ut vel occultent geſtorum veritatem, vel demtis durioribus emollire ſtudeant, aut cauſſas fingant, qvibus inducti magnates non potuerint id, qvod vulgo reprehenditur, qvamvis voluerint, non in ſe admittere. Neutrum horum Joſepho obſtare potuit. Præmii ſpes? à qvo exſpectanda tam longo ab ruina Herodum intervallo? num metus periculi? par ratio urget, qvòd nemo ſuperfuit, qvi ulciſci libertatem ſcriptoris potuiſſet. An ergo negligentia fuit, aut odium in Chriſtianos, ne qvod ipſorum libris vel vocibus probatum eſſet, ſuô confirmaret Judæus homo teſtimonió? Ego verò diligentiſſimo viro, cui tantum debemus, qvantum de antiqvitatibus Judæorum cognoſcimus, nolim id crimen objicere, qvod tot induſtriæ monumentis ipſe purgavit & amolitus eſt. De ſectæ verò odio ſuſpicari licet, diſertè non adfirmare. Nec tamen vanam dixerim ſuſpicionem, ſicut neqve illorum conjecturam, qvibus idem in mentem venit, cùm priorem Qvirinii cenſum, [Luc. II. 2.] ab eodem præteritum eſſe mirabundi reputant. Hæc qvidem minimè negatum imus; nec tamen in iisdem ita qvieſcimus, ut alias cauſſas Flaviani ſilentii rimari deſinamus. Obſervatum ab eruditis eſt, Joſephum in Herodis geſtis maximè ſecutum eſſe *Nicolaum Damaſcenum*, Judaicarum rerum, ut alias taceam, celeberrimum ſcriptorem, Herodis principem amicum, ejusdémqve ad Auguſtum Cæſarem ſemel & iterum legatum. Qvi, ut de educatione Auguſti, ita de ipſa qvoqve *Herodis* hujus *vita* librum compoſuerat. Huic verò accidit, qvod Vellejo Paterculo, qvod aliis, qvi ſuorum principum, qvorum favore utebantur, res ſcribere adgreſſi, adfectui, qvàm veritati ſæpius conceſſerunt,

qvip-

qvippe qvod tutius eſt, ſectari maluêre, qvàm qvod verius, in eo tamen vehementer decepti, dum ſimulatione plus damni apud poſteros ſubiêrunt, qvàm periculi ex veritatis profeſſione metuebant. In hoc cenſu Nicolaum fuiſſe, ipſe ſectator Joſephus, XVI. Antiqvitatum c. XI. prodidit, de Davidis regis ſepulcro ab Herode ſpoliato, & nova ibi ſubſtructione poſita, ita confeſſus: τούτου καὶ Νικόλαος, ὁ κατ' αὐτὸν ἱστοριογράφος μέμνηται τοῦ κατασκευάσματος, οὐ μὴν ὅτι κατῆλθεν, οὐκ εὐπρεπῆ τὴν πρᾶξιν ἐπιστάμενος. διατελεῖ δὲ καὶ τὰ ἄλλα τοῦτον τὸν τρόπον χρώμενος τῇ γραφῇ. ζῶντι γὰρ ἐν τῇ βασιλείᾳ, καὶ σὺν αὐτῷ, κεχαρισμένως ἐκείνῳ. καὶ καθ' ὑπηρεσίαν ἀνέγραφεν, μόνον ἁπτόμενος τῶν πρὸς εὔκλειαν αὐτῷ φερόντων. hoc eſt, expiandi ſceleris cauſsâ in aditu ſepulcri Herodem monumentum è candido marmore condidiſſe, *cujus operis etiam Nicolaus, illius temporis ſcriptor, mentionem fecerit, qvamvis non deſcenſionis* regis ad ſpoliandum ſepulcrum, *qvod præter decorum eam fuiſſe exiſtimaverit. Idqve more ſuô feciſſe* hiſtoricum, *qvia vivi regis hæc auribus dederit, ea tantùm attingens, qvæ ad gloriam illius pertinere viſa ſint.* Cùm itaqve certum ſit, hunc Nicolaum non attigiſſe infamem cædem puerorum; qvàm facile fieri potuit, ut Joſephus, qvi in plerisqve eum preſſè ſecutus fuit, vel invitus prætererit, qvæ ille de induſtria celaverat? Dum ſcribimus enim & omnia ſtudemus perſeqvi; ſubinde humana patimur, prætermiſſis iis, qvæ ſcribi fidei noſtræ & induſtriæ opinionis magnoperè intererat. Non autem ſolum eſt infanticidium, qvod in Joſepho eruditi deſiderant: filii Antipæ ajunt ingenium callidum non penetrâſſe, cùm

in

in Baptistæ supplicio futilem caussam attulerit, metum rerum novarum, confluente ad Joannem qvotidie turbâ, tetrarchæ non imprudenter subortum. Qvod cùm aliter Euangelista recenseat, in suspicionem venit Josephus, aut noluisse veritatem prodere Judaicô more; aut, qvod incuriæ est, non penitus perspexisse. In hac verò caussa nihil indolis ego Judaicæ agnosco, cum Ben Gorion, qvem Ebræum Josephum vulgò vocant, ingenuè cædis caussam eamdem, qvam Euangelista, perscripserit, c. LXIII., ויהרוג רבים מחכמי ישראל וגם הוא הרג את יוחנן כהן גדול על אשר דבר ואמר לא איסור לך לקחת אשת אחיך פוליפוס לאשה ויהרגהו הוא יוחנן אשר מטבל: *Interfecit multos è sapientibus Israël: qvin etiam interfecit Joannem sacerdotem magnum propterea, qvòd dixisset ei: Non licet tibi habere uxorem fratris tui Philippi in uxorem. Interfecit igitur eum, atqve hic est Joannes ille, qvi baptizabat.* Qvæ qvamvis verissima sint, non tamen Josephus, qvòd ignoravit ea, magnoperè peccâsse censendus est, qvi qvæ caussatus Herodes fuit, litteris mandavit, de arcanis consiliis, qvæ suberant, minùs forsan sollicitus: qvod optimis sæpe scriptoribus accidisse deprehensum est. Ita Svetonium, Orosium, Capitolinum, Spartianum, Lampridium rumore vulgi inductos subinde adseverâsse scimus, qvod Tacitus & Herodianus, ex actis publicis confirmati, vel falsum, vel dubium esse tradiderunt. Nondum autem Flavium dimittimus, nec tamen carpendi animô, aut notandi prætermissa, sed ut laudem, qvam meritus est in pari historia, impertiamus. A filiis ad nepotes Herodis progressi, eorúmqve præcipuum Agrippam Majorem, non possumus non admirari Josephi & auctoris Actuum Apostolicorum singularem concordiam. Mirificè enim in excessu hujus

jus Agrippæ, qvem facer fcriptor etiam Herodem adpellat; confentiunt. Die folenni ajunt (erat autem ludorum pro falute Cæfaris) in theatrum, proceffiffe indutum ftolâ βασιλικῇ, ut Lucas refert, c.xii. Act. 21. five ut Jofephus lib. xix. c. vii. explicat, ex argento mirabili textu factâ, qvæ fole illuftrata φοβερόν ἦν, *divinum fplendorem* repræfentaverit. Undiqve acclamationes factas concionem ejus, ut θεοῦ φωνὴν, in cælum extollentium. Jofephus κόλακες, inqvit, θεὸν προσαγορεύοντες, *adulatores deum confalutâffe*. In eo etiam confpirant, qvòd brevi intervallô, hoc eft, qvintô pòft die inter graviffimos dolores (ἄθρουν κοιλίας ἄλγημα Judæus vocat; Lucas plagam ab angelo incuffam) miferabiliter exfpiraverit. Nec in eo diffenfus eft, qvòd faftus hic interitum acceleraverit, qvippe molliffimè Flavius, verè tamen, οὐ γὰρ τὴν κολακείαν ἀσεβοῦσαν ἀπετρίψατο, *neqve rex*, inqvit, *impiam adulationem deprecatus eft* aut caftigavit, qvod fatis argumento fit, non invito, fed clam forfan jubenti, aut fubornanti acclamatores, divinum honorem oblatum effe. Qvô factum fuit, ut properaret divina vindicta, qvæ, cùm qvævis fcelera patientiùs ferat, fupremam fuperbiam, qvâ pertæfi mortales humanæ originis, divinitatem adfectant, celerrimè femper graviffiméqve punitum ivit. Sic Philippus Amyntæ eodem die, qvô ἑαυτὸν τοῖς θεοῖς σύνθρονον κατηρίθμησε, *fe deum adpellari paffus eft*, Diodorô Siculô tefte, lib. xvi. exeunte; fic Commodus Romanus imperator, qvi fe Διὸς υἱὸν *Jovis filium* falutari cupiebat, apud Herodianum, lib. i. c.

xiiii.

XIIII. sic Justini Clearchus, lib. XVI. c. V. aliíqve celerrimô suppliciô interemti sunt: ut satis mirari non possimus Dei μακροθυμίαν, qvi immodicum hunc fastum in Alexandro diutiùs pertulit, hoc est ab excursione ad Jovis Ammonis oraculum, ad ultimum usqve ex India in Babyloniam regressum. Tulisse verò ideo videtur, ut hôc flagellô orientis populos vehementiùs adfligeret, qvâ peractâ re ad mortem, adhuc dilatam, rex properatò actus fuit. Hæc de Herodibus præfari ideo visum est, qvia ex nostris fuerunt, qvi eo tempore, qvô ecclesia Herodis immanem crudelitatem detestatur, dicendi sibi materiam qværentes, *Herodum ruinam* elegerunt, qvam stilô amplificarent, atqve exercitii caussâ declamarent publicè Qvod etiam non pigrè, neqve incomtè perfecisse testamur, ut crastinô die parati sint ad recitandum. Primus autem JOANNES CONRADUS WENDLER, Aumensis Variscus, in *Herodem Ascalonitam* invehetur; cujus telam ejusdem oppidi civis GEORGIUS HASE, contexet, filios, *Archelaum & Herodem Antipam*, stilô acriore perstricturus; qvem tamdem JO. CHRISTIANUS WEISE, Citicensis, excipiet, in nepotem *Agrippam* eâdem reprehensionis libertate usurus, qvi, qvòd superiorum indultu scholam cum academia mutare constituit, grati simul animi & beneficiorum memoris Græcô sermone rationem habebit. Hos ut patroni & fautores nostri benevolè audiant, nostri muneris est etiam atqve etiam rogare, qvod hôc programmate, qvâ fieri observantiâ & humanitate potest, præstitum & peractum volumus: discessuro unà, ut homini pio & industrio, felices in studiis progressus, &

qvid-

qvidqvid è re illius esse poterit, largiter apprecantes. PP. Cizæ VIII. Calend. Febr. cIↄ Iↄc lxxxv.



IN-

INDEX

DICTORUM BIBLICORUM.

INDEX
VERBORUM & RERUM NOTABILIUM.

A.

B.

M.

S.

V.

In Faſcis noſtri III. præfat. p. 49. v. 21. pro *Apolloni* lege *ApollonI.* in p. 504. ejuſdem Faſcis, v. 24. *pro ſemel non iterum ſed* pone *non ſemel, ſed iterum.* In hujus Faſcis p. 413. n. 7. pro *etuditorum* lege *eruditorum.*

FINIS.

